


Acta eruditorum Lipsiensia, anno 1682 à 1776

Hi 9585

OTHEEK GENT

593

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

ANNO M DC LXXXXI

publicata,

ac

POTENTISSIMO SERENISSIMO-QUE PRINCIPI AC DOMINO

DN. JOHANNI GEORGIO IV

S.R. IMPERII ARCHIMARE-SCALLO & ELECTORI &c. &c. &c.

DICATA.

Cum S.Cæſareæ Majeſtatis & Potentiſſimi Ele-
ctoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ.
Proſtant apud J. GROSSII HÆREDES & J. F. GLEDITSCHIUM.
Excuſa typis CHRISTOPHORI GUNTHERI.
Anno M DCXCI.

Digitized by Google

Digitized by Google

POTENTISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DN. JOHANNI GEORGIO IV

Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, ut & Angriæ ac Weſtfaliæ, S. R. *Imp*erii Archimareſchallo & Electori, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Superioris item ac Inferioris Luſatiæ, Burggravio Magdeburgico, Comiti Principali Hennebergico, Comiti Marcæ, Ravensbergi & Barbiæ, Dynaſtæ in Ravenſtein &c.

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

SUbditorum Tuorum, qui hoc tempore ſimul & luctum ſuum ob Divum PARENTEM orbi ereptum, & gaudia ex Te Succeſſore concepta, in ſinum veluti Tuum effundunt, POTENTISSIME ELECTOR, ultimi fortaſſe nos ſumus, aſt utriusque affectus ſinceritate & magnitudine nemini omnium ſecundi. Amiſimus in JOHANNE GEORGIO III Romani Imperii prægrande columen: & eo amiſimus tempore, cum poſt tot inſignia ab Ipſo edita imperterriti animi prudentiæque bellicæ adverſus Turcarum pariter atque Gallorum furorem documenta, ſpes & vota publica in Eo vel maxime recumberent: Amiſimus Patrem patriæ indulgentisſimum, ſub cujus non diuturno quidem, at fauſtisſimo regimine, per Æterni Numinis gratiam, intemerata apud nos floruit orthodoxa Religio, & regionibus his noſtris pax ac tranquillitas publica ſtetit inconcuſſa. Sed iſtam quidem lugendi cauſam cum Germania univerſa: hanc cum omnibus ditionum harum incolis habemus communem. Peculiaris & propria quaſi nos tangit, quod Principem amiſimus, qui tametſi gerendis armis factus natusque unice videretur, ingenuis tamen mitibusque litterarum ſtudiis addictos gratia ſua & clementia nunquam non complexus eſt, & noſtrum etiam inſtitutum, quo Orbi Erudito ſuimet ipſius Hiſtoriam utcunque condere allaboramus, per annos non paucos munificentia tanto Principe digna promovit. Verum enim vero, ut dolori

Digitized by Google

lori noſtro ſeu publico, ſeu privato modum ponamus, & ſqualore luctuque procul habito, non fucatis nunc indulgeamus gaudiis, Tu efficis, POTENTISSIME ELECTOR, quo exoptatior Beatisſimo Parenti Succeſſor ab exorato communibus omnium precibus Numine dari nemo potuiſſet. Nactum enim eſt Romanum Imperium in Te Heroëm fortisſimo Parenti prorſus parem, qui tyrociniis militiæ ſub tanto Imperatore præclarisſime dudum poſitis, ætate & corporis animique vigore florens, ſuſtinebit Germaniæ decus, & victorias a Divo Genitore cœptas impigre proſecuturus, de profligatis proculcatisque hoſtibus glorioſisſime triumphabit. In Te porro, PRINCEPS SERENISSIME, recepere ditiones Tuæ Dominum, pietate in Deum a teneris imbutum; a qua vere principe virtute cum velut ex propria perennique ſcaturigine reliquæ, quæ bonum Principem conſtituunt, deriventur omnes, Te optimum non voto, non ſpe futurum contendimus, ſed oppido tenemus, inæſtumabilique hoc Divini Numinis beneficio perfruimur. Prudentiam porro regnandi qua polles, quotusquisque nobiſcum non admiretur, qui quam provide ſapienterq; ſub ipſis imperii auſpiciis maxima ejus momenta diſpoſueris, ſecum expendat, illumq; Aulæ tuæ decorum ſplendorem, & quandam ſine exemplo ſanctitatem atq; innocentiam intueatur? Sed erunt alii, qui has cæterasque laudes Tuas, noſtro præconio utique majores, & loco alio atque tempore perſequentur uberius. Nos vero, uti virtutes Tuas omnes atque dotes

Divinitus conceſſas profunde veneramur: ita inuſitatam præcipue eruditionem, quam cum in omni literarum cultiorum genere, tum in arduo cumprimis Matheſeos ſtudio, & cujus peritiam Summi Orbis Terrarum Magnates laudi gloriaque ſibi nunquam non duxere, utraque Architectonice dudum oſtendiſti, exoſculamur impenſisſime, novique adeo Solis, benignisſimos undiquaq; radios ſparſuri, jubar Parnaſſo noſtro merito gratulamur. Ea certe fiducia Opus hoc noſtrum, cujus decimum nunc volumen SERENITATI TUÆ humillime conſecratum volumus, quodque finire cum hoc anno tantum non decretum nobis erat, ſub Tuis, Literatisſimi Principis, auſpiciis porro ſumus proſecuturi, & ſtudio quidem atque induſtria tanto majore, quanto perſuaſum firmius habemus, nolle Te abrumpi a nobis laborem, quem Reipublicæ Litterariæ hactenus non ſine omni doctorum virorum applauſu impendimus. Quod ſupereſt, Deum Optimum Maximum devotis veneramur precibus, ut millies millena vota, quæ hoc inprimis tempore, quo recipiendis in clientelam Tuam & ſacramento devinciendis provinciis occuparis, pro ſalute Tua & felici regimine, inter fauſtas acclamationes funduntur, rata eſſe cœlitus clementisſime jubeat.

Dabamus Lipſiæ exeunte A. 1691.

Potentisſimæ Serenitati Tuæ

devotiſſimi

ACTORUM COLLECTORES.

Digitized by Google

L. B. S.

SIſtimus Tibi, LECTOR BENEVOLE, decimum Actorum Eruditorum volumen, ſicque abſoluta per Dei gratiam Decennali Rei Litterariæ Hiſtoria, datam fidem maxima parte liberavimus. Neque enim ſupereſt aliud, quam ut Supplementorum quoque tomum, cujus hactenus nonniſi Sectiones novem prodierunt, adjectis tribus reliquis compleamus, eoque facto univerſalem rerum undecim illis voluminibus contentarum Indicem, qui duodecimum velut tomum conſtituat, publicæ luci exponamus. Atque ita defuncti nobis hoc labore videri poteramus, eoque deinceps ſuperſedere nos honeſte poſſe arbitrabamur, quod nec ad perpetuandum eum unquam nos obſtrinxiſſemus, & perſuaſum haberemus, defuturos quocunque loco alio non eſſe, qui partes noſtras ſtrenue integriſque viribus occuparent. Aſt diſſimulare tamen non poſſumus, propoſito illi noſtro, quod in præmiſſo Actis anni ſuperioris ad Lectorem Benevolum alloquio non obſcure innueramus, interceſſiſſe non paucos eoſque præſtantiſſimos viros, & quod citra jactantiam dictum ſit, non in Germania tantum, ſed exteris etiam regionibus, qui ne a ſtudio Reipublicæ Litterariæ tot annis non infeliciter impenſo deſiſteremus, graviter nos & ſerio ſunt hortati; ſeu quod ex quodam in nos ſingulari affectu operam illam noſtram pluris quam merebatur, facerent; ſeu quod putarent, minori cum moleſtia & ſumptu continuari a nobis opus hoc poſſe, quam ab aliis inchoari, commerciorum inprimis cum exteris commoditate, qua in celeberrimo hoc emporio nos gaudeamus, deſtitutis. Nec

defue-

deſuēre qui adjunctis minis, deſidiam nobis exprobratum iri publice, pluſque nos ab Orbe Erudito contemptus & odii per intermiſſum opus reportaturos, quam laudis ob non impigre hucuſque geſtum videri poſſimus promeruiſſe, contenderent. Admirati ſumus optimorum virorum honeſtiſſima de nobis judicia, qui nunquam ipſi de his Actis magnifice ſenſeramus, nec adhucdum ſentimus, probe gnari, quantum in iis deſiderari jure meritoque valeat: aſt cum compertum hac ratione habeamus, operam hanc noſtram aliquo in pretio a doctis etiam viris haberi; facile excitari nos paſſi ſumus, ut mutata ſententia accingeremur iterum labori priſtino, proſequendo deinceps quoque ſtrenue, nec temere abrumpendo, niſi ubi inſuperabilis nos adegerit neceſſitas. Inſiſtemus etiam rationi hucuſque ſervatæ, nec Orbi Literato, quod ſciamus, improbatæ: niſi quod ſingulis inpoſterum Actorum annis, cum id videatur ex uſu plurium futurum, peculiarem juſtumque rerum & Auctorum indicem ſumus ſubjecturi. Tu modo, Lector Benevole, porro huic inſtituto noſtro faveto, & quod jam ante annum Te enixe rogavimus, & denuo obteſtamur, ſi quid in recenſendis libris vel obſcurius a nobis dictum, aut erratum etiam animadverteris, de eo per literas candide nos ac liberrime admoneto. Cum enim non gloriæ privatæ, ſed unice boni publici ſtudio ducamur, nunquam vel pigebit nos, vel pudebit, παροράματα quæcunque noſtra publice agnoſcere ac emendare. Ita vale!

ACTA

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Januarii Calendis Anno M DC XCI.

CAROLI CÆSARIS MALVASIÆ MARMORA FELSINEA.

Bononiæ, typis Piſarianis 1690. in 4. chartæ auguſtæ; plag. 85.

ILluſtris Comes, *Carolus Cæſar Malvaſia* Bononienſis, utriusque Juris & Sac. Pag. Doctor Collegiatus, in patrio Archi-Gymnaſio horis veſpertinis legum interpres primarius ac emeritus, nec non cathedralis eccleſiæ Bononienſis Canonicus, plus ſimplici vice famam ſibi in orbe literario perennem publicis ingenii monumentis parare feliciter ſtuduit. Pridem enim edidit *Felſinam Pictricem*, quod eſt, vitas pictorum Bononienſium. Ante ſeptennium *Æliam Læliam Criſpidem* expoſuit, prout prolixe memoravimus anno 1684. p. 263. Plura etiam, tum vorſa, tum prorſa, ſcripſiſſe, Illuſtriſſimus Comes *Franciſcus Mediobarbus Biragus*, in indice poſteriori operis laudatiſſimi de *Imperatorum Romanorum numiſmatibus* docuit. Hæc nunc excipiunt *Marmora Felſinea*, h.e. *Bononienſia*. Bononiam enim *Felſinam vocitatam, cum princeps Hetruriæ eſſet*, auctoritate *Plinii* l. III. H.N. c. XV. firmatur. Monumenta iſthæc *decem claſſibus* abſolvuntur. Harum prima complectitur inſcriptiones templis appoſitas, Deaſtrorumque honori ſacras. Altera indicat collegia Sacerdotum. Tertia aquæductus & thermas. Quarta inſcriptiones ſiſtit Conſulibus, Imperatoribus, itemque Seviris & Magiſtratibus municipalibus aliis, ac poſtremo Longobardorum Regibus dicatas. Quinta illas, quibus virorum eruditione, artibus aut virtute bellica præſtantium memoria ad poſteros transmittitur. Sexta eſt privatorum, qui ſibimetipſis viventibus de ſepulcro proſpexerunt. Septima & octava privatorum, qui mortuis ſuis monumenta ſtatuerunt, ſocietate olim aut paterna, aut conjugali, aut

Digitized by Google

herili ſibi junctis. Nona nonnulla obſcura continet marmora, de quibus nec a quo, nec quibus poſita fuerint, conſtat. Ultima ænigmaticis, ſuppoſititiis & aliunde Bononiam tralatis operi, cui a tot figuris ligno aut æri inciſis magna gratia accedit, colophonem imponit. Dum vero doctiſſimus Actor his antiquitatum patriarum ruderibus claram lucem fœneratur, plerumq; quidem proprio Marte id facit; alicubi tamen, non ſine grati animi & encomii præfatione, utitur meditationibus ingenioſis *Reineſii, Liceti, Cottunii, Legati, Caponii, Kircheri, Montalbani,* itemque, (quorum opuſcula integra primus edidit ac ſyntagmati ſuo inſeruit Noſter,) Alexandri de *Nigris*, Petri *Menguli*, Antonii Felicis *Marſilii*, Joſephi Mariæ *Bellini* ac Valerii Comitis *de Zanis*. Quemadmodum autem antiquiores ſolum inſcriptiones *Felſinæ* extantes illuſtrandas in ſe ſuſcepit *Malvaſia*; ita de inferioris & recentioris ævi lapidibus Bononienſibus peculiari libro agere conſtituit Franciſcus Maria *Bordocchius* JCtus ac Anteceſſor in eadem Academia meritiſſimus.

THE JESUIT'S MEMORIAL FOR THE INtended Reformation of England, &c.

id eſt:

Jeſuitæ libellus memorialis de Reformatione Angliæ, quamprimum Pontificium Principem nacta fuiſſet, inſtituenda. Editus ad exemplar nupero Regi Jacobo II. oblatum, cum Introductione & animadverſionibus *Eduardi Gee.*

Londini, apud Richardum Chiſvvel. 1690. in 8. plagul. 22.

UT fraudum politicarum, hypocriſeos atque πολυπραγμοσύνης Jeſuitarum Societatem convinceret, hunc *Roberti Perſonii* libellum memorialem e tenebris in lucem publicam protruſit *Eduardus Gee*, Rector eccleſiæ, quæ in *S. Benedict Pauls-Wharf* colligitur, ut & utrique Regiæ Majeſtati Britannicæ a ſacris ordinariis. Præmiſit autem ipſimet operi *Introductionem* de vita *Perſonii*. Natus is eſſe dicitur, non, ut ipſe ferebat, in *Stockerſey*, ſed in *Nether-Stowey*, obſcuro Comitatus Somerſetenſis loco. Liberaliter tamen educatus, *Socius* ac tutor ſtudioſæ juventutis in collegio Balliolenſi, quod Oxonii eſt, evaſit.

evaſit. Verum die 13.Febr. anno 1573. ei valedicere juſſus eſt ob crimen peculatus, & quæ tunc demum innotuerat, illegitimorum natalium maculam. Ut igitur ignominioſæ hujus expulſionis memoria eo facilius obliteraretur, Oxonio Londinum abiit, moxque Italiam, & in hac Bononiam petiit, ſtudio Juris civilis ſeſe addicturus. Mutato tamen conſilio *Anglicanam religionem* ejuravit, & menſe Julio 1575. in Collegium *Jeſuitarum* Romanum receptus eſt. Anno 1580. 14. Apr. cum *Edmundo Campiano* in Britanniam miſſus fuit, ut Anglis Romano-Catholicis in Elizabetham inſurgendi autor, fax & tuba eſſet. Sed cum Campianus, antequam annus in orbem rediiſſet, machinationes ſuas capite luiſſet, Perſonius fugam arripuit, in patriam nunquam reverſurus, varioſque libellos contra Elizabetham Reginam ejusque religionem, procul a fulmine in Gallia, Hiſpania, Italiave conſtitutus, exaravit, quorum aliqui fictitium *Andreæ Philopatoris, Hovvleti, Dolemanni*, aliqui verum ſed commodatum Cardinalis *Alani*, aliqui proprium *Perſonii* nomen præ ſe ferre dicuntur. Varios hominis conatus, quibus modo Mariæ Stuartæ, modo Iſabellæ Hiſpaniarum Infanti, modo Arabellæ Stuartæ cauſam juvare, utut fruſtra, anniſus fuit, *Eduardus Gee* prolixius enarrat, teſtimoniis potiſſimum hanc in rem petitis ex epiſtolis Cardinalis *Oſſati*, & ſcriptis ſacerdotum ſecularium *Romanenſium* in Anglia, Perſonium odio habentium, quod turbulentis & vehementibus conſiliis ſuis pacem & tranquillitatem, qua hactenus gaviſi erant, everſum iret, adeo ut ſæpe in animum induxerint, eum, cum adhuc in Anglia ſub militis, nobilis, aut apparitoris veſte ageret, Reginæ prodere. Sane ſi hos audias, longe aliam de Jeſuita ſententiam feres, quam qualem vir ejusdem ſocietatis, Henricus *Morus*, Eſſexienſis Anglus, in *Hiſtoria Miſſionis & Provinciæ Anglicanæ Societatis Jeſu ab anno 1580 uſque ad 1635.* de eo ferri cupivit. Deceſſit tandem *Perſonius* 20. Apr. 1610. ætatis 64. ſocietatis 36. Nunc ad fœtum illius poſthumum accedendum, cui, raro exemplo, *adverſarius* obſtetrices manus adhibuit, eumque *Wilhelmo Lloyd* Epiſcopo Aſaphopolitano & Eleemoſynario regio, non majori politices Jeſuiticæ fautori dedicavit. Is hoc titulo inſignitur: *Libellus memorialis, de Reformatione Angliæ, continens notas quaſdam ac monita, quæ proponi poſſe videntur in proximo Parlamento & Concilio nationali patriæ noſtræ, quamprimum Deus ex miſericordia ſua Catholicæ fidei eam reſtituerit, ad meliorem reſtaura-*

tionem & conſervationem modo dictæ fidei. Congeſtus ac conſcriptus a R. P. 1596.

Abſolvitur tribus omnino partibus, quarum prior univerſum Angliæ regnum, altera clerum, tertia laicos ſpectat. Interpolatur quandoque animadverſionibus editoris, qui modo Jeſuitæ aſſerta refellit, modo ejus conſilia cum nuperis Jacobi II Regis Britanniæ geſtis confert, modo denique colligit ex iis, quæ jam paſſa eſt Anglia, quid juxta ſeriem monitorum Perſonianorum expectare aut metuere debuiſſet, circa reſtitutionem bonorum eccleſiaſticorum, juramentum religionis Romanæ a membris Parlamenti præſtandum, tribunal inquiſitionis poſt hæreticos per annos ſex circiter toleratos erigendum, confirmationem omnium legum de hæreticis olim latarum ac dehinc abrogatarum, & id genus alia, niſi *Wilhelmus III* divino beneficio in *Jacobi II* locum ſucceſſiſſet. Sed his immorari nolumus, ſatis eſſe rati, ea vel duobus quaſi verbis indicaſſe. Hoc unicum tamen notatu dignum videtur, *Eduardum Gee* in poteſtate ſua habere Hiſtoriam Regni Jacobi II, ab ejus Confeſſario, Patre *Warnero* Jeſuita *manu propria* conſcriptam. Hinc ridet ille ſimplicitatem Presbyterianorum, Tremulorum aliorumque Non-conformiſtarum, qui cum Patribus *Petro* & *Warnero* arctiorem amicitiam coluerint, & inſignibus de libertate religionis promiſſis ludibrio ſeſe haberi paſſi ſint, cum tamen, quid *Warnerus* privatim ſenſerit, in *Apparatu* ad hiſtoriam ſuam, hunc in modum de Presbyterianis loquendo, prodiderit: *Pervicaciſſima iſta factio, omni imperio adverſa, populorum exitio nata, & Romæ & patriæ communis Erynnis.* Ex ejusdem MSCti libro VIII. verba excerpſit, quibus refertur, *Comitem de Caſtlemaine Romam deſtinatum anno 1686, obedientiam canonicam, Jacobi & Catholicorum regni nomine, teſtaturum.* His non ſine lepido ſale refutare ſtudet modo dictum Comitem, Jacobi II ad Romanum Pontificem Oratorem Extraordinarium, utpote qui coram Parlamenti Londinenſis inferiori Domo gloriatus fuerat, ſe cum Papa non aliter ſubmiſſiusve collocutum, ac Principem cum Principe colloqui deceat, hocque patere potuiſſe e ſchedis ſuis, niſi eas antea combuſſiſſet. Optandum foret, ut Warnerum eodem ſtudio, quo Perſonium, in publicam eruditi orbis ſcenam protraheret Noſter. Tanto enim gratior futurus eſſet, quanto plures dantur, qui Latinam, quam qui Anglicam callent linguam.

BISHOP

Digitized by Google

BISHOP OVERALL'S CONVOCATION-book MDCVI.

id eſt:

Johannis Overalli Liber Convocationis anni 1606; agens de gubernatione catholicæ DEI eccleſiæ ac regnorum totius mundi.

Londini, impenſis Gualteri Kettelby 1690. in 4.

Conſtat plagulis 45, & effigiebus *Gulielmi Sancroft*, moderni Archiepiſcopi Cantuarienſis, ac *Joannis Overalli*, auctoris.

SI *Eduardus Gee* recte feciſſe putandus eſt, quod adverſarium diſciplinæ eccleſiaſticæ Anglicanæ *Perſonium* publica luce frui voluit; idem non minus dicendum fuerit de *anonymo* editore *Joh. Overalli*, ſtrenui & *monarchiæ* & *hierarchiæ* Britannicæ promachi. Fuit is primum Decanus ad D. Pauli Londinenſis, deinde Epiſcopus Coventrienſis, poſtremo Norvicenſis. *Prolocutoris* officio functus eſt in *Convocatione Eboracenſi*, auſpiciis *Jacobi I.* Magnæ Britanniæ Regis, ab anno ſeculi hujus tertio ad decimum usque agitata. Is igitur a. 1606. Regi Ordinibusque regni exhibuit libros hoſce tres, nuper demum typorum ope publici juris factos. In illis cum primis refelluntur partim *Pontificii*, Papæ ſuo univerſalem monarchiam in eccleſiam catholicam vindicantes, partim *Non-Conformiſtæ*, divinam originem ac hinc pendentem auctoritatem tum *Regum* in civilibus, tum *Epiſcoporum* in ſpiritualibus agnoſcere renuentes. De hoc duplici argumento libro I. ex V. T, libro II. ex Novo, libro III. ex hiſtoria Eccleſiaſtica, *ἀνασκευαστικῶς* æque ac *κατασκευαστικῶς* agitur, idque diverſis *capitibus*, quorum ſingulis in prioribus duobus libris *canon* inde fluens ſubſternitur, una cum hac approbationis nota, ſub tertii quoque libri capitibus reperiunda: *Placet eis*; membris puta Convocationis. Non autem eſt, quod contenta ſigillatim enarremus, cum nihil novi contineant, & tantum eo nomine doctis Viris grata eſſe debeant, quod non ſolum perſpicue ac methodice exarata ſint, ſed & ob ſuffragia totius *Convocationis* autoritatem *Concilii* alicujus *nationalis Anglicani* obtinuiſſe videri queant.


Digitized by Google


MECHANICORUM DE VIRIBUS MOtricibus ſententia, aſſerta a D. Papino adverſus Cl. G. G. L. objectiones.

VIdi nuper *in Act.Erud. A.1690.pag.228*, clariſſimi Viri G. G. L. meletemata *de cauſa gravitatis &c.* ipſique gratias habeo maximas, quod dubiis meis, circa rationem æſtimandi vires motrices reſpondere voluerit: quodque præterea novas, adverſus meam diſſertatiunculam dignatus ſit movere controverſias: quibus ego varia habeo reponenda, & reponere peroptarem: mihi enim honorificum duco cum tam celebri Antagoniſta contendere: at mihi cavendum eſt, ne Lectorum patientia abutar: quapropter circa novas illas quæſtiones controverſiæ noſtræ minus eſſentiales, id unum Lectores monuiſſe mihi ſufficiat, quod in acutiſſimo Ill. Hugenii tractatu *de cauſa gravitatis* (qui nuper apud Petrum Vander Aa Lugduni Batavorum prodiit) plurima lectu digniſſima ad hanc materiam ſpectantia reperiantur. Ibi 1. obſervare poterunt, velocitatem materiæ gravitatem efficientis eſſe multo minorem quam ego in Act. Erud. retuleram: quum enim experimentis ad ipſam indagandam inſtitutis non interfuiſſem, facile factum eſt, ut tractu temporis memoria me fefellerit: hunc autem lapſum eo facilius excuſatum iri ſpero, quod etiamſi dicta velocitas multo minor ſit quam crediderам; illa tamen tanta eſt, ut conſequentiæ, quas inde deduxi, a vero perparum aberrent. Per dictæ materiæ velocitatem explicat celeberrimus Autor gravium in deſcenſu accelerationem: moxque (pag.148.) oſtendit, a mediocri velocitate eundem effectum non poſſe expectari, ſicque manifeſtiſſime refellit Cl. L. argumentum (in Act.Erud. A. 1690.p. 231.) ex tubo fig. 3. deſumptum. Deinde, per idem principium, gravi deſcendenti æqualibus temporibus æquales velocitatis gradus accreſcere demonſtrat: vel, ſi mavis, oſtendit quod ille effectus neceſſario ſequi debeat ex cauſa quę exiſtit. In eodem libro inveniuntur ſolutiones difficultatum tum ipſius clar. Leib. tum celeberrimi Bernoullii contra explicationem cauſæ gravitatis per vim centrifugam materiæ circulantis: atque ita Lectoribus qui librum Hugenianum nondum pervolverint, ego facili negotio indicavi, quomodo circa prædictas omnes quæſtiones ſibi ſatisfacere queant. Reſtat, ut ad controverſiam noſtram veniamus: utrum ſcilicet quantitas virium motricium quantitate motus recte æſtimetur: atq; hic eidem metho-

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google

thodo inhærebo, quam ipſe cl. Leibnitzius ſequutus eſt: 1. nimirum definitionem dabo: deinde ex definitione quam defendo ſententiam demonſtrabo: ac poſtremo erroris fontem detegam.

Hic 1. obſervabo: ſecundum communem omnium notionem, quantitatem virium quantitate effectus æſtimari: petere enim, quantum aliquis poſſit efficere? aut quanta ſit ipſius potentia? prorſus idem eſt: potentiæque quantitatem ſic eſſe æſtimandam ipſe Cl. Leib. ſummopere urget. Ut igitur habeatur definitio brevis, clara, atque a nemine reſpuenda, debet eſſe in hunc ſenſum: *Duorum corporum in motu illud habet plus potentiæ, quod poteſt plus effectus producere: ſi vero neutrum ſit ejusmodi, illa corpora habent vires æquales.* Notandum autem eſt, quod legitima menſura quantitatis effectus non eſt quantitas ſpatii a corpore decurſi, neque quantitas temporis per quod motus continuatur: ſed eſt reſiſtentia quæ vincitur. Id ex eo patet, quod in Mechanica ſpatia quantacunque cenſentur horizontaliter poſſe percurri, & motus horizontalis per ſæcula poſſe continuari ſine potentiæ imminutione: quia ſcilicet ad motum horizontalem continuandum ſupponimus nihil efficiendum eſſe, id eſt, nullam reſiſtentiam debere ſuperari. Conſtat igitur, quod in definitione ſupra allata, in locum hujus phraſis, *quod poteſt plus effectus producere*, poſſet tuto ſubſtitui hæc altera, *quod poteſt plus reſiſtentiæ vincere:* effectum enim producere, & reſiſtentiam vincere, ſunt unum & idem. Reliquæ vero definitiones ab altitudine aſcenſus perpendicularis, vel a duratione temporis aſcenſus, vel ab impoſſibilitate motus perpetui petitæ, non poſſunt admitti, niſi prius conſtet, quod illæ revera idem illud ſignificant vel inferunt quod noſtra hæc definitio: quæ proinde cæteris omnibus merito anteponenda eſt. Hinc mihi facillimum erit demonſtrare quantitatem virium quantitate motus, juxta Carteſii mentem, eſſe æſtimandam: etiam adhibendo illud ipſum exemplum, quod affert cl. Leibn. ut contrarium probet.

Ponamus globum 1 A. 4 librarum (fig. 1) ex altitudine AE per lineam inclinatam 1 A 2 A. deſcendere, donec in planum horizontale EF perveniat, ibique procurrat ex 2 A in 3 A, uno celeritatis gradu per deſcenſum quæſito. Porro in eodem plano horizontali quieſcat alius globus B unius libræ in loco 1 B. Ponamus jam porro, omnem potentiam globi A transferri debere in globum B, ita ut A quieſcente in TAB. I. *Fig. 1.*

hori-

horizontis loco 3 A, ſolus deinde moveatur globus B, quæritur quantum celeritatis accipere debeat globus B, ut tantundem virium accipiat, quantum globus A habuit? Reſpondeo cum Carteſianis aliisque fere omnibus Mechanicis, globum B quadruplo minorem ipſo A accepturum celeritatem 4 graduum, ſeu quadruplo majorem celeritate ipſius A: ſic enim potentiæ ſunt utrinque æquales. Hoc ſic probo: Notum eſt corpus B cum celeritate 4 graduum debere aſcendere, quamque offendit gravitatis reſiſtentiam vincere per 4 tempora: ſi corpus A cum 1 gradu celeritatis & in plano ſimiliter inclinato potuiſſet aſcendere per 1 tempus: certum eſt præterea corpus B intra 4 tempora eandem reſiſtentiæ quantitatem offendere ac corpus A intra 1 tempus, in planis ſimiliter inclinatis: ergo cum ſupra dictis celeritatis gradibus neutrum horum corporum plus reſiſtentiæ vincere poterit quam alterum, ipſorumque potentiæ erunt æquales, per definitionem ſupra poſitam. Si mihi negetur minor, facillime probabitur. Conſtat enim quantitatem reſiſtentiæ hic non oriri ex quantitate ſpatii decurſi, ſed ex impreſſionibus gravitatis deorſum prementis: quum autem impreſſionum illarum velocitas cenſeatur infinita, manifeſte ſequitur, quod impreſſiones in corpus B per 4 tempora, erunt quadruplo numeroſiores quam in corpus A per 1 tempus: & viciſſim impreſſiones in corpus A 4 librarum (modo eadem ſit plani inclinatio) erunt quadruplo validiores quam in corpus B 1 libræ: quum igitur illarum numerus harum validitatem præciſe compenſet, ſequitur quod reſiſtentia utrinque æqualis vincitur, quodque proinde potentiæ ſunt utrinque æquales. q.e.d. Hinc facile patet, quod ſi (juxta cl. Leibn. definitionem) minor celeritas in corpus B translata fuiſſet, non tantam reſiſtentiam potuiſſet vincere: ac proinde non habuiſſet potentiam potentiæ ipſius A æqualem.

Si quid in hoc diſcurſu reprehendendum judicat cl. Leibn. rogo ut expreſſe oſtendere dignetur, quænam mearum propoſitionum falſa ſit, aut quænam conſequentia non legitime deducta: ſic enim recta, ſine ambagibus, ad controverſiæ finem progrediemur Lectorumque tempori parcemus. Ne autem exiſtimet me leges aliis proponere, quibus ipſe ego non obſequar: attendat, quæſo, quomodo Objectioni quam in *Act. Erud. menſ. Maji Anno 1686* propoſuerat, ego *in menſ. April. A. 1689* reſponderim. Ipſius objectio nitebatur hac hypotheſi,

quod

quod *ſpatia aſcendendo percurſa ſunt inter ſe ſicut vires motrices.* Ego autem propoſitionem illam expreſſe negavi, negatique rationem reddidi: videbit ergo an jure dixerit, *pag. 229, A. 1690,* me ſtatum controverſiæ non ſatis attigiſſe: profecto nihil potuerat magis ad rem reſponderi. Jam non minus ſtricte novam ipſius ratiocinationem attingere ſatagam, erroremque in ea detegere.

Proponit Vir clar. *pag. 235, A. 1690,* illud ipſum exemplum a me ſupra allatum, annexumque Carteſianorum reſponſum abſurdum eſſe aſſerit: quia ſcilicet inde ſequeretur motus perpetuus, quem abſurdum eſſe omnes intelligentes fatentur. Quomodo autem per translationem totius potentiæ corporis A in corpus B, juxta Carteſium, obtineri poſſit motus perpetuus, evidentiſſime demonſtrat: atque ita Carteſianos ad abſurdum reductos arbitratur. Ego autem & motum perpetuum abſurdum eſſe fateor, & cl. Viri demonſtrationem ex ſuppoſita translatione eſſe legitimam; ſed Hypotheſis ipſius poſſibilitatem, translationis nimirum totius potentiæ ex corpore A in corpus B, pernego: manifeſtum autem eſt, quod ſi dicta translatio in rerum natura nullibi & nulla ratione fieri poſſet, qui ab ea ſperabatur motus perpetuus remanet etiam impoſſibilis, neque Carteſiani ad illud abſurdum rediguntur.

Poſſem hic ſubſiſtere: hactenus enim validiſſimis demonſtrationibus ſuffulta Mechanicorum ſententia ab adverſariorum telis inconcuſſa remanet: Dominoque Leibn. incumbit probandum, vel quam nego translationem in natura eſſe posſibilem; vel ſaltem ipſius posſibilitatem ſequi ex adverſariorum ſuorum doctrina: mihi autem ſufficeret palam hic promittere, quod ſi mihi indicet rationem aliquam qua tota vis motrix, ſine miraculo, ex corpore majori transferri queat in corpus minus & quieſcens: Ego vel motum perpetuum effectum, vel manus victas dabo. Verum tamen, quo me poſſit aptius & tutius impugnare, non abs re fore exiſtimo, ſi ſpecimine aliquo hic oſtendam, quomodo me defendere parem.

Primo: ſi dicat, quod tota vis motrix ex corpore A 4 librarum (fig. 2.) poteſt transferri in corpus B. 1 libræ, modo adhibeatur vectis CB mobilis circa axem in C: ſi enim corpus A feriat punctum E, & diſtantia CB ſit quadrupla diſtantiæ CE, corpus 1 libræ in B, idem præſtare debet quod corpus 4 librarum in E ſine vecte: corpus autem 4 TAB. I. *Fig. 2.*

 libra-

Digitized by Google

librarum in E accipere poſſet totam vim corporis A: ergo & corpus 1 libræ in B totam eandem vim debet accipere. Reſpondeo negando corpus 1 libræ in B idem præſtare quod corpus 4 librarum in E: dum enim corpus 1 libræ quieſcit in B, & corpus A impingit in punctum E, potentia corporis A non agit in punctum B ſolum: ſed etiam ſeſe exerit in fulcrum C eo efficacius, quo diſtantia CE minor eſt quam diſtantia CB, juxta notisſimam Mechanicæ regulam. Quod ſi quis inſtet, fulcrum C eſſe immobile, ac proinde nullum accipere motum aut potentiam a corpore A. Reſp. nihil dari immobile niſi quoad ſenſus: Certiſſima enim eſt, contra Carteſium, Hugenii regula, quod *Corpus utut exiguum lentoque motu latum, ſi aliud offendit corpus quantæcunque molis & quieſcens, aliquem ipſi motum imprimit.* Hoc igitur artificio, totius potentiæ corporis A in corpus B requiſita tranlatio nequaquam obtinebitur.

Jam ſi vectem alterius generis adhibeamus, efficiendo nimirum ut corpus A percutiat vectem in D ab altera parte hypomochlii, ſecundum directionem 2 AD. Reſpondeo: hic corpus B in contrariam partem pelli per reactionem hypomochlii C: quæ reactio tanto magis recipitur in corpore A, quo diſtantia DC minor eſt quam diſtantia BC: hoc igitur artificium nihilo felicius quam prius ſuccedet.

Poſſet adhuc proponi alia ratio, qua motus perpetuus ſecundum Carteſianos facillime effici poſſe videtur, non obſtante impreſſione illa quam hypomochlium recipit: producatur enim vectis CB usque in F, adeo ut FC ſit dupla longitudinis BC: tum remoto corpore B 1 libræ, ipſi ſubſtituatur $\frac{1}{2}$ libra in F: pro certo habetur, quod $\frac{1}{2}$ libra in F tantundem præſtabit ac 1 libra in B: ac proinde eadem ſemper fiet impreſſio in fulcrum C: nihil igitur impediet, quominus reliqua potentia quæ tranſitura erat in corpus B, tranſeat jam in corpus F: ſicque ulterius producendo vectem, & minuendo in eadem ratione corpus movendum, habebimus eandem potentiam translatam in corpora minora, & pro lubitu ſemper minora: ſi igitur potentia & motus eſſent unum & idem, in corporibus minoribus deberet accreſcere velocitas in eadem ratione, qua moles decreſceret: altitudo vero aſcenſus in ratione duplicata celeritatis augeretur: atque ita dicta corpora facillime perduci poſſent ad tantam altitudinem, ut, non obſtante molis decremento, motus perpetui poſſibilitas ſequutura eſſet, juxt-

demona

Digitized by Google

demonſtrationem a cl. Leibn. traditam p.235. Ad id reſpondeo negari non poſſe validitatem hujus argumenti, ſi ſupponamus vectem perfecte durum & rigidum, adeo ut potentia motrix eadem facilitate transferatur ad partes remotas ac ad partes vicinas: verum non datur in rerum natura ejusmodi perfecta durities: & vectes ex quacunque materia, ſive ſuſtinendo pondus appenſum (prout Dominus Mariottus explicuit in ſuo tractatu *du mouvement des eaux* pag.373.) ſive vincendo quamcunque aliam reſiſtentiam, neceſſario patiuntur gradum aliquem tenſionis proportionatum reſiſtentiæ vincendæ. Jam quo vectis longior eſt, eo plures partes ad tenſionem illam reducendæ ſunt & in ea conſervandæ, quamdiu actio durat: ex. gr. ſi reſiſtentia ſit in B, ſola longitudo CB tendenda erit: ſi vero reſiſtentia ſit in F, vis inſumenda erit non ſolum ad partem CB, ſed etiam ad partem BF tendendam: & quo diutius durabit actio, eo plus potentiæ requiretur ad vincendos niſus continuos partium illarum tenſarum quæ elaſticitate ſua ſe reſtituere conantur: manifeſtum eſt igitur, quod ſi pro corpore majori B, aliquod aliud minus, ut F, ſubſtituatur magis diſtans a centro C; corpus illud neceſſario accipiet partem potentiæ corporis A eo minorem quo major erit diſtantia: reliquum enim potentiæ inſumetur ad ſupra dictam tenſionem efficiendam & conſervandam; falſum eſt igitur eandem quantitatem potentiæ in corpora minora & ſemper minora poſſe transferri. Res poſſet ulterius dilucidari afferendo Hypotheſin aliquam, qua & tenſio & elaſticitas clare & mechanice explicarentur: verum talia ſuſcipere non eſt hujus loci: tum brevitatis cauſa; tum quod mihi ſatis ſit aliquid in cl. Leibn. argumento dubium oſtendere: qûum enim ſupra allata demonſtratio, qua Carteſianorum ſententia probatur, ſit evidentiſſima: modo adverſariorum opinio eadem certitudine non gaudeat, ſatis liquet priorem eſſe præferendam.

Quoniam multis mirum forſan videbitur, quod poſtrema hæc reſiſtentia ex tenſione vectis petita a nemine, quod ſciam, hactenus obſervata fuerit, rationem hic breviter ſubjungam. In ſtatera ſcilicet fig. 1, ſi appendamus, ex. gr. pondus A 4 librarum ad diſtantiam 1 digiti a centro C: atque ab altera parte annectamus B 1 libræ ad diſtantiam 4 digit. habebimus æquilibrium, & ſtatim duo brachia reducentur ad tenſionem requiſitam, ut duo pondera ſuſtineant, & ſic

tenſa manebunt, quia impreſſiones gravitatis in pondera annexa ſemper continuantur: jam ſi unam unciam ponderi 4 librarum addamus, illud ſtatim deprimetur: quanquam enim augenda ſit tenſio vectis ad motum ponderi oppoſito imprimendum, quia tamen lentus eſt ille motus, tam exiguum requiritur tenſionis incrementum, ut 1 unciæ pondus ad id efficiendum ſufficiat. Si vero pro una libra ad diſtantiam 4 digit. annexa, ſemilibram ad diſtantiam 8 digit. in G annecteremus, faceret quoque æquilibrium cum 4 libris ad diſtantiam 1 digiti: & una uncia iisdem 4 libris addita ad ipſas deprimendas itidem ſufficeret, ſed motu paulo lentiori quam quum 1 libra ad diſtantiam 4 digitorum hærebat: quoniam enim appoſito minori pondere longior pars vectis tendenda eſt, potentia motrix nimium offenderet reſiſtentiam, niſi motus tardior reſiſtentiam viciſſim minueret. Datur ergo revera differentia aliqua celeritatis in duobus hiſce caſibus: quia tamen differentia illa eſt admodum exigua, vix unquam obſervata fuit: & vulgo pro certo habetur quod, ſive appendamus 1 libram ad diſtantiam 4 digit. a centro ſtateræ; vel ½ libram ad diſtantiam 8 digit. idem prorſus effectus ſequetur. Fit revera, ut dum vectis tenſus longior eſt, proindeque magis reſiſtit, magis itidem retardetur pondus deſcendens, & tanto plures a gravitate impresſiones accipiat, quæ vincendo reſiſtentiæ incremento ſufficiunt: adeo ut pondus aſcendens longiori brachio annexum ſub finem aſcenſus ad eandem pertingat altitudinem, ac ſi nulla ex tenſione vectis procederet reſiſtentia, quæ proinde in Machinis illis nullius eſt momenti: illarum autem machinarum effectus facillime ſub exactam menſuram cadunt, unde error invaluit. Attamen in machinis quæ velocitatem præſertim requirunt, dicta reſiſtentia maxime ſpectanda eſt: prout videre licet in examine ejaculatoriæ Machinæ Domini Perrault (menſ. Apr. A. 1689.) ibi enim vectem conſideravi tanquam perfecte durum, nulla attentione facta ad tenſionem de qua hic agitur, atque ita effectum dictæ machinæ aſcripſi multo majorem quam in praxi reperiretur:
TAB. I. quia ſcilicet tenſio illa per totam longitudinem vectis CD (fig.3) con-
Fig. 3. ſervanda deſcenſum ponderis A plurimum retardaret, unde & velocitas globi D, & multo magis ipſius aſcenſus altitudo imminueretur. In eodem examine poteſt etiam reprehendi, quod non attenderim ad gravitatem qua globus D nititur deorſum, & detrahit de efficacia ponderis

deris A, adeo ut ſi ad 200 libras augeretur globus, pondus A prorſus in æquilibrio ſiſteretur. Verum exiſtimavi, poſſe hoc loco vectem conſiderari quaſi moveretur horizontaliter: poſſet enim machina facili negotio ita diſponi, ut vectis motu horizontali celeritatem globo imprimeret, qui deinde occurſu plani alicujus inclinati ad deſtinatum ſcopum dirigeretur: patet autem quod in tali diſpoſitione globus nulla gravitate ponderi A reſiſteret, nec unquam faceret æquilibrium, ſed ſolum mole ſua procul a centro poſita augeret molem movendam a momento gravitatis, quo pondus A deprimitur. Brevitatis autem & facilitatis cauſa horum mentionem ibi facere neglexi, quia intentum tamen meum ſatis obtinebam: animus enim erat comparare inter ſe effectus quos machina illa producere poſſet, ſi a tubis evacuatis, aut ſi a ponderibus vulgaribus in motum ageretur, ut inde tuborum evacuatorum præſtantia eluceſceret: illa autem præſtantia perinde apparebat, ac ſi nihil eſſet omiſſum: quia ſcilicet in utraque diſpoſitione eadem omiſſio facta eſt, ſicque eadem ſemper effectuum inter ſe ratio reſultabat. Nihilominus tamen, hac occaſione data, hæc breviter monere non inconſultum duxi: quum præſertim omisſiones iſtas Lectoribus negotium faceſſere poſſe intellexerim ex literis, quas Ill. Hugenius ad me dare nuper dignatus eſt.

In Novellis Reip. Literariæ A. 1687, pag. 141 & ſeqq. extant difficultates nonnullæ quas movet ipſe cl. Leibn. quasque ex ſua doctrina neceſſario ſequi fatetur: an autem quæ ibi profert æque ſint clara & intelligibilia, ac illa quæ hic ego propono, Lectores dijudicent.

SPECIMEN CALCULI DIFFERENTIALIS in dimenſione Parabolæ helicoidis, ubi de flexuris curvarum in genere, earundem evolutionibus, aliisque J. B.

CUm ex Actis nuperis conjecerim, Celeb. Dn. L. Analyſin Problematis a ſe propoſiti calculo ſuo differentiali inſtitutam minime diſplicuiſſe, credidi nec ægre laturum ſequens illius ſpecimen, quod in gratiam Lectorum noſtrorum, quibus calculum hunc agitare volupe fuerit, in lucem emitto: ut ſi forte mentem Viri Acutisſimi, ex iis quæ

 in Actis

in Actis 1684 de Invento iſthoc ſuo edidit, ob ſummam brevitatem non ſatis aſſecuti ſint, vel hinc ejus applicandi methodum diſcere poſſint. Quanquam, ut verum fatear, qui calculum *Barrovianum* (quem decennio ante in Lectionibus ſuis Geometricis adumbravit *Auctor*, cujusque ſpecimina ſunt tota illa propoſitionum inibi contentarum farrago) intellexerit, alterum a Dn. L. inventum ignorare vix poterit; utpote qui in priori illo fundatus eſt, & niſi forte in differentialium notatione, & operationis aliquo compendio ab eo non differt.

Fig. IV. Cum axis vulgaris Parabolæ curvatur in peripheriam circuli BDM, curva BFGNA, quæ per extremitates applicatarum CF, DG, in centrum circuli A vergentium tranſit, dicitur nobis *Parabola helicoïdes*, vel ſi mavis, *Spiralis parabolica*, cujus propoſitum ſit inveſtigare Tangentem LH, ſpatium curva comprehenſum, curvæ longitudinem & flexuram &c. Eſto hunc in finem AB = r, BDMB = c, Arcus BC = x, CF = y, & ducantur CL, AH, perpendiculares ipſi AC, ſitque CD particula circumferentiæ infinite parva, cui ſit ſimilis & concentricus arculus GE. Natura Curvæ, $lx = yy$, adeoque $ldx = 2ydy$, & $dy, dx :: l, 2y$.

I. Tangẽs: AD, AG :: DC, GE. | FE, EG :: FA, AH :: FC, CL.

$r, \; r-y :: dx, \frac{rdx - ydx}{r} \;\Big|\; dy, \frac{rdx - ydx}{r} :: r-y, \frac{dx\square}{rdy} : r-y :: y, \frac{rydx - yydx}{rdy}$

Ut generalis expreſſionis fiat ſpecialis applicatio ad Curvam propoſitam, ponantur loco dy & dx, ipſorum proportionalia l & $2y$, fietque AH $= \frac{2y^3 - 4ryy + 2rry}{lr} =$ (ſubſtituto lx pro yy) $\frac{2xy}{r} + \frac{2ry}{l} - 4x$, & CL $= \frac{2ryy - 2y^3}{lr} = 2x - \frac{2xy}{r}$.

Maxima AH (CL) reperitur, ſi ejus differentiale, puta $\frac{6yydy - 8rydy + 2rrdy}{lr}$ $\left(\frac{4rydy - 6yydy}{lr}\right)$ æquetur nihilo: unde habetur $y = \frac{1}{3}r$ $(\frac{2}{3}r)$ ipſaque proin tum AH tum CL maxima $= \frac{8rr}{27l}$. *Coroll*: Si ponatur latus rectum $l = \frac{rr}{c}$, ſcil. ut circumferentiæ integræ reſpondens

applicata

applicata ſit ipſe radius, ut in præſenti ſchemate, erit AH vel CL maxima $=\frac{8}{27}c$.

Maximus angulus tangentis & applicatæ AFH ſeu CFL invenitur, ponendo rationem $\frac{CL}{CF}\left(\frac{2ry-2yy}{lr}\right)=$ maximæ, hoc eſt, ejus differentiale $\frac{2rdy-4ydy}{lr}=0$: unde reſultat $y=\frac{1}{2}r$; ac proinde $\frac{CL}{CF}=\frac{r}{2l}$: Speciatim vero in hypotheſi $l=\frac{rr}{c}$, exit $x\left(=\frac{yy}{l}=\frac{cyy}{rr}\right)=\frac{1}{4}c$, & $\frac{CL}{CF}=\frac{c}{2r}$. *Coroll:* ſi in puncto I, ubi curva radium AM interſecat, ipſam tangat recta IK, ſecans diametrum productam BAK in K, erit AK æqualis quartæ parti peripheriæ circuli.

2. *Spatium:* DC + GE in $\frac{1}{2}$ DG = CDGE

$$\frac{2rdx-ydx}{r} \text{ in } \frac{1}{2}y = \frac{2rydx-yydx}{2r} =$$

(ſubſtituto $\frac{2ydy}{l}$ pro dx) $\frac{2yydy}{l}-\frac{y^3dy}{lr}$, cujus igitur integrale $\frac{2y^3}{3l}-\frac{y^4}{4lr}$ ſeu $\frac{2}{3}xy-\frac{lxx}{4r}$ æquatur ſpatio curvilineo BFGDCB: quocirca poſito $y=r$ fiet ſpatium totum BANGFBCDMB $=\frac{5r^3}{12l}$, hoc eſt (in caſu $l=\frac{rr}{c}$) $\frac{5}{12}rc$; cumque circulus integer BDMB ſit $\frac{1}{2}rc$ ſeu $\frac{6}{12}rc$; erit dictum ſpatium ad circulum, ut 5 ad 6 ideoque ſpatium reliquum BANGBA ſexta pars circuli.

3 *Longitudo curvæ:* FGq = FEq + EGq $= dyq + \frac{dxq:rr-2ry+yy}{rr} =$ (ſubſtituto $\frac{2ydy}{rrl}$ loco dx) $\frac{rrll+4rryy-8ry^3+4y^4}{rrll}\cdot dyq$; hinc FG $=$

$$dy\sqrt{\frac{rrll+4rryy-8ry^3+4y^4}{rrll}}$$

, cujus quantitatis integrale ſi dari poſſet, exhiberet longitudinem curvæ BFG; quæ tamen utcunque ſic cognoſcetur: Diametro AB deſcribatur ſemicirculus ATχB & abſcindatur

ſcindatur $A\alpha = l$; hinc ductis perpendicularibus indefinitis quibuslibet WV, ZY, æquidiſtantibus ab A & B, & ſecantibus peripheriam ſemicirculi in T & χ, agatur recta χTS, & juncta Sα, ſumtaque AK = AS fiat KR parallela ipſi αS, & ducatur in centrum ſemicirculi recta Rϐ, cui abſcindantur æquales WV, ZY, eruntque puncta V, Y, ad curvam quandam γ V Y δ, quæ ejus eſt naturæ, ut abſciſſa BZ = DG, ſpatium BZYδB applicatum ad Aϐ $= \frac{1}{2}$ AB, exhibeat rectam curvæ BFG æqualem. *Dem:* $AK = AS = WT = Z\chi = \sqrt{BZA} = \sqrt{y \text{ in } r - y} = \sqrt{ry - yy}$; & $A\alpha$ (l) AS ($\sqrt{ry - yy}$) :: AK ($\sqrt{ry - yy}$,) $AR = \frac{ry - yy}{l}$; quare

$$ZY \; (= WV = R\text{ϐ} = \sqrt{A\text{ϐ}q + ARq}) = \sqrt{\frac{\frac{1}{4}rr + rryy - 2ry^3 + y^4}{ll}};$$

unde portio ſpatii ZYδB latitudinis $dy = dy, \sqrt{\frac{rrll + 4rryy - 8ry^3 + 4y^4}{rrll}}$,

quæ applicata ad Aϐ $= \frac{1}{2}r$ exhibet $dy\sqrt{\frac{rrll + 4rryy - 8ry^3 + 4y^4}{rrll}} =$ FG; & proin componendo totum ſpatium ZYδB ad $\frac{1}{2}r$ applicatum = portioni curvæ BFG. *Q. E. D. Coroll:* Sumtis BZ, AW æqualibus, ſi centro A radiis AZ, Aϐ, AW, deſcribantur arcus ſecantes curvam in G, I & N (NB media interſectio I, in caſu præſentis ſchematis, incidit in radium AM) portiones curvæ BG & AN, GI & NI, nec non BGI & ANI inter ſe æquantur: unde patet, quod in curvis etiam illis, quæ rectificationem nondum acceperunt, nonnunquam partes æquales diſſimilares aſſignari poſſunt.

Id cum Fratrem monuiſſem, in his quoque non leviter verſatum, protinus animadvertit ille, poſſe cuilibet fere ſpirali æquatione Algebraica expreſſæ aliam curvam geometricam æqualem aſſignari: Deſcriptis enim centro A intervallo AF & AG arcubus Fϱ, Gπ, ſi concipiatur curva Mψ talis, ut applicatarum ϱx, $\pi\psi$ differentia $\nu\psi$ æquetur arcui EG; erit propter $\nu x = \pi\varrho$ = EF, & $\nu\psi$ = EG, & angulos $\psi\nu x$, FEG, utrinque rectos, etiam ψx = FG, & proinde componendo, tota portio curvæ Mψ = toti portioni ſpiralis BG. Ad inveniendam autem naturam curvæ Mψ, ſubſtituendus tantum in quantitate $\frac{rdx - ydx}{r}$ (quæ ſemper exprimit ipſam EG vel $\nu\psi$) valor ipſius dx, qui in

Digitized by Google

qui in noſtra curva eſt $\frac{2ydy}{l}$, ut habeatur $\frac{2ydy}{l} - \frac{2yydy}{rl}$, cujus integrale $\frac{yy}{l} - \frac{2y^3}{3rl}$ denotat longitudinem applicatæ $\pi\psi$, quæ ſi vocetur z, habebitur æquatio inter z & $\frac{yy}{l} - \frac{2y^3}{3rl}$ ſeu $3rlz + 2y^3 - 3ryy = 0$, quæ relationem exprimit inter abſciſſam $M\pi$ (y) & applicatam $\pi\psi$ $(z.)$ In genere vero ſpiralis Parabolica gradus cujusvis, hac ratione commutatur in aliam Paraboloidem geometricam uno gradu altiorem. Sed & hoc obſervavimus, quod ſi curva ANIGB ſit *ſpiralis Archimedæa*, & deſcribatur centro A ad axem AK communis Parabola Aμ, cujus parameter ſit quarta proportionalis ad peripheriam, diametrum & radium circuli BDM, erunt, quod memoratu dignum eſt, & curvæ & illis comprehenſa ſpatia æqualia: nim. ſumto in recta AM quovis puncto λ, ſi ad illud applicetur recta $\lambda\mu$, ſecans parabolam in μ, & ducatur arcus λN concentricus peripheriæ circuli BM, ſecans helicem in N, æquabitur perpetuo portio helicis AN portioni curvæ parabolicæ Aμ; & ſpatium AN, recta AN & ſpirali comprehenſum, ſpatio parabolico A$\lambda\mu$A. Quam miram Parabolæ & ſpiralis convenientiam poſtmodum apud *Walliſium* deprehendimus, qui de ejus detectione *Hobbium* & *Robervallium* inter ſe diſceptaſſe refert; quaſi non poſſint plures & tempore & loco diſſidentes in idem inventum ſuopte ingenio incidere.

4. *Flexura:* Quod curva in partes contrarias flecti debeat, evidens eſt: quia enim peripheria BC a vertice B aliquousque a linea recta ſenſibiliter non differt, ſequitur ex natura Parabolæ, curvam in partibus vertici proximis verſus circumferentiam, in reliquis vero ob curvaturam BC verſus centrum, cavam eſſe debere.

Si G ſit punctum flexus contrarii, erit AO ſegmentum radii centro & tangenti interjectum Minimum (M.) Producatur GE in P, & ducatur PQ parallela ipſi EF; ſitque ſecans arcus BD $= s$, & tangens $= t$: ſic erit $r, r-y$ (AG) $:: t, \frac{tr-ty}{r}$ (GP) $:: s, \frac{sr-sy}{r}$ (AP) Deinde

GE, EF :: PG, PQ. AF, PQ :: AO, PO (AO−AP)

$\frac{rdx-ydx}{r}, dy :: \frac{tr-ty}{r}, \frac{tdy}{dx}$. Denique $r-y, \frac{tdy}{dx} :: M, M - \frac{sr-sy}{r}$

C unde

Unde obtinetur $M = \frac{rrsdx - 2rsydx + syydx}{rrdx - rydx - rtdy}$, poſitoque $\frac{ldx}{2y}$ loco dy, & facta diviſione per dx, $M = \frac{2rrsy - 4rsyy + 2sy^3}{2rry - 2ryy - rlt}$: hujus igitur differentiale debebit eſſe $= o$; at fractionis differentiale tum eſt $= o$, cum termini ejus ducti in alterna differentialia æquantur (etenim fractionis $\frac{y}{z}$ differentiale eſt $\frac{\pm zdy \mp ydz}{zz}$, unde ſi ſit $= o$, erit & $\pm zdy \mp ydz = o$, hoc eſt, $zdy = ydz$.) qua duce regula pervenitur ad æquationem 16 membrorum, ad quam reducendam notanda ſunt ſequentia: Differentiale arcus ad differentiale tangentis & ſecantis rationem habet cognitam, puta ad different: tang: quam quadratum radii ad quadratum

Fig. V. ſecantis; & ad different. Secantis, quam quadratum radii ad rectangulum ſub tangente & ſecante. Nam in quadrante ABD, dx, dt :: DC, EF :: DC, GE + GE, EF :: AD (AB), AG + AB, AF :: ABq (rr), AFq (ss); quare $dt = \frac{ssdx}{rr} =$ (in præſente curva) $\frac{2ssydy}{lrr}$. Iterum dx, ds :: DC, GF :: DC, GE + GE, GF :: AD (AB), AG + AB, BF :: ABq (rr), AFB (st); quare $ds = \frac{stdx}{rr} = \frac{2stydy}{lrr}$: quibus valoribus pro ds & dt in æquatione ſubſtitutis, ut & $ss - rr$ loco tt, prodibit alia quæ dividi poterit per $stdy$, ſic ut literæ s, t & dy prorſus evaneſcant, remanente ſola incognita y, fiatque æquatio talis: $y^6 - 3ry^5 + 3rry^4 - r^3y^3 + \frac{3}{4}rrllyy - r^3lly + \frac{1}{4}r^4ll = o$, quæ facta ulterius diviſione per $y - r$, reducitur ad hanc: $y^5 - 2ry^4 + rry^3 * + \frac{3}{4}rrlly - \frac{1}{4}r^3ll = o$, cujus æquationis radix punctum flexus contrarii prodit, quod quidem in caſu $l = \frac{rr}{c}$ quam proxime habetur, ducendo radium AC, ſic ut applicata CF ſit $\frac{1}{6}r$, vel arcus BC $= \frac{1}{36}c = 10$ *gr.*

Hæc methodus pro curvarum flexuris inveniendis cum admodum prolixa & minus naturalis mihi videretur, ex eo quod literas

Fig. VI. ſuperfluas & in æquatione evaneſcentes adhibet, anſam nobis præbuit eaſdem, alia breviore & faciliore via inveſtigandi, hoc modo: Flexum contrarium in eo curvæ loco concipio, ubi duæ particulæ contiguæ infinite

Digitized by Google

infinite parvæ in directum jacere intelliguntur; ut ſunt FG, FI, reliquis ad unam partem ſurſum, ad alteram deorſum flexis. Sequitur hinc I, quod in curvis, quarum axis rectus eſt & applicatæ parallelæ, anguli acuti EGF, MFI, ſeu DGL, CFL inter ſe æquales ſunt, & eorum quos applicatæ cum curva hinc inde conſtituunt, maximi vel minimi, prout curvæ portio, quæ ad partes horum angulorum eſt, intra vel extra eosdem cadit; unde & ratio $\frac{DG}{DL}\left(\frac{y}{t}\right)$ minima vel maxima, adeoque per ſupra oſtenſa $ydt = tdy$, ſed cum etiam ſit ubique $tdy = ydx$, ut conſtat, erit $dt = dx$, differentiale ſcil. portionis axis inter applicatam & tangentem æquale differentiali abſciſſæ: quod & ſic liquet: Quia GF, FI, jacent in directum, tangentes GL, FL, ſecabunt axem in eodem puncto L, & proinde differentiale abſciſſæ DC ipſarum quoque DL, CL, differentia eſt. Aliud Theorema in Actis dedit celeb. calculi Auctor: nempe cum Triang: EGF, MFI, ob angulos EGF, MFI, æquales ſint ſimilia, ſequitur, ſi EF, MI, hoc eſt, ipſa dx ſint æqualia, futura quoque æqualia EG, MF, ſeu dy; adeoque $ddy = 0$.

2. In curvis, quarum applicatæ tendunt in commune punctum A, angulus EGF = GAF + GFA = DAC + CFL: unde cum CL ſit Tangens anguli CFL ad radicum CF, & DH Tangens anguli EGF vel DGH ad radium DG, erit differentia rectarum CL, DH, æqualis differentiæ Tangentium duorum angulorum, qui differunt angulo DAC, & quarum una eſt ad radium CF, altera ad radium DG: nam quanquam differentia radiorum EG ratione totius radii vel tangentis evaneſcat, non tamen negligenda eſt, ſi cum ipſorum differentiis comparetur. Eſto $AC = r$, $DC = dx$, $CF = y$, $CL = t$: adeoque $FL = \sqrt{yy + tt}$; fiatque AC (r), DC (dx) :: CF (y), $\frac{ydx}{r}$ = arcui, qui eſt menſura anguli DAC in radio CF: hic per § 4 ad differentiam Tangentium eſt in ratione duplicata radii ad ſecantem; quare FCq (yy), FLq ($yy + tt$) :: Arcus inventus $\frac{ydx}{r}$, $\frac{yydx + ttdx}{ry}$ = differentiæ duarum tangentium, quarum utraque eſt ad radium CF, cui ſi addatur EF = $\frac{rdx - ydx}{r}$ (utpote quæ eſt ad EG, ſicut DH ad DG, ſeu CL ad CF, Fig. VII.

 tangens

tangens ad radium) erit aggregatum $\frac{rydx + ttdx}{ry}$, ſeu $dx + \frac{ttdx}{ry}$ differentia duarum Tangentium, quarum altera convenit radio DG, hoc eſt, differentia rectarum CL, DH (t) : ac idcirco $dt = dx + \frac{ttdx}{ry}$.

Idem clarius oſtenditur, deſcripto ſuper C, radio CL, arcu LK: nam ang: ACL + LCK = AMH = ADM + DAC = ACL + DAC, & propterea ang. LCK = DAC : (nota, CM hic negligi, punctaque C & M pro coincidentibus haberi: eo quod ipſa ob CM differentialibus DC, LK, EG utut infinite exiguis infinities minor exiſtit) unde AC (r), CD (dx) :: CL (t), $\frac{tdx}{r}$ = LK; iterumque GD (y), DH (t) :: LK ($\frac{tdx}{r}$), $\frac{ttdx}{ry}$ = KH; quocirca dt = (DH − CL = DH − CK = DC + KH =) $dx + \frac{ttdx}{ry}$. *Cor.* ſi ſit r = infin. hoc eſt, CA, DA, parallelæ, evaneſcet $\frac{ttdx}{ry}$, eritque $dt = dx$, ut ſupra.

Frater meus loco rationis $\frac{GD}{DH}$ vel $\frac{GA}{AP}$ aſſumit $\frac{GE}{EF}$, vocando AF = y, AP = t, & EF = dz, & ſic invenit $dt = \frac{dzt}{dyq}$: quæ Theoremata ob univerſalitatem ſuam merentur obſervari.

Fig. IV. Applicatio ſpecialis ad Parabolam helicoiden: Quoniam CL (t) ſupra reperta fuit $\frac{2ryy - 2y^3}{lr}$, erit $dt = \frac{4rydy - 6yydy}{lr}$, cumque dx ſit = $\frac{2ydy}{l}$, erit ſubſtitutis valoribus tt, dt & dx, factaque diviſione per dy, & reducta æquatione, $y^5 - 2ry^4 + rry^3$ &c. = 0, ut prius.

5. *Summum curvæ punctum* ſupra radium BA invenitur, faciendo nuper inventam AO ($\frac{2rrty - 4rtyy + 2ty^3}{2rry - 2ryy - rlt}$) infinitam, hoc eſt, ponendo $2rry - 2ryy - rlt = 0$, ſeu loco y ſubſtituendo $\sqrt{lx}$, $2r\sqrt{lx} - 2lx - lt = 0$

$lt=0$, aut in caſu $l = \frac{rr}{c}$, $2\sqrt{cx} - 2x = t$; quæ æquatio Geometrice reſolvi nequit, ob ignoratam rationem x ad t, arcus ad tangentem; Mechanice prope verum invenitur numerando a B verſus M, $72^{\circ}.\ 12'$. Obiter noto, hinc etiam oſtendi poſſe, quadraturam circuli indefinitam, & in genere rectificationem ullius curvæ Geometricæ in ſe redeundis impoſſibilem eſſe. Hæc enim ſi poſſibilis eſſet, dari poſſet relatio inter curvam & applicatam vel abſciſſam, cumque & harum relatio tum inter ſe, tum ad tangentem data ponatur, data quoque foret ipſius curvæ ad tangentem ratio; quare ſi æquatio quæ relationem hanc exprimit, cum iſta $2\sqrt{cx} - 2x = t$ juxta notas Analyſeos leges debite conferretur ad eliminandum alterutram indeterminatarum x vel t, prodiret alia æquatio certi & definiti gradus, cujus radices, quarum nunquam plures eſſe poſſunt, quam æquatio dimenſiones habet, determinarent omnia curvæ noſtræ ſuprema puncta, ſed hoc fieri nequit, quoniam ſpiralis iſta, ſi continuetur, infinitis gyris circa radium AB circumvolvitur, in quibus ſingulis aliquod punctum ſupremum exiſtit, quorumque adeo punctorum numerus infinitus eſt.

De Curvarum evolutionibus: Si DC curva ſit peripheria circuli, Fig. VIII. coibunt quæ ipſi normaliter applicantur DA, CA, KA &: in communi puncto A, eruntque ſingulæ æquales eidem conſtanti rectæ: at ſi DC ſit quæcunque alia curva, erunt dictæ perpendiculares indeterminatæ, & interſecabunt ſeſe in totidem diverſis punctis AVXI, quæ juncta novam curvam efficiunt, cujus natura nunc indaganda eſt. Invenienda vero primo longitudo indeterminatæ CA ita: Eſto curva propoſita RCD, cujus axis RB, abſciſcæ RN, RM, applicatæ NC, MD, tangens DCT, ſitque RN $= m$, CN $= p$, NT $= q$: unde porro

TN, NC :: NC, NP = MO :: SD, SQ | QS + SC = QC

$$q,\ p :: p,\ \frac{pp}{q} :: dp,\ \frac{pdp}{q} \quad \Big| \quad \frac{pdp}{q} + dm = \frac{pdp + qdm}{q}$$

OP = MN + OM − PN = dm + differentiali ipſius $\frac{pp}{q} = dm \frac{\pm 2pqdp \mp ppdq}{qq} = \frac{qqdm \pm 2pqdp \mp ppdq}{qq}$ | QC − OP, QC :: CA − PA

$$\frac{ppdq - pqdp}{qq},\ \frac{pdp + qdm}{q} :: \sqrt{\frac{ppqq + p^4}{qq}}$$

 (CP

Digitized by Google

(CP=$\sqrt{CNq + NPq}$), CA.

$$\frac{\overline{pdp + qdm}\sqrt{\overline{pp + qq}}}{pdq - qdp}$$

Applicatio ad Parabolam: Si RCD ſit Parabola, cujus latus rectum l, adeo ut ſit $lm = pp$, erit $ldm = 2pdp$, & $dm = \frac{2pdp}{l}$, & $q = 2m$: quibus ſubſtitutis invenitur CA $= \frac{\overline{ll + 4pp}\sqrt{\overline{ll + 4pp}}}{2ll}$, hoc eſt, quia PN $= \frac{1}{2}l$, & PC $= \sqrt{\frac{1}{4}ll + pp}$, erit CA $= \frac{\text{PCc}}{\text{NPq}}$; ſive quarta proportionalis ad PN & PC. Ad inveniendam naturam curvæ AVX, quam formant interſectiones perpendicularium DA, CA, ratione axis RB, abſcindatur RH $= \frac{1}{2}l =$ PN, & dicatur HB y, & BA, z; eritque

AB + NC, AC :: NC, CP

$z + p$, $\frac{\overline{ll + 4pp}\sqrt{\overline{ll + 4pp}}}{2ll}$ :: p, $\sqrt{\frac{1}{4}ll + pp}$, & invenitur $\frac{llz}{z} = 2p^3$; iterum

NC, AB :: PN, PB

p, z :: $\frac{1}{2}l$, $\frac{lz}{2p}$ ſed $y =$ HB $=$ PB $+$ PH $=$ PB $+$ NR $= \frac{lz}{2p} + \frac{pp}{l}$, ſeu

$2p^3 \; (= \frac{llz}{z}) = 2ply - llz$, hoc eſt, $\frac{3lz}{4y} = p$, & $4p^3 \,.\, (llz) = \frac{27l^3z^3}{16y^3}$, hoc eſt, $16y^3 = 27lzz$.

Præterea quia AD, AC ſunt perpendiculares curvæ DC, & particula DC infinite parva, erit AD = AC = AV + VC, ſed propter eandem rationem VC = VX + XK, & XK = XI + &c. quare AD = AV + VX + XI, &c: = curvæ AIH + HR, cumq; curva AIH naſcatur ex interſectionibus minime diſtantium DA, CV, KX, ſequitur illam ibidem ab iis tangi, & propterea curvam RKD eſſe eam ipſam, quæ deſcribitur ex evolutione ipſius HIA. Unde uno quaſi oculi ictu manifeſta ſunt ea omnia, quæ de evolutis publicarunt *Hugenius* aliique: aditus etiam patet ad præclara εὑρήματα Celeb. Virorum *Tſchirnhauſii* & *Leib-*

Digitized by Google

Leibnitii, quæ circa curvas per interſectiones radiorum reflexorum formatas in *Actis* ediderunt.

BIBLIOTHECA SLUSIANA, SIVE Librorum Catalogus quos Jo. Gualterus S.R.E. Cardinalis Sluſius Leodienſis ſibi Romæ congeſſerat. Petri Aloyſii Baronis Sluſii Fratris juſſu, ſtudio Franc. Deſeine digeſta.

Romæ apud Jo. Crozier 1690, in 4. Conſtat 3 Alphabet. & 18 plag.

QUantum ad comparandam librorum notitiam, quæ magnam eruditionis partem conſtituere multis creditur, Bibliothecarum locupletiorum Catalogi faciant, nudos licet librorum titulos exhibentes, nemo ignorat; nec quisquam diffitebitur, viros doctrinæ adminiculo ad opes paulo lautiores, ac ad dignitatis aliquod faſtigium evectos, memoriam ſui multo relinquere celebratiorem, ubi Bibliothecam copioſam ac ſelectam, publico inprimis uſui comparaverint. Utrumq; ſtimulos addidiſſe videri poteſt Perilluſtri Baroni *Sluſio*, ut præſentem fraternæ Bibliothecæ Catalogum doctiſſimi viri *Franciſci Deſeine* ſtudio confici typisque exſcribi curaret. Ita enim eadem opera & Fratri Cardinali, dum viveret, eminentiſſimo monumentum erexit marmore perennius, & conſultum iis ivit, qui τῆς ἐμπειρίας βιβλιακῆς ſtudio ducuntur, tanto majorem ex perluſtratione Catalogi hujus utilitatem percepturis, quanto ordinatius in eo libri, quorum plusquam 21000 ſunt, recenſentur. In quinque nimirum partes generales Catalogus diſtinctus eſt, quorum I Theologiam, II Jus utrumque, III Philoſophiam, Medicinam & Mathematicam, IV Hiſtoriam ſacram & profanam, V Litteratores & Miſcellaneos complectitur: in ſingulis vero partibus diverſæ iterum librorum claſſes, pro argumenti quod pertractant diverſitate, comparent. Ita e.g. in parte I, poſt Biblia Sacra, ſeorſim & ſervato quidem ordine Alphabethico, exhibentur Interpretes atque Commentatores S. Scripturæ; dein Sancti Patres Græci & Latini; poſt Aſcetici, Myſtici & Concionatorii; inde Dogmatici & Polemici; Scholaſtici porro & Caſuiſtæ; Theologiæ item Marianæ Scriptores; libri in cauſa Janſeniana editi; Heterodoxi &c.

Quin

Quin & eam adhibitam rationem videas, ut primo ubique loco Latini, dehinc Galli, poſt Itali, & denique Hiſpanici libri ſiſtantur. Cumque poſtremorum (Italicos innuimus & Hiſpanos) haud contemnendam copiam in omni litterarum genere Bibliotheca hæc contineat; vel eo nomine quoque gratus noſtratibus futurus iſte Catalogus eſt, quia horum idiomatum libri pauciſſimi hactenus ad nos pervenerunt.

CENSURA CELEBRIORUM AUTHORUM: ſive Tractatus in quo varia Virorum doctorum de Clariſſimis cujusque Seculi Scriptoribus judicia traduntur. Omnia collegit Thomas-Pope Blount, Anglo-Britannus Baronettus.

Londini apud Rich. Chiſvvel 1690, in fol. Alphab. 8. plag. 6.

QUod *Tobiæ Magiri* olim in Eponymologio Critico A. 1644 edito, nuperque *Chriſtiani Wilhelmi Eybenii* in nova Eponymologii illius, ſed duplo quam olim auctiore editione (quæ A. 1687 Frid. Ludervvaldii Bibliopolæ Helmſtadienſis ſumptibus prodiit) inſtitutum fuit, doctorum virorum de doctis viris aliis eorumque ſcriptis judicia colligere: idem Nobiliſſimus Anglus, *Thomas-Pope Blount*, in præſenti opere, ſed majore haud parum apparatu aggreſſus eſt. Cum enim, ut in Præfatione ad Lectorem ipſe innuit, obſervaſſet, *Acta Eruditorum* aliosque id genus libros, avide ab hominibus, non ſolum qui infimum ſubſellium occupant, ſed qui primum inter eruditos locum tenent, arripi: rem litterariam & ipſe laudabili prorſus conſilio promoturus, quæ ad ſuum uſum congeſſerat, varia doctiſſimorum hominum de optimis Auctoribus, quorum notitiam comparaſſe utile æque ac neceſſarium eſt, judicia in vulgus emittere non dubitavit. Delectum vero in hoc opere eum inſtituit, ut ex infinito illo Scriptorum, qui ab Hermete Triſmegiſto ad hæc usque tempora noſtra, orbem libris ditarunt, numero, nonniſi quingentos & viginti octo produxerit, non alphabethico ordine, quem ſubjectus tamen index ſupplet, ſed juxta temporis, quo quisque floruit, ſeriem diſpoſitos. De iis vero ita non tam ſuô, quam aliorum (inter quos recentiſſimos quoque, Guilielmum Cave, Dan. Morhofium, Bailletum, Diariorũ Eruditorum auctores,

autores, aliosque deprehendas) ore differit, ut, quæ ipſius ſunt in præfatione verba, *habeat hic Lector quandam quaſi imaginem cujusque Autoris, unde deprehendere poſſit, quando floruerit, & plerumque etiam, quando obierit; quænam fuerint ab ipſo ſcripta, vel ſaltem quæ primum obtinuerint locum; qua valuerit authoritate in orbe Literatorum; num plagiarius fuerit, & cujus ſcrinia compilaverit; num prohibitus ſit indice expurgatorio; denique quænam ſit optima cujusque Autoris editio.*

Probatur nobis ingenua Autoris ſententia, quando rationem redditurus, cur in tanta præclariſſimorum Scriptorum copia, qui in Anglia floruerunt, tam paucos attigerit, illud unum excuſationis loco affert, quod lingua vernacula exteris Eruditis ignota ſcripſerint, deque iis adeo judicia, cenſuras aut obſervationes inter Literatos (exteros præſertim) reperire haud facile fuerit. Ex quo capere id monitum non Angli ſolum, ſed & exteri alii poſſunt, ut ſi non de patria tantum ſua, ſed de orbe erudito univerſo bene mereri deſiderant, lucubrationes ſuas aut Latino idiomate, quod omnibus ſtudia litterarum profeſſis familiare eſt, componant, aut ſaltim in illud ex vernacula lingua fideliter traduci curent.

HISTOIRE DES REVOLUTIONS ARRIvées dans l'Europe en matiere de Religion, par Mr. Varillas. Tome cinquiéme & ſixiéme.

id eſt:

Antonii Varillaſii Hiſtoria de Revolutionibus Europæ in materia religionis, ſive de hæreſibus. Tomus V & VI.

Ad exemplar Pariſienſe, 1690. in 12. plag. 32.

PRimum & ſecundum Operis hujus tomum recenſuimus in *Actis anno 1686, p. 506. ſqq.* Tertium & quartum *anno 1687, p. 455 & 492.* Succedit *quintus*, in quo geſta ab anno 1554 ad annum 1563 enarrantur, libros quinque continens. Autor Regi ſuo, ut ſolet, in epiſtola dedicatoria laudes accinit, quod quæ *Henricus II* poſt pacem Cameracenſem Hiſpanis reſtituerit, ipſe ex parte recuperaverit, aliaque acquiſiverit, quibus regnum egregie firmetur: quod proterviam ſubditorum

Digitized by Google

ſuorum Reformatorum, qui olim *Rupellæ*, *Montalbani* aliisque locis exercitium religionis Catholicæ intra octo dies ſuſtulerint, non imitatus, in quadraginta Belgii urbibus, A. 1672 occupatis (ſed & poſtea amiſſis) ſtabilito quidem cultu Catholico, Reformatis tamen ſuum reliquerit; imo, in regno ſuo quadraginta trium annorum tolerantia erga eos uſus, tandem etiam inſtructionem hæreticis obtulerit, quod illi erga Catholicos nunquam fecerint. Subjungit alia, ut Reformati copias auxiliares ex Germania acciverint, portus Normanniæ Anglis tradiderint, Jacobum I Regem Britanniæ pacis ſponſorem aſſumſerint, ab Hiſpanis ſumtus ad bellum civile pacti ſint: Rex vero e contrario Germanos Proteſtantes ab auxilio Reformatis in Gallia ferendo detinuerit, *Dunkerkam* ab Anglis acquiſiverit, eorumque ſponſionem & pactionem cum Hiſpanis extinxerit. Poſt hæc in præloquio nova Operis ſui fundamenta oſtendit, & induſtriam in eruendis ſecretis venditat. Multa ſe didiciſſe ſcribit ex *Antonii Novallii*, Legati Gallici in Angliam ad *Eduardum VI & Mariam* miſſi, relatione. Ex ſcriptoribus aliis non vulgatis aut tritis, arcana de *Catharina Medicea* Galliæ Regina, & de *Bartholomæo Caranza* Archiepiſcopo Toletano prodit. Hunc ab Inquiſitoribus Hiſpanis hæreſeos reum factum Pontifex, licet innocentem eum deprehendiſſet, ne Hiſpanos offenderet, captivum Romam duci juſſit, nec abſolvere auſus eſt. Veram infortunii ejus cauſam indicat Autor, quod Philippus II Hiſpaniæ Rex, dum Caranza in vinculis eſſet, per multos annos opimis Archiepiſcopatus reditibus ad hæreticos in Belgio opprimendos uſus ſit, quorum ſummam ad octo milliones aſcendiſſe refert. Famam Viri vindicat, & honorabile ejus epitaphium, quod Romæ (ubi anno 1576 deceſſit) *in æde S. Mariæ ſupra Minervam* legitur, adſcribit. In enarratione *Tomi I. d. l. Act. p. 507.* notavimus, quæ de mutata Sleidani editione Varillaſius tradiderit. Idem in hac præfatione, ſed indicio non parum diverſo, repetit. Neque enim jam exemplar anno 1553 *in fol. min.* literis Italicis excuſum allegat, ſed aliud deſcribit, quod ſolum genuinum & incorruptum eſſe aſſerit, anno 1555 editum, dein Gallice verſum & Lutetiæ a *Roberto Prevotio* publicatum. In his exacte reperiri ait, quæ *Laurentius Surius* ex Sleidano excerpta taxaverit, in aliis exemplaribus non extantia. Nos hæc in medio vel ideo relinquimus, quia editiones, quæ nunc citantur, fortaſſis haud minus difficiles inventu ſunt,

Digitized by Google

ſunt, quam illa, quæ prius indicata & huc usque fruſtra inquiſita eſt, jam vero ab ipſo Varillaſio deſeritur. Poſt hæc *Popelincrium* Hiſtoricum Reformatum plagii accuſat, quod duorum aliorum libros minime allegatos exſcripſerit, & neſcio quid objicit *Creſpino* martyria Reformatorum deſcribenti. De *Antonio* Navarræ Rege, de *Briſſaco* Franciæ Mareſchallo, de *Guilielmo Naſſovio* Belgicæ libertatis vindice, multa commentatur, in quibus ſunt, quæ contradictionem, ut videtur, haud levem patientur. In *Buchanani* hiſtoriam Scoticam acrem ſtringit cenſuram. Scriptoribus Belgicarum rerum omnibus præfert *Conneſtagium* Italum. Ex Gallis vix ullum majori elogio mactat, quam *Timoleontem Briſſacum*. Excuſat, quod in hoc Opere diverſa ab iis referat, quæ in hiſtoria *Caroli IX.* dudum edita, & a nobis *anno 1684. p. 275.* relata tradiderit, & in iis, quæ de *Henrico I*, *Franciſco II*, & *Henrico III* promittit, traditurus ſit. Cauſam indicat, quod in hiſtoria Regum uſus ſit Manuſcriptis bibliothecæ regiæ, in hoc autem de hæreſibus opere aliis documentis & memorialibus adjutus ſit, Abbatis puta *Delbene*, *Alberti Gondii*, *Caroli Biragii*, aliorumq; quorundam Italorum ex interiori Catharinæ Mediceæ admiſſione. Sperat diverſitatem hanc gratam futuram eſſe lectoribus, cum varia ex variis autoribus percipiant. Si non placeat, operam ſe daturum eſſe pollicetur, ut poſthac conſententia ſcribat. Gratias ſe debere profitetur *Gayo*, Canonico & Vicario Epiſcopi Genevenſis, ob communicatam ſecum egregiam de introductione & progreſſu Calvinismi in urbe Genevenſi narrationem. Hæc, quæ ad dignoſcendum Autoris propoſitum faciunt, & adminicula ejus aperiunt, paulo fuſius attulimus, breviores in recenſione ipſorum voluminum, tot rerum compilatione turgentium futuri.

Lib. XXI, (qui Tomi V primus eſt,) ſive ex *Noallio*, ſive ex ſcriptoribus Anglis, quos ſequitur, multa refert, quæ poſt obitum Eduardi VI, & initio regni Mariæ geſta ſunt, inprimis de ſupplicio *Suffolcii*, ejusque filiæ *Johannæ Grajæ* infeliciter ad regnum evectæ; de nuptiis *Mariæ* cum *Philippo* Caroli V filio, & hujus moribus & actis parum gratis Anglicæ genti. Ex *Henrici II* Galliæ Regis hiſtoria de genio ejus & aulicorum præcipuorum, *Guiſii*, *Mommorancii* & *Coliniorum* multa profert, quæ pro ſecretis habet, aut ſolerter conjicit; Lutheranis & Calvini diſcipulis in Gallia ubique parum æquus. Narrat primos Calvinianorum, quos vocat, in urbe Pariſienſi conventus, & quo-

Digitized by Google

modò *Johannem Maſſonium Andegavenſem*, viginti duorum annorum juvenem, qui nomen *de la Riviere* aſſumſerit, concionatorem & Eccleſiæ miniſtrum conſtituerint: ut *Ludovicus Borbonius Condeus* ab uxore *Helionora Roja*, ejusque matre, *Coliniorum* ſorore, ad Calviniſmum perductus ſit: ut *Clemens Marotus* adjuvante ex Hebraicis fontibus *Franciſco Vatablo*, viro licet Catholico, ſed Maroti ad hæreſin defectionem ignorante, partem Pſalmorum Gallicis rhythmis expresſerit. Non diſſimulat, paraphraſin illam poeticam etiam a Catholicis & in aula cum applauſu exceptam fuiſſe, ita ut proceres utriusque ſexus pro ſuo ingenio modulos muſicos, profanarum cantionum imitatione addiderint. Maroti mores parum pudicos, infamemque pœnam non tacet. Ex rebus Germanicis & Hiſpanicis aliquid memorat de comitiis anni 1555, quibus pax in cauſa religionis per Germaniam firmata eſt; de morte *Caroli V*, & colloquio ejus cum *Caranza*, de quo in præfatione egerat; de *colloquio Wormatienſi* inter Theologos inſtituto, ejusque ruptura; de importunitate *Pauli IV* Pontificis, abdicationem *Caroli V*, & electionem *Ferdinandi I* impugnantis. Hæc & alia ita tractat, ut intima Principum & aliorum conſilia perſcrutetur, & ad ſcopum ſuum trahat atque interpretetur.

Lib. XXII de *Mariæ* Angliæ Reginæ morte, & *Eliſabetha*, quæ illi ſucceſſit, initiis multa congerit, quæ fortaſſe doctis & hiſtoriæ patriæ peritis in Anglia viris parum probabuntur. Tenet & hic inſtitutum ſuum Autor, ut reformationem Anglicanam non niſi politicis reſpectibus tribuat. Ex geſtis Gallicis, *Henrici II* ſeveritatem in Reformatos, maxime in Senatores & nominatim *Annam Burgum*, tum Cardinalis Lotharingi rigorem prolixe enarrat. Recenſet contenta confeſſionis, quam Reformati in media perſecutione anno 1559 Lutetiæ in ſuburbio Sancti Germani conſcripſerunt, vel, ut Autor conjicit, Genevæ compoſitam acceptarunt, tutiores latebras nacti in urbe, in qua minime tunc quæſiti fuiſſent. Refert etiam induſtriam, qua Rex interceſſiones Germanorum Principum pro captivis Senatoribus eluſerit; deinde mortem Regis narrat, quam is in ludo equeſtri, infelici caſu invenit.

Lib. XXIII *Antonii* Navarræ Regis virtutes & vitia deſcribit, utque Reformatorum cauſam deſtituerit. Aperit ſecreta *Guiſiorum* & *Mommorancii*; illos vero contra *Puteanos* fratres viros doctos defendit,

Digitized by Google

dit, qui ex hiſtoria MS. *Ducis Nivernii* in Bibliotheca ſua tunc aſſervata referre, ut ait, ſolebant, deliberaſſe Guiſios, annon majori cum rerum ſuarum utilitate Reformatorum partibus accedere poſſent. Fidem iis derogat Autor, quia edita poſtea Nivernii hiſtoria, nihil tale repertum in ea fuerit. Argumentum tamen hoc non multum movebit illos, qui ſciunt, in librorum editione ſæpe omitti, quæ tutius taceri poſſe videantur. Fatetur tamen Autor, & *Catharinam* Reginam, & omnes fere ingenio & doctrina præditos, ad partes Reformatorum illo tempore propendiſſe. Quæ de *Burgi* actis, & de Reformatorum flagitioſis ad eum a ſupplicio liberandum conatibus addit, ex ſcriptoribus obnoxiis hauſiſſe judicabitur ab iis, qui oppoſitæ partis relationes æſtimant. Idem illis videbitur de narratione conjurationis, quæ dicitur *Amboſiana*, & crimine Principi Condeo imputato, nec non de invidia, qua Calvinum onerat Autor, quod conſilii illius particeps fuerit, ut regnum Galliæ in formam Reipublicæ mutaretur. Sequuntur multa de Lutheraniſmo in Belgio & in Hiſpania, diverſo quidem cum eventu, infeſtato; de morte *Caroli V*, & colloquio ejus cum *Caranza*, hujusque infortunio in præfatione memorato; de combuſto religionis cauſa *Joh. Poncio* Comite Balenio, & ſtatua *Conſtantini Poncii*, qui Carolo V a confeſſionibus fuerat. Notat Hiſpanos plurimos, & nobiles maxime, Lutheranæ religioni addictos fuiſſe, ſed inexorabili Philippi II Regis ſeveritate territos ſecretum ſumma cum ſolertia cuſtodiviſſe. Celebrat Autor felicitatem Regis Hiſpaniæ, quod duris licet mediis hæreſin oppreſſerit, doletque quod idem in Gallia non ſit factum. Culpæ magnam partem conjicit in *Michaelem Hoſpitalium* Galliæ Cancellarium, Calviniſmo, ut putat, occulte addictum. Notat natalium ejus vilitatem, quod avum Judæum *Avenione* habuerit. Præterimus cætera de tumultibus anno 1560 in Gallia excitatis, tot aliis ſcriptoribus memorata. Reliquam libri hujus partem Scoticarum & Anglicarum rerum expoſitione implevit Autor, multa ac ſolicita cum inveſtigatione conſiliorum Eliſabethæ Angliæ Reginæ, & curioſa de illis conjectura.

Liber XXIV incipit a rebus Gallicis, traditque captivitatem & liberationem Principis Condei, mortemq; Franciſci II Regis, cujus cauſam chirurgo Calviniano imputat Autor, omniaque Reformatorum conſilia & facta ſatis acriter perſtringit, unam laudans militaris diſciplinæ

Digitized by Google

plinæ curam illo tempore ab iis adhibitam, ſed non diu ſervatam. Pares affectus in narratione rerum Germanicarum oſtendit, ut & Suecicarum, dira de *Guſtavi* Regis morte referens. Deteriora ſunt & ex falſiſſimis relationibus temere arrepta, quæ de *Melanchthone* hoc anno 1560 mortuo affert. Tradit illum quatuordecim vicibus doctrinam de juſtificatione mutaſſe; moriturum matri, (quam tamen conſtat triginta ante eum annis deceſſiſſe) interroganti reſpondiſſe, novam religionem plauſibiliorem eſſe, ſed Romanam tutiorem. Omnium vero putidiſſimum eſt, quod poſt cladem *Joh. Friderici* Electoris, *Melanchthon* ſalario deſtitutus victum manuum labore quæſiviſſe, & coctori cereviſiæ annos integros tres operam pro mercede locaſſe dicitur. Piget reliqua ſubjungere, quæ de *Flacio* & *Strigelio* (ipſe *Spingelium* vocat) de *Centuriatoribus Magdeburgenſibus*, de quatuordecim Lutheranorum *rigidiorum*, decem *molliorum*, & ſeptem *mediorum* ſectis, itemque de actis in conventu Proteſtantium *Numburgenſi* anno 1561 commentatur, audacter quidem & liberrime, ſed nullo, quod allegare auſus ſit, aut quod, ſi producatur, ab odio & calumnia excuſari poſſit, teſtimonio. *Valdenſium*, quos ad Calviniſmum tunc tranſiiſſe dicit in vallibus Alpinis, victorias anno 1561 adverſus copias Sabaudicas obtentas non tacet, nec quod ſævitiæ in miſeram illam plebem exercitæ inſtigator fuerit Pontifex, cujus tamen pœnituerit Sabaudiæ Ducem, ita ut contradicente licet illo, tandem tamen connivente, exercitium religionis ſubditis iſtis indulſerit. Hi ſunt majores *Waldenſium*, quos ante paucos annos denuo duriſſime habitos & extrema paſſos eſſe intelleximus; ex reliquis, qui fuga ſibi conſuluerunt, aliquos etiam in Germania vidimus; ſuperiore vero anno regreſſos in patriam arma pro Principe ſuo contra Gallos, calamitatis ſuæ pararios, fortiter arripuiſſe; audivimus. Reliqua libri parte *Catharinæ* Reginæ artes, quibus inter factiones de religione & potentia in aula certantes, ſua procuravit commoda, dein acta colloquii *Poſſiaceni* ejusque ſequelæ recenſentur, quas eas fuiſſe judicat Autor, ut ex colloquio illo, & edicto menſe Januario 1561 pro tolerantia Reformatæ religionis publicato, omnia mala derivet, quæ per annos quadraginta florentiſſimum Galliæ regnum ad incitas pene redegerunt. In fine *Gothardi Ketleri* Livonici Ordinis Magiſtri acta, in religionis mutatione & accepto à Rege Poloniæ *Curlandiæ* Ducatu, ſatis odioſe referuntur.

Lib.

Digitized by Google

Lib. XXV laniena Vaſſiaci in Reformatos, ſacris ſuis occupatos exercita, ita narratur, ut Guiſius a culpa liberetur, magnæque violentiæ & crudelitatis accuſentur proceres & cœtus Reformati, qui ſævitia iſta irritati arma per totum fere regnum ſumſerunt. Cardinalis Lotharingus taxatur, quod Lutheranis in Germania, ut eos ab auxiliis in Galliam mittendis averteret, plusquam fas fuerit, indulſerit. Multo magis Condeus reprehenditur, qui ut auxilia ab Anglis impetraret, *Portum Gratiæ* & *Dieppam* in littore Normannico illis tradidit. Concilii Tridentini decreta contra Proteſtantes, & irriti Ferdinandi I Imperatoris ad impetrandum conjugium Cleri & uſum integri Sacramenti conatus prolixe recenſentur. Sequuntur reliqua in Gallia geſta: expugnatio urbis *Rothomagenſis*; mors *Antonii* Navarræ Regis; auxilia Condeo ex Germania adducta; periculum ab eo Lutetiæ intentatum; tractatus pacis inter illum & Catharinam Reginam, absque effectu quidem tunc ſuſceptus; clades & captivitas Condei in prælio Droceníi, aliique cruentæ illius pugnæ caſus; cædes Guiſii in obſidione Aurelianenſi; pacificatio denique Reginæ & Condei ſtudiis anno 1563 menſe Martio inita.

Liber XXVI, qui ſexti Tomi primus eſt, tumultus & bella civilia Galliæ A. 1563 & ſqq. continet; de quibus utpote ſatis notis multa referre ſuperſedemus. Inter alia quæ ad rem literariam pertinent, obſervavit Autor, quod juſſu Reformatorum, qui tunc urbem Lugdunenſem in poteſtate habebant, liber *Caroli Molinæi* celebris JCti Pariſienſis de poteſtate Principum per lictorem combuſtus fuerit, non tam quod ſeditioſæ ejus opinioni non accederent, quam quod Molinæus ipſis inviſus fuerit, quia unus ex omnibus Gallis Lutheraniſmo addictus eſſet, & a Reformatorum communione abhorreret. Eundem tamen librum ab aliis Eccleſiaſtæ cuidam Reformato attributum eſſe non tacet, & ex *Manuſcriptis Lomenianis* decretum Synodi a Reformatis *Catalauni* habitæ allegat, quo contra regiam poteſtatem ſtatuerint, *æqualitatem conditionis humanæ inter potiſſima privilegia libertatis Evangelicæ eſſe, quam Chriſtus ſuo ſanguine veris Chriſtianis promeruerit*. Poſt hæc *Pii IV* Pontificis zelum refert, Cardinalem *Caſtillonium*, item Archiepiſcopum Aquenſem & octo alios Epiſcopos Gallos, imo & *Johannam Albretanam* Navarræ reginam, propter hæreſis crimen Romam citantis, utque illi rigori, avertendi præjudicii cauſa, Rex

Galliæ

Digitized by Google

Galliæ per Legatum interceſſerit. Ex Epiſcopis non niſi tres in Calviniſmo perſeveraſſe ſcribit, interque hos Uticenſem *Johannem Sangelaſium*; qui concionator inter Reformatos factus fuerit, enthuſiaſtæ ſimilis. De *Maximiliani II* Imperatoris ad Lutheraniſmum propenſione, utque juramentum conſueta formula Pontifici non præſtiterit, narrat quædam, quæ cum aliis autoribus collata forſitan non carebunt dubitatione. *Sebaſtiani Caſtalionis*, qui anno 1563, poſtquam Geneva diſceſſiſſet, in ſumma miſeria obiit, verſione Latina Biblica judicium fert, quod autor ſtyli elegantia alios omnes ſuperaverit, ſed affectatione, & depravatione nativi ſenſus, laudem illam corruperit, polygamiam etiam probaverit,& Canticum Salomonis profana interpretatione dehoneſtaverit. In actis anni 1564 iterum mentionem facit Caroli Molinæi, quod *Hoſpitalii* Galliæ Cancellarii ſententiam de non recipiendis in regno Concilii Tridentini decretis ſcripto defenderit, Regi approbato. Mortem ejus per anticipationem memorat; obiiſſe enim dicitur anno 1566, abjurato ſex ante mortem menſibus Lutheraniſmo. De colloquio Maulbrunnenſi conjecturas potius quam hiſtoriam ſequi videtur, ſecreta pandens de Proteſtantium conſiliis, ipſis fortaſſe incognita. Primas in colloquio illo partes tribuit *Joh. Brentio*, quæ *D. Jacobo Andreæ* aſſignandæ erant. In relatione obitus Joh. Calvini, qui in hunc annum 1564, d. 27. Maji incidit, calumniam rejicit, quam alii illi impegerant, & iterum citat *MSS. Lomeniana*, in quibus acta duarum inquiſitionum, Franciſci I & Henrici II Regum juſſu factarum, reperiri dicit, ex quibus conſtet, nihil explorari potuiſſe de crimine, cujus in adoleſcentia ſua *Novioduni* publice condemnatum fuiſſe Calvinum adverſarii ejus tradiderunt. In cenſuram quoque vocat, qui vitam ejus ſcripſerunt. Inter eos *Bezam* panegyricum compoſuiſſe dicit, non hiſtoriam; præfert illi *Drelincurtium*, quanquam & hunc ab adulatione non abſolvat, ſicut nec ab odio & acerbitate Lutheranos *Schluſſelburgium* & *Heshuſium*, in cujus nomine hæſitat, Jacobusne an Tilemannus dicendus ſit. Eodem loco habet *Franciſcum Balduinum*, & *Hieron. Bolſecum* ejusque interpretem Latinum *Jacobum Laingium* Scotum. Probat *Gillotii* elogium de Calvino, quod omiſſo autoris nomine inter *Petri Maſſonii* ſcripta extare notat. In *MS. Grotii, de vita Calvini*, cujus mentionem facit, candorem deſiderat, & Arminianiſmi ſtudium taxat. De *Georgii Caſſandri* actis &

libris

Digitized by Google

libris, itemque de *Friderico Staphylo* ſubjungit, quæ lectu haud indigna ſunt, vix tamen cum aliorum traditis ſatis convenientia, qualia nec ea ſunt, quæ de reformatione Palatinatus ex actis anno 1546. per occaſionem commentatur, inter quæ typographi forte errore pro *Friderico II Electore* neſcio quem *Volfandum* nominat.

Libro XXVII ad anni 1566 hiſtoriam progreſſus, cauſas & primordia motuum Belgicorum exponit. Iſta, licet ab innumeris pene ſcriptoribus tradita ſint, nova tamen ſpecie induit, eaque narrat cum varietate & induſtria, ut absque faſtidio legantur. Incipit a conſilio Philippi II Hiſpaniæ Regis, de novis in Belgio Epiſcopatibus ad extinguendam hæreſin inſtituendis, & inquiſitionis tribunali erigendo, quali a Ferdinando Arragonico, ſub prætextu exſtirpandæ impietatis Judaicæ & Muhamedanæ, Nobilitatem Hiſpanicam, ad rebelliones antea pronam, in ordinem redactam eſſe tradit. Inquiſitionis vero illius hiſtoriam a *Sancto*, quem vocant, *Dominico* repetit, cujus rigore ab Albigenſibus purgata eſſe dicitur Gallia. Sed proceſſum Hiſpanicæ *inquiſitionis* iis depingit coloribus, ut ſine horrore vix dimittat legentes. Calvini poſtea artes refert, quibus, per diſcipulos ſuos, Belgas a Lutheraniſmo ad ſuam traduxerit ſectam, & Philippi Regis ſeveritatem narrat, qua, poſthabito Theologi, quem a confeſſionibus habebat, mitiori conſilio, & probata Albani Ducis ſententia, in Belgas uti decreverit, unde florentiſſima illa regio theatrum ſævitiæ & belli acerrimi facta eſt. Id providentiæ divinæ tribuit, impenſo in eam rem auro Philippi,ex India advecto, quo totam Europam ſubjugare potuiſſet. Ex rebus Gallicis annorum 1566 & 1567,continuata bella cum Reformatis, artificia Catharinæ Mediceæ,ſimultates inter Regem *Carolum IX*,& *Henricum* fratrem Ducem Andegavenſem,pacta denique cum *Condeo* recenſentur,ſatis trita omnia aut pleraque. Abſolvit tamen Autor *Condeum* a crimine, quo eum *Surius*, *Natalis Comes*,& *Michaël ab Iſſelt* infamarunt, ac ſi Regem Carolum IX ſolio dejicere,& in ejus locum aſſurgere voluerit: negat enim monetam ab illis indicatam, in qua *Ludovici XIII* nomen ſumſerit, reperiri; neque inter tot alia a Gallis Catholicis tale quid illi objectum unquam fuiſſe ait.

Liber XXVIII, cum parte aliqua ſequentis, narratione rerum Scoticarum occupatus eſt. Orditur Autor a temporibus Jacobi III, anno 1488 cæſi, qui nominationem Epiſcoporum ad ſe traxerit,easque

Digitized by Google

& alias præcipuas functiones in Eccleſia familiaribus ſuis tribuerit, indoctis & impiis, unde ſecuta ſit populi corruptio. Sed mala iſta reformationis autores etiam in illis locis deprehenderunt, ubi jus eligendi & præſentandi integrum *Capitulis*, quæ vocant, aut aliis, ad quos ab antiquo pertinebat, manſit. Altiores itaque radices habuit Eccleſiæ calamitas, primariaque ejus cauſa fuit neglectus verbi divini & catecheſeos. Agnoſcit hoc Autor, cum tradit, ſtatim atque verſiones Biblicæ & libelli catechetici in Scotiam illati fuerint, avide ad doctrinam percipiendam homines concurriſſe. Primum Evangelicæ doctrinæ in Scotia præconem *Patritium Hamiltonum* in academiis Lutheranis Germaniæ inſtructum, dein & alios nominat, quos Jacobus V Scotiæ Rex ſupplicio religionis cauſa affecit; meminit etiam *Alexandri Aleſii*, quem in Lipſia noſtra Profeſſoris munus geſſiſſe notum eſt. Is ex Scotia, ut Franciſcani inſtituti monachus, profugus, nomen illud, quod olim *Thomæ Aquinatis* præceptor habuit, diſſimulato vero, aſſumſiſſe dicitur. Inſectatur *Joh. Knoxum*, quem itidem in Germaniam, inde vero Genevam profectum, & Calvini diſciplina & conſiliis inſtructum in Scotiam rediiſſe & hæreſin propagaſſe, moribus etiam (ſic referentibus, ut ipſe addit, Catholicis) infamem fuiſſe ſcribit. At neminem mortalium ſceleratiorem fuiſſe oportet, ſi Varillaſio, & quos ille ſequitur, autoribus credendum eſt, quam *Jacobum Moraviæ Comitem*, filium Jacobi V naturalem. Huic enim omnia flagitia aulæ Scoticæ, cædem etiam *Henrici Stuarti* (quem Maria Regina maritum ſumſerat, Jacobi Magnæ Britanniæ poſtea Regis patrem) & infame *Jacobi Bothuelli* cum Maria Regina connubium, imo quicquid alii Mariæ exprobrant, confidentiſſime attribuit. Nec Eliſabethæ Angliæ Reginæ parcit, imo omnium ferè motuum, quibus Scotia afflicta illo tempore eſt, ream facit; Mariæ vero non ſolum pulchritudinem, morum venuſtatem, ingenium, animumque tam hilarem, ut ne infans quidem ploraſſe viſa ſit, ſed & pietatem aliasque virtutes mire prædicat.

Libro XXIX, poſt ea, quæ ad res Scoticas & Anglicanas pertinent, & quorum mentionem fecimus, iterum de Imperatoris Maximiliani II miti ingenio & inclinatione ad Lutheraniſmum, tum, quomodo Pontifex Pius V per Cardinalem *Commendonum*, fruſtra eum a propoſito dehortatus ſit, Philippus vero II Hiſpaniæ Rex nuptias

Digitized by Google

nuptias filiæ ejus ambiens illud impediverit, ita commentatur, ut de ſuo non pauca admiſcere videatur. Hac occaſione tragicum caſum Caroli, Philippi Regis filii narrat, ut & Iſabellæ novercæ ejus. Ad Belgica progreſſus, Albani Ducis, poſtquam *Margaretha Auſtriaca Parmenſis* gubernatione ſeſe abdicaſſet, acta anno 1568 refert: ſupplicia nempe procerum *Egmondani* & *Hornii*, imo promiſcuam ſævitiam, interfectis carnificum manibus multis millibus ex populo, confiſcatis bonis, & abolitis privilegiis; proſtratas fugataſque copias Naſſoviorum; donatum Albano a Pontifice præmii & honoris loco gladium; erectam denique Antverpiæ ſtatuam, qua miſeris ſuperbe inſultabatur. De rebus Gallicis exponit *Catharinæ Medicea* jam ſerium ad opprimendos Reformatos propoſitum; *Hoſpitalii* Cancellarii exilium ab aula; *Caroli Lotharingi* Cardinalis fervorem, & obtruſam proceribus & magiſtratibus juramenti, quo in Reformatorum cladem obſtringebantur, formulam; commiſſam Henrico Regis fratri vicariam in regno poteſtatem, cum exercitus in Reformatos ducendi imperio; ſubmiſſas Condeo, qui Reformatorum caput erat, auxiliares ex Germania copias, cauſaſque novi belli acri ſcripto ab illo publicatas. A rebellionis quidem crimine minime abſolvit eum Autor, neque tamen fidem adjicit illis, qui tradiderunt, miſſum fuiſſe ab illo & Reformatis, qui auxilia Turcica Conſtantinopoli imploraret. Refert, quomodo quibusque conditionibus a Pontifice Rex obtinuerit, ut ex Cleri bonis reditus annui quinquaginta ſcutatorum millium alienarentur, unde ſors decies centenorum millium confici potuit. Succeſſus belli hoc & ſequenti anno is fuit, ut Condeus quidem in prælio ad Jarnacum occubuerit, partes tamen Reformatæ fractæ illo caſu non fuerint, neque magnum ex morte Condei dolorem, ut Autor putat, conceperint. Ille enim (ut dicit) religionem obtentui habuiſſe, neque alia mente caput factionis fuiſſe videbatur, quam ut ambitioni ſuæ ſatisfaceret, in Guiſios ultionem exerceret, & denique impediret, ne Reformati rempublicam in regno conſtituerent. Unanimi inde decreto *Caſparo Colinio* Thalaſſiarchæ regni, ſive *Admiralio* delatum eſt Ducis munus: ſed hic tam cautus fuit, ut rem teneret, titulum in Henricum, Navarræ Regem, quindecim tunc annos natum, devolveret.

Libro XXV res Suecicas tractat Autor, ſed ita, ut memoriæ & actis Guſtavi Regis haud parum detrahat, quædam etiam tradat, quæ,

Digitized by Google

ſi cum aliis ſcriptoribus conferantur, contradictiones non parvas ſubi-bunt. De Erici quidem Regis moribus & exitu multo meliora referre non potuit, præſertim de vili conjugio, quo ſe ipſum dehoneſtavit, & fratrem omnesque regni proceres in ſe concitavit, eo ipſo tempore, cum Landgravii Haſſiæ filiam miſſa legatione uxorem peteret, pro qua Varillaſius, qui vel ex Thuani *Lib. XXXII* rectiora diſcere potuiſſet, Electoris Saxoniæ filiam ſubſtituit. Dein ubi *Ponti de la Gardie*, magnæ virtutis & dignitatis viri adventum in Sueciam, quamque ibi fortunam invenerit, refert, non tacet quidem Gallum fuiſſe, ſed in pago quodam natum eſſe dicit, omiſſa nobiliſſimæ familiæ, ex qua genus duxit, mentione. Commune hoc habet cum Maimburgio & quodam Typotio, de cujus calumniis queritur inſignis hiſtoriæ de *Ponti* vita nuper editæ, & in Acta noſtra anno 1690, p. 197. relatæ autor, *Claudius Arrhenius*, in qua etiam Maimburgio reſpondetur. Quæ vero poſt iſta de colloquio Altenburgenſi, inter Theologos Saxonicos anno 1568 habito, commemorat Varillaſius, ſpecialem refutationem fortaſſis provocabunt. Nos omiſſis cæteris, errores ſaltem hiſtoricos duos adhuc paucis notamus. In Saxonia Electorali (p. 284.) tres nominat Academias, *Wittenbergenſem*, *Lipſienſem* & *Miſniam*: in Saxonia Ducali duas, *Jenam* & *Thuringiam*. Incredibile profecto eſt, virum tot librorum autorem tam confidenter de rebus, hominibus & locis, ſibi ut apparet, ignotiſſimis, & inconſultis tot peritiſſimis ſcriptoribus, commentari. In eadem narratione ex *Johanne Guilielmo* Duce Saxoniæ primogenitum Johannis Friderici Electoris filium facit, ſecundumquem fuiſſe nemo neſcit. Vocat eum *Ducem Altenburgenſem*, cum tamen non niſi poſt annos plusquam triginta, diviſione inter illius & fratris filios inita, Altenburgum ſedem & nomen Ducatus obtinuerit. Conjici hinc poteſt, quam vera & accurata ſint reliqua, tum etiam quæ de colloquio Cracovienſi recenſet. Certiora ſunt, modo affectibus carerent, quæ de bello in Gallia continuato congeſſit, acri quidem cum Reformatorum & *Colinii* inſectatione. Hujus non tantum acta, ſed & cogitationes examinat & interpretatur. Interſerit multa de Valdenſium in vallibus Alpinis motibus & cum Sabaudiæ Duce conflictibus, ſecutaque eo tempore pacificatione. Reliqua exhibent obſidionem Pictavienſem a Reformatis fruſtra ſuſceptam, cladem que illorum ad *Montconturium*, aliosque funeſtos illius belli caſus.

Joh.

Digitized by Google

JOH. CHRISTOPH. VVAGENSEILII DE Hydraſpide ſua, ad Pet. Valkenierium Epiſtola.

Altdorffi Noricorum, apud Joh. Hofmannum, 1690. in 4. Plagulis 12.

QUamvis primarium hujus epiſtolæ argumentum concernat *Hydraſpidem* ſive inventum ab Autore celeberrimo adverſus extrema aquarum pericula munimentum ac præſidium; tamen cum plura inſuper alia contineat notabilia ſcituve jucunda, non incongruum fore putamus, ſi paucis ea prælibaverimus, antequam ad illud propius accedamus. Scilicet promiſerat Noſter non ita pridem Ratisbonam transiens, *Petro Valckenierio*, Potentiſſimorum Fœderati Belgii Ordinum ad S. R. Imperii Comitia Legato, itineris ſui, Viennam Auſtriæ indeque porro in Hungariam, negotiorum quorundam cauſa ſuſcepti, rationem reddere ejusque eventus perſcribere. Hoc ergo quod pollicitus tum fuerat, jam executurus, primo exponit, quam jucundum ſibi Viennæ commoranti fuerit cum *Daniele Neſſelio*, Auguſtæ Bibliothecæ Cæſareæ Præfecto, familiariter converſari. Inde commemorat *ſuburbanam*, quæ ibi non ita pridem inſtitui cœperit *Nobilium literariam & equeſtrem Academiam*: de cujus futuro ſplendore & egregia utilitate plura graviter diſſerentem inducit illuſtriſſimum ejus Directorem *Ottonem Ehrenricum, Abensbergium ac Traunium Comitem*; cujus nempe ſuaſu potiſſime magnificum illud opus occœptum fuit in gratiam generoſæ Auſtriacorum Procerum ſobolis, ut & adoleſcentum ingenuorum aliorum, ex remotioribus regionibus illuc ſe conferre cupientium; ne videlicet (ut hactenus fere factum ex inveterata opinione, ac ſi in Gallia tantum diſcere liceret, quomodo mentem ſanam corpusque ſanum tractare oporteat,) opus haberent longinqua eum in finem itinera ingredi & maria transmittere, non exiguo patrimonii, quin & morum ſæpius ac probitatis diſpendio; ſed propius offenderent, unde omnem hunc cultum, minimis etiam ſumtibus, (ſcilicet trecentis circiter in ſingulos annos florenis) ſibi comparare poſſent. Inter cæteras Urbis Viennenſis munditias, quas novas ibi repererit, ſpeciatim recenſet *Lucernas*, quæ nocturno tempore nunc totam per urbem accendantur,

Digitized by Google

cendantur, ejuſdem figuræ omnes ac æquis ſpatiis diſpoſitæ, quo tutior per plateas & compita ſit ambulatio: item *ſuburbiorum* novam ſpeciem, dum in locum everſarum nuper ab hoſte ædium, meliores paſſim ac majores ſubſtituantur: locum inprimis, ubi Judæi quondam habitaverint, ita ait mutatum eſſe, ut non amplius eum cognoverit. Recordatus vero hac occaſione familiaritatis ſibi quondam cum Rabbinis ibidem habitæ, plura de Judæis diſſerit, ac imprimis perhibet, ſe in Hungaria, Moravia, Bohemia pleroſque eorum reperiſſe valde ignaros rerum ſuarum, libriſque paucifſimis inſtructos: creditque ex tædio potiſſimum tamdiu fruſtra expectati Meſſiæ provenire, quod ſegnius nunc literis ſuis incumbant fere, nihilque præter quæſtum dulce habeant. Unde teſtatur in ipſa etiam Praga, quæ Academiæ vicem iis ſemper hactenus ſubierit, admodum inſcitiam & πατροπαραδόσεων ignorationem dominari; judicatque fieri aliter non poſſe, quam ut futura ipſorum progenies multo evadat imperitior, poſtquam quicquid ibi fuerit librorum Hebraicorum una cum civitate eorundem incendio nuper perierit: arſiſſe enim ibi plures omnino tales libros, quam, ſolam Poloniam ſi excipiamus, reliqua complectatur Europa univerſa. Qua occaſione arcanam illam artem reſtinguendi incendia, quam jactare Judæi conſueverunt, exagitat. Refert porro, in itinere per Hungariam dono ſe accepiſſe a viro quodam antiquæ virtutis fideique, *Nadrugalam* radicem, in ſolo monte Carpatho provenientem, præſentiſſimum novumque adverſus immedicabiles, ut hactenus creditum, *Podagræ* dolores remedium, & cujus ipſe, qui dederat, non ſine numine compos factus fuerit. Nimirum certis nuntiis ad ipſum eſſe perlatum, Sarmatiæ quendam accolam, omnibus membris ita extortum ac ægrum jacuiſſe, ut ne in lectulo quidem, niſi ab aliis, moveretur: hunc adhibuiſſe iſtam medicinam (quod fiat, epotando lac, in quo probe contuſa radix ad dimidias percocta ſit) atque tum in ſoporem prolapſum per univerſas XLVIII horas jacuiſſe, ut caudicem & ſtipitem; nec alio indicio, præterquam ſolo anhelitu, vivere ſe declaraſſe: cum vero denique evigilaſſet, non crediddiſſe, ſe eundem eſſe, omnis nempe ægrimoniæ jam expertem: hinc e ſtrato ſurgentem ſtupentibus amicis ac neceſſariis, quid de ſe factum ſit narraſſe, paratoque convivio, cum in cœna ſe invitaſſet pluſculum, in multam noctem ſaltaſſe ac tripudiaſſe. Exiſtimat vero Noſter, cruciatuum impotentem intendiſſe

intendiſſe medicamentum ultra præſcriptum; & parcius illo uſuros æque bene, utique citra lethargum, paulo tamen tardius convaleſcere poſſe. Denique memorat Nicolaiburgi in Moravia ſemet inter indocti cujusdam Judæi libros, multo conſitos pulvere, quædam non contemnenda reperiſſe & comparaſſe: Speciatim vero *Bibliorum binos Codices* manuſcriptos, *Hebræum* alterum, alterum *Latinum*, ob auctaria præcipue notabiles: *illi* enim additum eſſe libellum Chaldaicum, qui *Hiſtoriam Antiochi Epiphanis* recenſeat, eoque ſermone nunquam hactenus apud nos fuerit viſus: licet Hebraice extet in quarundam Precum Judaicarum editionibus, ac legi ſoleat a Judæis in Feſto Encæniorum. *Alteri* vero codici, Biblia Latina vulgata complectenti, poſt Vetus, ante novum Teſtamentum adhærere libellum, prorſus quaſi ſacer foret, cui nomen, *Morale Somnium Pharaonis:* ac autorem ejus eſſe *Johannem Lemovicenſem*, qui ingenium exercendo, Epiſtolas aliquot, quaſi a Pharaone, Ægypti Rege ejusque miniſtris ad Joſephum Jacobi Filium, & ab hoc ad illos ultro citroque miſſas, pro eruditione & genio ſuperiorum ſeculorum effinxerit: ſcriptum vero librum eſſe ad *Theobaldum*, *Navarræ Regem*, *Campaniæ Briæque Comitem Palatinum:* eum ipſum, qui Blancam, Sanctii IV filiam unicam ſibi connubio jungendo Navarræ regnum nactus, anno epòchæ Chriſtianæ 1216 diem ſupremum obierit. Hunc ipſum vero libellum, doni cujusdam loco, epiſtolæ huic ad *Valckenierium* ſubnectere, adeoque typis exſcriptum, antiquitatis veneratione, ab interitu vindicare placuit, licet mutilum quodammodo, cum in eo duæ circa calcem (nempe *XIX. Detractorum ad Joſeph ſuper Regis Reformatione, & XX, Joſephi ad ipſos, ſuper eorum Conſolatione*, perſcripta (prout ex earum Syllabo circa frontiſpicium exhibito apparet,) deſiderentur epiſtolæ. Alios præterea duos libros, Hebraicos itidem ac ineditos, ibidem ſe redemiſſe perhibet, quorum alter *Apologos Sandebaris, viri Sapientiſſimi*, alter (cui titulus, *Templum Domini*) ritus ac Ceremonias ſacras antiquæ Judaicæ Eccleſiæ complectatur. Spondet vero ſeſe utrumque eorum, cum otium & opportunitatem nactus fuerit, publici juris facturum. Quod ſupereſt, pluribus commemorat, quanta comitate, ad Cæſaream audientiam admiſſus ſemel iterumque, ab Imperatore Clementiſſimo exceptus fuerit, cui munuſculi loco attulerat aliqua ex lucubrationibus, ut & *Hydraſpidis* ſuæ iconiſmum, cujus jam, a ſe inventæ, occaſionem ac utilitatem latius

exponit,


Digitized by Google

exponit, utpote quæ, teſte rubrica, primarium hujus epiſtolæ argumentum eſt.

Scilicet ad eam comminiſcendam inductum ſemet primum perhibet ex conſiderato anſerum anatumque natatu, unde in mentem venerit reputare, annon fieri poſſet, ut homines iſta quoque animalia natando imitentur, prout piſces hactenus magiſtros & in arte natandi & in navigiorum, remis clavoque inſtruendorum, fabrica fuerint ſecuti. Et mox quidem ſe recordatum eſſe technaſmatis illius, quod in *Schwenteri Deliciis Phyſico-mathematicis Part. XII. probl. 15. 16 & 17.* propoſitum extat: ubi nempe docetur, qua ratione perizonium caligæve, bulgis vento farctis muniri queant, quibus inſtructo aquis inambulare absque ſubmerſionis periculo liceat. Re tamen penitius perpenſa ſubortam ſuſpicionem, nihil fortean iſtic experti cognitique proditum eſſe, ſed tantum, quid fieri poſſit, edoceri, relicta cuique poteſtate, ut ſucceſſus pariter eventusque faceret experimentum: deprehendiſſe præterea, ſi vel maxime res procederet, ipſum tamen multiplicem apparatum, qui ad machinam parandam exigatur, eam permoleſtam ac fragilem reddere periculisque & incommodis variis obnoxiam, maxime cum adhibendi inſuper ſint cothurni plumbei æqualis fere cum natatore ponderis, non absque notabili utentis carnificina. Subiiſſe proinde animo, tentare, annon e ligno parari machina poſſet hominem in aquis ſuſtentans, & id amplius conferens, ut in natando paria cum cygnis, anſeribus & anatibus facere is valeret: atque ſic poſt aliquammultas periclitationes prodiiſſe tandem machinam, quam in adjecta *Tabula* delineatam dedit: cujus quidem eam palmariam bonitatem exiſtimat, quod ſemel illam vel limis oculis e longinquo vidiſſe ſufficiat, ut integra pernoſcatur: cum nil plane reconditi aut difficultatis habeat, prorſus ut illius conficiendæ rationem ex natura ipſa hauſiſſe & arripuiſſe videri queat, ac bis mirum ſit, haud quenquam ante ipſum tale quid advertiſſe, cum ad hunc natatum vere non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti eſſe dici valeamus. Nimirum machina *ABCD*, quæ pectus cingit, alvum aquaticarum avium æmulatur; ſtructura quidem adeo ſimplici conſtans, ut nemo fabrorum lignariorum & ferrariorum tam rudis exiſtat, qui non operam ſuam in ea paranda locare poſſit: id tamen ſimul commodi habens, quod ejus cavitas, ad quam per feneſtellas *E* & *F* aditus patet, alimoniam, parce ea uſuris in mul-

TAB. II. *Fig. 1, & 2.*

Fig. 1.






Fig: 4.

Digitized by Google

in multum tempus ſuffecturam admittat, aut auri & argenti, gemmarum aut ſyngrapharum, diluvio in caſu neceſſitatis eripiendarum, bonam copiam capere queat. Perinde vero eſſe ait, ſive utrinque ejusdem generis fibulatione *GH* claudatur, ſive in parte anteriori uncini *IK* retinaculo; anſas denique *LM* ad hoc inſervire, ut quis ab aliorum auxiliis deſertus commode *hydraſpide* hac munire ſe, & onus extra aquam (intra eam enim, cum fluitet machina, gravitatis nullum ſenſum eſſe) allevare nonnihil poſſit, ne nimis lumbi prægraventur. His porro accedunt *pedum remigia*, anſerum anatumve pedibus gemella, dum prout uſus expoſcit, aut pandunt ſeſe aut contrahunt; quorum ſpecies in *Figura III & IV*, altera nempe pronam, altera ſupinam eorum faciem exhibente ſiſtitur. Hæc ipſa vero a quolibet ſutore parari facile queunt, conſtantque ex triplicis corii craſſiſſimi alis mobilibus *NO*, explicantibus ſe & coarctantibus, ſoleæque ligneæ *P*, cui pes inſiſtit, ferro, cardines illarum permeante, *QR* adaptatis: quanquam nihil impedire putet, quo minus alæ quoque, ut reliqua fere univerſa ex ligno fieri valeant: his tandem accedunt ligamenta *S*, quibus ea pedibus adſtringuntur. Sed iſtis etiam palmipedalibus calceis prorſus carere quem poſſe innuit, & nihiloſecius nudæ *hydraſpidis* adminiculo pericula impetuoſi maris, aut alveum egreſſi ac demiſſioribus terris alte ſuperfundentis ſeſe fluminis effugere: quandoquidem iſti haud admodum neceſſarii ſint, niſi cum placidum ventis mare, aut ſtagnantes undas quis emetiri, vel currentem fluvium prævertere inſtituat: motum enim in latera & circulum quod attinet, eum jam ex ſententia citra adjumentum vel ſolis corporis agitationibus peragi poſſe. Ne vero res in mera ſpeculatione ſubſiſtere videretur, non omiſit Autor enarrare, quomodo Imperator (cui nempe, uti dictum, *hydraſpidis* iconiſmum cum ea muniendi homuli ſimulacro, attulerat ſecum) juſſerit, ut juſtæ magnitudinis machina parata, in ipſo Danubio deponeretur rudimentum ſpeciminis; præſtitum vero id ait in loco, ubi fluvius ex divergiis ſuis eluctatus ac in ſe collectus faciat gurgitem, rapidaque deinde celeritate ſeſe provolvat, ventis etiam tum impetuoſe flantibus: cui adfuiſſe perhibet primarios tres aulæ Cæſareæ Miniſtros, magnamque præterea plebis inuſitata noſcendi ſtudio excitæ, frequentiam. Vidiſſe vero omnes, homini eo ſcuto armato nullum ab aquis eſſe periculum, quantocunque etiam impetu ferantur; prætereaque illo, quo properet

TAB. II. *Fig. 3. & 4.*

F fluvius,

Digitized by Google

fluvius, aut aquarum eluvies, nullo negotio poſſe quem evadere: licet ex una ripa in oppoſitam, aut contra flumen contendens non parum difficultatis experiretur: quod quidem minus mirum videri debere arguit, cum alioqui parvus etiam amnis ægerrime remis, contis, remulco vel equis, adverſus ſuperetur, ne dum ſolorum pedum remigio.

Uſus jam novæ hujus machinæ per ſe quidem ſatis evidens eſt: *quadruplicem* vero potiſſimum Noſter in vernacula dedicatione, qua ſuam Hydraſpidem (*Waſſer-Schild*) inſcripſit Majeſtati Cæſareæ, commemorat. Scilicet 1. inſignis ejus utilitas eſſe poteſt naufragii tempore, dum ea inſtructus ab immenſis undarum fluctibus non majus periculum ſuſtinet, quam quale cygni anateſque inde perſentiſcerent, hoc eſt, nullum: præterea nec veſtibus ſe nudare opus habet, nec inediam tolerare, cum vel ad 14 & plures dies victum ſecum portare valeat. 2. inſervit ad effugiendam ſubitam aquarum vim, impetuoſo diluvio decliviora loca pervadentium: ſi enim ibi habitans talem machinam, in ſuperiori ædium parte ad futuros caſus aſſervatam, in promtu habeat, facile & ſemetipſum eripere, & unum alterumve e tenellis liberis, quin & pretioſiſſima quæque cimelia ſecum abſportare poteſt. Præter duplicem hunc uſum primarium adhiberi eadem apta eſt 3. in bellis, ſi qua militum manus ad occupanda loca hoſtilia, aut explorandi gratia clam flumen aliquod transmittere jubenda ſit: (maxime cum facta exſcenſione Hydraſpidis pondus portantium humeros vix tantum gravare queat, quam antiquorum clypei) denique 4. ad varias recreationes luſusve in aquis peragendos, dum ita & perſonatas Sirenes, muſico cantu aures oblectantes repræſentare, & aquaticis avibus aliiſque animalibus inſidias commodiſſime ſtruere in proclivi eſt. Cæterum non diſſimulat Autor, quid aquilex Cæſareus, qui experimento ſimul adfuerat, in ea deſiderarit: cauſatum nempe fuiſſe, ſimplicitatem machinæ habere aliquid inelegans ob imæ partis rotundam æqualitatem: convexam enim fieri potuiſſe, ne illud quodammodo capſulæ genus referret, quod Italis *una Scatola*, Germanis *Schachtel* dicitur. Placuiſſe hoc ſibi Noſter ait, quod ex eo argumentum ceperit, probare illum cætera, quia aliquid reprehendiſſet: attamen parum nos de cultu aut ſpecie ſolicitos eſſe debere judicat, ubi de clauſtris erebi effugiendis agatur: ſi tamen maxime ornatus cauſa *hydraſpidem* ſubtus arcuare quis mallet, præterquam quod pretium ita una cum labore & artificio augeatur,

Digitized by Google

geatur, verendum putat, ne creſcente ſic mole coxendices impediantur in remigando commovere ſe, & gradum, cum opus fuerit, accelerare: quamobrem ſuadendum haud exiſtimat, ut pulchrior componatur machinæ forma, niſi ad utilitatem ſimul id conducat inſigniter: non vetat tamen, quin (præterquam quod fabri dexteritas machina leviori parata ejus moleſtiam multum allevare queat: unde teſtatur eam quam apud ſe ſervet Hydraſpidem, iſta quæ Viennæ confecta fuerat, duplo leviorem eſſe) delicatam quis magis faciat, emolliendo intimam partem, quæ pectus ambit, corio, quod pilis cervinis aut goſſipio ſuffarcinari poſſit. Quod ſupereſt, finale Inventoris votum & noſtrum facimus, ut nempe homines impoſterum quamplurimi *hydraſpidis* hujus auxilio ſalvi ſanique ex undis minacibus & mortiferis ad tellurem enatent, Deumque Servatorem inde celebrandi ampliſſimum nanciſcantur argumentum.

OBSERVATIONUM MEDICINALIUM CENturia, a D. Paulo Spindlero Poſonii quondam conſignata, nunc collecta, in ordinem redacta, ſcholiis propriisque obſervationibus aucta &c. Studio & opera Caroli Raygeri M. D.

Francofurti ad Mœnum. Typis & Sumpt. Philippi Fievez. A. 1691. in 4. Conſtat plagulis 86.

PArciora ex Hungaria Scripta hactenus vidit Medicina, neque alia, quam *Cöberi Decades Obſervationum Caſtrenſium*, ſparſæque Obſervationes Miſcellaneis Celeberrimæ Naturæ Curioſorum Academiæ inſertæ, innoteſcunt; vel quod nemo Hungarorum literis quidpiam conſignavit, vel quod ea, quæ a nonnullis congeſta fuerunt, continui bellorum tumultus diſtraxerunt ac peſſum dederunt, quemadmodum Clariſſimo noſtro Editori videtur. Etenim hic, ne ſimilem præſens Conſanguinei ſui Obſervationum Centuria experiretur ſortem, tanto promtius eam cum publico communicare communicatamq; Scholiis illuſtrare voluit, quo pluris etiamnum in Hungaria ipſius Autoris, Ratisbonæ qui vivere deſiit, & nomen & medicamenta æſtimantur; poſthac Georgium quoque Wernherum de admirandis Hungariæ aquis, propriumque de Eudemiis & Epidemiis Hungariæ fœtum exhibiturus. *Obſervatione prima*, quam cum paucioribus aliis delibabimus,

Digitized by Google

mus, mendicus publicus, cranio licet exeſo cerebroque partem mediam putredine conſumpto, ſupervixiſſe, aphonus tamen, perhibetur. *Obſ. 2.* cephalalgia ſiſtitur diuturna, verme lato per ſuperiora ab uſu Gummi Guttæ ejecto, inducias concedens. *Obſ. 12.* vertigo pertinaciſſima indigitatur, a polypo utrisque naribus ſuccreſcente ſedata. *Obſ. 14.* in catharris materiam interdum exſpui puriformem absque phthiſi, duobus exemplis evincitur. *Obſ. 19.* obauditionem in febribus malignis non ſalutare ſemper ſignum, ſed triſte ſæpius præſagium eſſe graviſſimi capitis affectus traditur. *Obſ. 27.* bini phthiſici colica enarrantur allevati. *Obſ. 29.* pulmonum vomica aſphyxiæ in infante cauſa per Anatomen detegitur. *Obſ. 37.* febrem petechialem in principio aliquando videri catharralem innuitur. *Obſ. 39.* præter alia, quæ circa peſtem Poſonienſem A. 1644. annotantur, oleum juniperinum nonnullis unice profuiſſe, ac veſpillonem quendam ſolo oleo ſcorpionum interne & externe adhibito reſtitutum fuiſſe, commemoratur. *Obſ. 48.* miles quidam, olim ſclopeto ſub coſtis nothis trajectus, veſtigium vulneris monſtraſſe fertur, fæces alvinas ſaltem, ubi nimium cibi vel potus aſſumptum fuit, eructantis. *Obſ. 52.* in vidua, poſt aſthma diuturnum aſcitica, porus aliquis cutis ſponte recenſetur apertus, tantum ſeri profundens, ut toto abdomine ſubſidente illa ex ſolo Rob ſambuci vel ebuli uſu reconvaluerit. *Obſ. 65.* vir quidam ob amnium uxoris, quod hæc periapti loco gerebat, impotens conjicitur. *Obſ. 74.* mentio injicitur molæ carneæ, intus cavæ & aqua multoque ſabulo arenoſo, quin & lapillis friabilibus, inſtar piſorum, repletæ. *Obſ. 88.* variolæ deſcribuntur epidemiæ A. 1660, cum petechiis & veſiculis nigris ægros corripientes, licet anno proxime præcedenti ſatis benignæ extiterint. *Obſ. 98.* vulnus a cane nondum rabido, qui a rabidis tamen aliis ſæpius morſus credebatur, inflictum atque incautius tractatum exhibetur lethale. Cæterum ſingulæ obſervationes conciſis propoſitæ verbis, Scholiis prolixioribus a *Nobiliſſimo Editore* ita dilucidantur, ut ubivis fere affectuum morbidorum non ſaltem natura & medela uberius declarentur, ſed & caſus cumprimis paralleli aliorum æque Autorum ac proprii adducantur. v. g. ad *Obſ. 10.* quæ varia circa apoplexiam annotat, propriis exemplis, tum pulſum fortiſſimum in plurimis apoplecticis ad mortem usque perſeveraſſe, tum ſæpius pulſum alium in carpo dextro, alium in ſiniſtro deprehendi, potiſſimum in ſauciatis & male curatis, com-

proba-

probatur. Ad *Obſ. 12.* Errhinum ſingulare docetur, Empirico cuidam quondam arcanum, ex Euphorbio præparandum. Ad *Obſ. 26.* a vermibus affectum interdum produci, qui pleuritidem mentiatur, aliquot exemplis confirmatur. Ad *Obſ. 31.* aſthmatis cauſam primariam ſæpiſſime in abdomine deliteſcere, diſſectione duorum aſthmaticorum demonſtratur, ceu in quibus pulmones ſani, inteſtina vero ad rupturam usque inflata apparuere. Ad *Obſ. 42.* acidulæ in cholera humida commendantur, exemplo cujusdam podagrici, qui diu lecto affixus, cum derepente bilem per ſuperiora & inferiora, torminibus, præcordiorum compreſſionibus, & ſiti maxima concomitantibus, ejiceret, ab uſu acidularum Rohitſchenſium, tantum fallendæ ſitis gratia primum præſcriptarum, convaluit. Ad *Obſ. 72.* febris alba non tam a menſibus ſuppreſſis, quam digeſtionis primæ derivatur vitio, eo quod chalybeata proficua deprehendantur, p. n. ventriculi acidum abſorbentia, ſemperque pica præcedat, multarum virginum teſtimonio, quas inter deſponſata quædam refertur, prohibita ſaltem glacie, cujus eſu mire delectabatur, & matrimonio ſubſequente reſtituta. Ad *Obſ. 96.* dum mira ex terrore ſymptomata exponuntur, præter alia mentio fit Illuſtriſſimæ cujusdam Comitiſſæ, ob arcis, quam inhabitabat, invaſionem nocturnam aphonæ redditæ, absque eo, ut loquelam unquam recuperarit. Attamen diſpoſitionem omnino ad hunc vel illum morbum jamjam in corporibus ſubeſſe animadvertitur, cum peſte præterita plurimi ob viſos elatos demortuos aut in platea cadentes perterriti, haud tamen peſte correpti fuerint. Tandem *Martini Rulandi* Sen. adjicitur *Theſaurus Medicus*, pro filiis ſuis chariſſimis quondam conſcriptus & Spindlero ab Autoris ex filio Martino Rulando Medico Cæſareo nepote, Joh. Davide Rulando per teſtamentum relictus, plerorumque morborum, ſecundum alphabeti ſeriem digeſtorum, ſuccinctam medelam tradens, nonnullaque medicamenta ſingularia demum deſcribens, prout in autographo inventa fuerunt.

LIBRI NOVI.

Veteres Arcus Auguſtorum Triumphis inſignes, ex reliquiis quæ Romæ adhuc ſuperſunt, cum imaginibus triumphalibus reſtituti, antiquis nummis notisque Joh. Petri Bellorii illuſtrati. Romæ 1690. in fol.

Tacite avec des Notes Politiques & Hiſtoriques, par Mr. Amelot. A Paris 1690. in 4.

Digitized by Google

Traité Hiſtorique & Theologique touchant l' état des ames apres la mort, par Mr. de la Conſeillere. A Hambourg 1690. in 8.

Hiſtoire des Perruques: où l' on fait voir leur origine, leur uſage, leur forme &c. par Mr. Jean Baptiſte Thiers. A Paris 1690. in 12.

Petri Danielis Huetii Epiſcopi Abrincenſis deſignati Demonſtratio Evangelica. Tertia Editio ab Autore recognita, caſtigata & amplificata. Pariſiis 1690. in fol.

Epiſtola Judæ Commentario explicata & tempori præſenti accommodata; cum Appendice de Agapis: per Philippum Joannem Tileman dictum Schenck B. Theol. D. &c. Marburgi Cattorum 1690. in 8.

Lettres du Cardinal Mazarin, ou l' on voit le ſecret de la Negotiation de la Paix des Pyrenées &c. A Amſterdam 1690. in 12.

Nicolai Gurtleri Hiſtoria Templariorum Obſervationibus Eccleſiaſticis aucta. Amſtel. 1691. in 8.

La Vie de Charles V Duc de Lorraine & de Bar, & Generaliſſime des troupes Imperiales. A Amſterdam 1691. in 12.

Teſtamentum & Pactiones initæ inter Muhammedem & Chriſtianæ Fidei Cultores. Arabice & Latine. Hamburgi 1690. in 4.

C. Suetonius Tranquillus ex recenſione Joh. Georgii Grævii. Editio ſecunda auctior & emendatior. Hagæ Comitis 1691. in 4.

Thomæ Godwini Moſes & Aaron, ſeu Civiles & Eccleſiaſtici Ritus antiquorum Hebræorum; cum notis perpetuis Joh. Henrici Reizii. Ultrajecti 1690. in 8.

Diſſertation ſur le Chenix de Pythagore; par J. du Rondel. A Amſterdam 1690. in 12.

Summa totius doctrinæ de Pontificis authoritate & infallibilitate, a nuperis cavillationibus Natalis Alexandri & Felicis Deſchamps vindicata: authore P. F. Franciſco Janſſens Elinga. Brugis 1690. in 4.

Diſſertation touchant l' Uſure ſi elle eſt mauvaiſe de ſa nature, ou l' Uſure conſiderée ſelon les lumieres de la raiſon naturelle. A Bruxelles 1690.

* * * * * * * * *

LECTOR BENEVOLE.

Qui *Diaria Eruditorum* hactenus ediderunt, id egiſſe videntur unice, ut notitia librorum, qui recens editi jam ſunt, Lectores ſuos imbue-

rent.

Digitized by Google

rent. Vicit vero eorum omnium induſtriam clariſſimus Baſnagius *in Hiſtoria Litteraria* (Hiſtoire des Ouvrages des Sçavans) *primum quidem per menſium, inde per trimeſtrium intervalla, Roterodami hactenus edita; dum non contentus libros qui jam dum prodierunt recenſuiſſe, ex Amicorum inſuper epiſtolis Excerpta Lectoribus communicat, quibus de iis etiam quæ deinceps proditura ſunt, aut in quibus elaborandis docti hoc tempore viri occupantur, fiant certiores. Nobis utique inſtitutum hoc probatum ita fuit, ut imitandum illud nobis propoſuerimus, certi rem gratam nos quamplurimis facturos, ſi inpoſterum non Acta tantum ſed & Agenda Eruditorum publicaverimus, id eſt, ſi indicaverimus, paucis licet, quænam undequaque expectanda cum tempore ſint doctorum virorum litteraria monumenta. Neque deſunt nobis in exteris etiam regionibus Viri Clariſſimi, qui ad nos ſubinde perſcribunt, quid ſuo loco Eruditi moliantur & ſub manibus habeant; quos ægre non laturos ſperamus, ſi eorum, quæ neſcire nos noluerunt, notitia noſtro ſtudio propagetur ad omnes, qui Acta hæc legere dignantur. Et nunc quidem exhibemus tantum*

NOVA LITTERARIA EX ITALIA.

ROmæ typis Collegii de Propaganda Fide brevi abſolvetur quartus isque poſthumus tomus Bibliothecæ Rabbinicæ *Julii Bartoloctii de Celleno.* (De tribus tomis prioribus videantur Acta Erud. A. 1686, pag. 588) *Joannes Petrus Bellorius* prælo dudum ſubjecit opus de Lucernis veterum, figuris ornatum bene multis, illuſtratumque commentariis ſuis. *Johannes Ciampinus* Veterum Monumentorum tomum ſecundum, antiquitates Baſilicarum D. Petri & S. Johannis Lateranenſis complectentem prælo parat. *Emanuel a Schelſtrate*, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, abſolvit primum tomum Antiquitatis Eccleſiaſticæ, quo ſex priorum ſeculorum res Chronologicæ continentur. Opus vero illud typis deſcribere incipiet, ubi ſecundum tomum de Inſtitutionibus Eccleſiarum, & tertium de Conciliis & Collectionibus Canonum tranſcribi curaverit. *P. Marraccii* contra Alcoranum opuſculum propediem publici futurum juris eſt. Ejusdem argumenti opus magnum idem adornat, cum tempore edendum. *P. Hieronymus Vitalis*, Theatinus, recudi curabit duobus tomis Lexicon ſuum Mathematicum, multis acceſſionibus auctum. Numiſmata majora Cardinalis *Carpinei* proditura denuo ſunt, ſed plurimis aliis aucta. Neapo-

Neapoli eruditus in Horatium commentarius ſub prælo eſt. Ibidem *Gregorii Caloſreſii* Diſcurſus pro Arioſto adverſus Taſſum imprimitur. *Antonius Bulifon* Hiſtoriam Neapolitanæ urbis & regni a nato Chriſto usque ad A. 1690 compoſuit, ſuisque ſumptibus editurus eſt. Sex illa tomos complectetur, quorum primus typis jam deſcriptus dicitur. *Pompejus Sarnellius* de Epiſcopis & Archiepiſcopis Beneventanis Commentarios Chronologicos Italico idiomate edit.

Saladinus Epiſcopus Parmenſis novam editionem meditatur poematum Latinorum civis ſui *Pacifici Maximi*, eaque non a mendis tantum typographicis, ſed & quibuslibet obſcene dictis purgare allaborat. Parmæ aut Patavii proxime prælo ſubjicietur *Salvianus* de Piſcibus, cum iisdem figuris æneis, quæ in prima editione Romana habentur.

Florentiæ typis maximam partem jam exſcriptus eſt liber, cui titulus: *Della Serie degl' antichi Duchi e Marcheſi di Toſcana &c.* i.e: De Serie priſcorum Ducum & Marchionum Hetruriæ, cum aliis memoratu dignis de Imperio Romano & Regno Gothorum ac Longobardorum, Pars I ab exilio Fl. Momylli Auguſtuli pertingens usque ad exceſſum Ottonis III Imperatoris; auctore *Coſmo de Rena* Academico Florentino ac Furfurario. *Henricus Noriſius* Appendicem ad Annum & Epocham Syro-Macedonum (quem librum in Actis A. 1690, p. 425 recenſuimus) edit, qua præcipue de cyclo Paſchali agitur.

Papiæ ſub prælo eſſe dicuntur quædam Reſponſa Juridica JCti *Trincadini*, ut & JCti *Peckii* (qui auctor eſt 4 tomorum de Aquæductibus) Opus integrum de Servitutibus.

Scire etiam B. L. volumus, Problematis in Actis præteriti anni menſe Majo p. 219 a Clar. Dn. Jacobo Bernoulli *propoſiti, ſolutionem a Fratre ejus Dn.* Johanne Bernoulli, *currente adhuc menſe Novembri anni ſuperioris nobis tranſmiſſam; quam tamen tantiſper premere nos juſſit, donec celeberrimus* Leibnitius *ſuam, in Actis dicti anni menſe Julio p. 360 promiſſam, publico impertiverit: ne ſcilicet Cel. Viro vel gloriam inventionis præripere voluiſſe exiſtimetur, vel omnino anſam præbuiſſe ſua ſupprimendi.*

ERRATA.

In Actis Anno 1690, pag. 221 irrepſit ſphalma: Duæ primæ lineæ inſerendæ medio paginæ poſt *Summam Soluti*, & corrigendæ ita: *Hæc ſi ſubtrahatur a ſumma debiti, remanet &c.* Pag. 431. verſu 3 pro *Hadriani* lege *Antonini pii.* Pag. 432. v. 10 & 11 pro *prænomen* lege *nomen.* Nummum Tripolitarum pag. 429. memoratum cum epocha ΓΛΦ modo eſſe in Cimeliis Mediceis, a Joſepho Magnavacca cum aliis eo delatum, Clar. Noriſius nobis indicavit. Pag. 603. l. 3. pro *quos* lege *qua.*

Poſt octiduum proditura eſt Sectio VII Supplementorum.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno M DC XCI.

BARTHOLOMÆI LEONHARDI SVENDENdörfferi, Jure-Conſulti & Anteceſſoris Lipſienſis Senioris, Proceſſus Fibigiani Editio Secunda.

Lipſiæ, impenſis Joh. Chriſtoph. Tarnovii, 1691. in 4. Plagul. 118.

QUid in ſinu ſuo Proceſſus Fibigianus foveat, notius eſt in terris maxime Saxonicis, quam ut multis explicari indigeat: cum paſſim omnium, quos judiciaria praxis exercet, manibus liber hic utiliſſimus teratur. Unde non tam circa ipſum ejusque contenta, quam potius circa additamenta, quibus nunc denuo locupletatus in lucem prodit, noſtra hæc relatio verſabitur. Scilicet ediderat *Gothofredus Fibigius*, JCtus quondam & Anteceſſor in Academia Salana haud incelebris, anno primum 1659 Proceſſus in foro cumprimis Saxonico recepti ſuccinctam delineationem, exiguo ſatis volumine, quippe vix viginti plagulis conſtantem. Hanc dein, ante hos quindecim annos celeberrimus Svendendörfferus, Academiæ nunc noſtræ Senior ſuſpiciendus, obſervationibus quibusdam practicis formulisque ſtylo judiciorum Saxonicorum approbatis, quas privatim antea ſuis auditoribus communicaverat, illuſtratam & non parum adauctam in publicum denuo prodire juſſerat. Sed ecce nunc iterum liber hic in lucem emittitur, adeo quidem mutato habitu, ut vix Fibigius ipſe, ſi ad auras ſuperas remeare daretur, ſuam hancce prolem, tam divite additionum apparatu excultam agniturus foret: certe enim, teſte vel ipſo plagularum numero, plus quam decuplum nunc priſtinæ ſuæ molis implet. Nimirum varia, tam Obſervationes quam Formulas proceſſuales concernentia, quæ priori illi a ſe adornatæ editioni adhuc deeſſe animadverterat Conſultiſſimus Auctor, ſupplere hic ſategit, partim ex probatiſſimis quibusq; ſcri-

Digitized by Google

ſcriptoribus, partim ex propriæ experientiæ penu: quam nempe locupletiſſimam facile congerere licuit jam ultra quatuor luſtra in Suprema Curia Provinciali, qua Lipſia noſtra ornatur, munere Aſſeſſoris defungenti; quem proinde tam expertum viæ ducem nemo facile ſequi recuſabit, genuinam ac modernam noſtrorum dicaſteriorum, tam in advocando, quam judicando praxin addiſcere geſtiens. Quo vero additamenta, quæ nunc de novo acceſſerunt, mox a prioribus illis notis Fibigiano textui adjectis ſecerni poſſent, ea ſingula præfixis ordine cyphris ſignantur; quibus computatis pateſcit, eorum numerum uſque ad 742 adſcendere. Præter varia vero alia non ubivis obvia (quorſum etiam referimus diſtinctionem iſtam *pag. 8.* ex *Joſ. de Seſſe* adductam, qua Proceſſus vel Ciſternus, vel non Ciſternus dici perhibetur: ille ſcilicet, qui ab alio dependeat, tam quoad cauſam agendi & petendi, quam quoad rem & quoad partes litigantes; hic vero, ubi diverſa cauſa allegetur,) paſſim in iis continentur breves reſolutiones quæſtionum in cunctis proceſſus judiciarii, noſtratis præſertim, partibus incidentium: quarum aliquas, quæ librum perluſtrantibus nobis ante alias ſe obtulerunt, ſpeciminis ergo in gratiam Lectoris attuliſſe haud erit dividiæ. Sic v. g. definitur, Commiſſarium non poſſe declinare juramentum teſtimoniale ſuper iis, quæ proceſſum & ordinationem commiſſionis concernant, *pag. 18.* Procuratorem hodiernis moribus non fieri Dominum litis, *p. 23.* Notarium in cauſa, in qua Inſtrumentum confecit, non poſſe advocati munere fungi, *p. 71.* Actione reali in loco rei ſitæ inſtituta, non recte citationem inſinuari immediate in rem, de qua litigetur, *p. 118.* Mulcta licet, ob continuatam contumaciam, in pœnali citatione duplicata vel triplicata, & quidem cum expreſſa reſervatione prioris, non tamen niſi pœnam ultimo commiſſam eſſe exigibilem, *p. 125.* Citationem non quolibet in loco poſſe fieri, ubi citandus deprehendatur, niſi & ibi domicilium habeat, *p. 140.* Commiſſam cautionem de judicio ſiſti non pertinere ad judicem, ſed actorem, *p. 142.* Beneficii excuſſionis & diviſionis renunciationem in conſtitutione Syndici a parte Actorum quidem neceſſariam eſſe, Reorum vero non item, *p. 207.* Cautionem rati oretenus tantum, non etiam per ſcripturam præſtari poſſe, *p. 251.* Contra liberes in judicio Patris inquiſitionem recte inſtitui, *p. 304.* De feudo Amtſaſſio etiam ſimultanee inveſtitum his in terris conveniri poſſe coram judicio Electorali vel Curiali, *p. 308.* Per areſti impoſitionem non produci litiſpen-

Digitized by Google

tiſpendentiam, *p.323.* Fidejuſſorem conventum non teneri ad litis denunciationem faciendam, *p.406.* item, hanc ipſam non rite fieri poſſe per literas privatas, *p.416.* Executionem non impediri ab interventione, *p.451.* Litem pro affirmative conteſtata haberi ob contumaciam, reſpectu iſtorum quoque articulorum, qui negati fuerint, *p.524.* Probationem ad perpetuam rei memoriam etiam per documenta aliquando fieri valere, *p.539.* In probatione ordinaria non licitum eſſe renunciare publicationi examinationis teſtium jamjam factæ, altera parte invita, *p.545.* In juramento minorationis locum non habere jurejurandum calumniæ, *p.552.* Eum, qui ſeſe cum alio hereditati immiſcuit, non poſſe ab altero illo exigere juratam ſpecificationem, *p.580.* Termini probatorii curſum incipere, non a die exhibitarum Remiſſorialium, ſed latæ ſententiæ appellationis: item in caſu deſertæ leuterationis vel appellationis, non a tempore finiti decendii poſt ſententiam ſuper probatione latam, ſed a die pronunciatæ deſertionis in rem judicatam transeuntis, *p. 617.* Sententiam ſine publicatione atteſtatorum latam non eſſe nullam, *p. 657.* Literarum etiam ignarum, linguæve peregrinæ imperitum documenta recognoſcere teneri, *p. 672.* Juratam diffeſſionem ob alterius contumaciam non haberi pro præſtita, *p.737.* uti nec juramentum calumniæ, perhorreſcentiæ, minorationis, editionis, in litem, & ob neglectum inventarium, *p. 1327.* Literarum comparationem locum non invenire in executivis, *p.744.* Juramentum calumniæ ſpeciale præſtandum eſſe, licet generale jam ab initio litis præſtitum ſit, *p.751.* Litis reaſſumtionem etiamnum in executione neceſſariam eſſe, *p.770.* Reconventionis reconventionem non admitti, *p.789.* Regiſtraturam publicatæ ſententiæ, partibus utrinque in termino emanentibus, nullum habere effectum, *p.805.* Sententiam leuteratam pro re nata in deterius mutari poſſe, *p.822.* Non admiſſibilem eſſe leuterationem contra ſententiam ignotam, quæ in contumaciam publicata fuit, *p. 827.* Fatale interponendæ leuterationis non poſſe prorogari, *p.832.* In concurſu leuterationem concreditoris non haberi aliis creditoribus communem, *p.841.* Leuterationem in proceſſu quidem inquiſitorio non admitti; bene tamen contra ſententiam, quæ velit inquiſitionem inſtituendam, *p.844. ſq.* Ante impetratam etiam de admiſſa leuteratione reſolutionem, peti debere citationem ad ejus proſecutionem, niſi deſerta eſſe debeat, *p.849.* Appellationem aliquando fieri poſſe ad non ſuperiorem, *p. 855.* Per antici-

Digitized by Google

pationem quoque juſtificationis deſertam fieri appellationem, *p. 871.* Renunciationem appellationis, in inſtrumento obligationis factam, non impedire appellationis interpoſitionem, *p. 879.* Heredes non teneri ad ſolutionem expenſarum contumacialium, *p. 921.* Licitatione ſubhaſtationem præcedente non acquiri jus præcedentiæ, *p. 1000.* Pro debito etiam fidejuſſorem & heredem debitoris poſſe incarcerari, *p. 1032.* Jus retractus ejusque fatale curſum incipere non niſi a tempore finitæ ſubhaſtationis, *p. 1054.* Renunciationem ſeparationis bonorum a majori creditorum parte factam aliis non nocere, *p. 1098.* Creditorem aliquando contra debitoris quoque debitorem petere poſſe areſtum, *p. 1174.* Areſtum ex certa cauſa impetratum non porrigi ad alia credita, *p. 1193.* Infamem non prohiberi a juramenti delatione, *p. 1294.* Poſt factam juramenti præſtationem, ejus deſertionem ulterius urgeri non valere, *p. 1316.* Relationem juramenti, ſuper fidei commiſſo relicto delati, non habere locum, *p. 1361.* Teſtem haud poſſe depoſitionem ſuam corrigere, niſi in continenti, *p. 1464.* Cauſam ad judicem appellationis non devolvi, ſi ſententia ex nova cauſa reformetur, *p. 1488.* In actionis injuriarum in heredes continuatæ ſententia defuncti mentionem fieri debere, *p. 1542.* Diffamanti licitum eſſe ante injunctam probationem deferre Juramentum ſuper veritate diffamationis, *p. 1570.* Sed quorſum provehimur, materiarum amœnitate illecti? certe enim exempli loco longe pauciora allegare ſuffeciſſet. Quod ſi tamen quis, nondum hiſce ſatiatus plura diſcupit ejusmodi, eum ad ipſius libri fructuoſiſſimi evolutionem ablegamus: in cujus fronte mox amplum offendet catalogum quæſtionum hoc in opere pertractatarum: quemadmodum & in calce locupletiſſimus rerum & verborum index ſubjungitur.

DISQUISITIO DE LINGUA GERMANORUM Veteri & Hodierna Chriſtiani Grubelii Gymnaſii Viſurgini Rectoris.

Mindæ impreſſa a Joh. Piler 1690. in 4. plag. 10.

Disquiſitio hæc Cl. Autoris, jam XX abhinc annis in Academia Salana delineata, ſed ex eo tempore in majus aucta, in V. capita diſpertita deprehenditur. In I. quod *de præcipuis rerum Germanicarum*

Digitized by Google

rum ſcriptoribus inſcriptum eſt, antiqui pariter atque recentiores illarum autores memorantur. E vetuſtiſſimis eſſe Autor ait, *Plinium Secundum* & *Aſinium Quadratum* (nam illius *Tacitum*, hujus *Agathiam* meminiſſe) ſed quorum libri de bellis Germanorum peculiares interierint. Hos excepiſſe *Julium Cæſarem*, qui primus reliquerit, quæ ad gentis Germanicæ illuſtrationem facerent; verum in hoc quoque *Aſinium Pollionem* diligentiam apud *Suetonium* in Julio *c.56* deſideraſſe. Fide igitur præ illo dignos eſſe *Plutarchum*, *Dionem*, *Tacitum*, & *Ammianum Marcellinum*, & hunc quidem maxime, utpote qui non audita tantum enarret, ſed & viſa, & quibus ipſe interfuerit. Poſt Carolum autem M. ſcriptores exſurrexiſſe non paucos in Germania, qui illuſtrandæ patriæ impenderint operam. Imperatorem inprimis hunc ipſum non religionem tantum Chriſtianam propagandi, ſed & linguam hiſtoriamque Germanicam excolendi zelo quodam flagraſſe, teſtibus tot membraneis diplomatis ex Bibliothecis vetuſtis hinc inde erutis. Illos inter principe loco referendum eſſe *Eginhardum*, qui præter vitam Caroli M. & Annales ſcripſerit, qui vulgo perperam *Adelmo* vel *Adelmaro* tribuantur. Hunc ſecutos fuiſſe plures, & ſeculo quidem X *Reginonem*, *Luitprandum*, *Wittichindum* & *Dithmarum*; ſeculo XI *Wipponem*, *Lambertum* Schafnaburgenſem, *Brunonem* belli Saxonici ſcriptorem, *Marianum* Chronographum, *Sigebertum* Gemblacenſem & *Adamum* Bremenſem; XII *Ottonem* Friſingenſem, *Godofridum* Viterbienſem, *Helmoldum* hiſtoriæ Slavicæ conditorem; XIII *Conradum a Lichtenaw*, *Albertum* Stadenſem, *Godofridum* Colonienſem, *Vincentium* Bellovacenſem &c. XIV *Siffridum*, *Eberhardum*, *Steronem*, alios. Sed his ſeculis XV & XVI ſucceſſiſſe plurimos, quorum poſt *Trithemium*, *Nauclerum* & *Kranzium*, XL referuntur; nec defuiſſe huic ſeculo XVII rerum Germanicarum illuſtratores, *Cluverum* imprimis, *Strauchium*, *Conringium*, *Winckelmannum*, *Bœclerum*, & hodieque ſuperſtitem illuſtrem *Pufendorffium*; quibus & Actorum eruditorum, quæ Lipſiæ eduntur, conditores annumerare Autori placuit. Præ cæteris autem linguæ Germanicæ ſtudioſiſſimum fuiſſe Carolum M. Hunc enim non Latinæ tantum ac Græcæ linguæ fuiſſe gnarum, ſed in poeſi quoque Germanica ſe exercuiſſe; quin & ex ſtudio pietatis tam novum Teſtamentum, quam Pſalmos Davidis Teutonice reddidiſſe. Hujus veſtigia legiſſe filium non degenerem Ludovicum Pium, cujus opera & uni-

Digitized by Google

verſus Codex ſacer redactus in rythmos Teutonicos fuerit. His addendos eſſe ob ſingularem patriæ linguæ curam Rudolphum I & Maximilianum I; ſed horum laudes in caput ultimum dum rejicit Grubelius, commendat interim præter *Lexicon* veteris *Sermonis Germanici* a *Lindenbrogio* concinnatum, *Origines* item *Germanicas* celeberrimi *Morhofii*, quas in Præfat. Lib. de German. Ling. & poeſi promiſit, præclarum *Juſti Georgii Schottelii* opus, non ſine inſigni linguæ Germanicæ encomio ex Conringiana præfatione deſumpto. Caput II agit *de Germanorum nomine*. Recenſentur hic diverſæ autorum de eo ſententiæ, rejectisque illis hæc tandem eligitur, quod origo vocis hujus ſit Germanica, ut Germanus idem ſit quaſi Weerman/ vel German/ quaſi Garman/ ἐλόανδρος; & de voce man oſtenditur inſimul, quod non in Germanica tantum, ſed aliis etiam linguis ducem vel præfectum denotet. Nec ignotam eſſe vocem *Manni* vetuſtiſſimi Germanorum Regis, ut & *Tuiſconis* vel *Teutonis*, priſci Germanorum Dei, a quo & ipſa Germanorum lingua Teutonica ſit appellata. Caput III *linguæ Germanicæ originem* excutit. Refellitur hic primum Goropius Becanus, qui Cimbricam ſeu Belgicam linguam facit omnium antiquiſſimam, adeoque & ipſius Hebrææ matricem, cujus a ſententia Triumviri Suecorum doctisſimi *Schrieckius*, *Stiernhelmius* & *Rudbeckius* non videntur alieni. Deinde & eorum ſententia non admittitur, qui linguam noſtram recentiorem, quam par eſt, ſtatuunt, ejusque natales vel ex Græca vel ex Latina lingua arceſſunt. Quamvis enim ſimilitudo quædam eluceat inter vocabula quædam Germanica & Græca Latinave, originationem tamen unius ex altera extorqueri idpropter non poſſe. Repetitur tandem origo linguæ noſtræ a γλωττοσυγχύσει ſeu confuſione linguarum a Deo ipſo immiſſa. Nam inde natam quoque Scythicam, quæ non aliarum tantum Europæarum, ſed & ipſarum Græcæ ac Latinæ mater fuiſſe *Morhofio*, *Plempio*, *Praſchio* aliisque videatur. Scythicæ autem linguæ autorem vel diſſeminatorem non tam Chamum eſſe, quam Gomerum, a quo & Cimmerii dicti ſint quaſi Gomerii, qui iidem ſint cum Scythis & Celtis, Germanis omnium vetuſtisſimis. In Capite IV agitur *de modis conſervandi ac propagandi linguam Germanicam.* Modus autem hic duplex advertitur, naturalis alter, qui fiat beneficio linguæ, & quidem ſono rebus ſignificandis exprimendisq; apto; alter artificialis per ſtylum, inſtrumentum olim ſcriptorium

rium, per chartam, per tiliæ corticem, coria boum & pelles ovium, plumbum, linteum, ceram, ebur, lapides, ligna, arundinũ involucra &c. Nam in his omnibus ſtylo adhibito literæ olim fuerunt conſignatæ. Cum vero literas Germanicas ex Latinis demum poſt Caroli M. tempora aut Friderici II demũ ætate enatas eſſe, ſint qui ſtatuant, Autor eas ævo Carolino longe antiquiores agnoſcit, quamvis literæ Latinæ per Germaniam ad Rudolphum I usque in uſu fuerint. In C. V differit Autor *de mutationibus linguarum, deque variis linguæ Teutonicæ ætatibus atque dialectis.* Et vero ut res aliæ, ita linguæ quoque variis mutationibus ob varias cauſas ſunt expoſitæ. De Germanica lingua luculentisſime id demonſtrat Morhofius in aureolo libello jam laudato, cumque eo Grubelius. Primam ejus faciem ſeu ætatem exhibent carmina antiquisſima, quæ annalium inſtar erant apud temporum illorum Germanos. Nam illa rude & inconditum quid præ ſe ferunt, quanquam præter hiſtoriam temporum, & religionem & vitæ morumque regulas continebant. Hanc periodum excepit melior Caroli M. tempore, qui & carmina, quæ in laudem Heroum decantari ſueverant, abrogavit (loquimur ex mente Autoris) novosque cantus Chriſtianiſmo dignos inſtituit. Et huc referuntur carmina teutonica *Othnidis* Longobardi & *Gibiti* Vangionis apud Goldaſtum, *Aroſvicæ* apud Taubmannum & *Willerami* ac *Otfridi* apud Joh. Iſaac. Pontanum. Tertia linguæ Germanicæ ætas cœpit ſecundum Grubelium imperante Friderico II; quo tempore & in Galliis provinciales poetæ effloruere, qui ſuam tamen rythmometriam non aliunde quam a Germanis acceperant. Nam poſtquam omnia ante ipſum inſtrumenta publica non alia quam lingua Latina fuiſſent concepta, primus hic Imperator conſtituit, ut conſtitutiones deinceps omnes ſermone patrio ſcriptæ publicarentur: quod & ipſum poſt eum Rudolphus I novo edicto confirmavit. Ex eo tempore, ſed maxime poſt Maximilianum I, qui RudolphinamConſtitutionem repetiit, Germanicæ linguæ flos magis magisque increvit, editis ſcriptis Germanicis tam ſacris, inter quæ chorum ducunt Biblia Lutheri Germanica, quam politicis, qualia præ cæteris ſunt Goldaſtina atque Hortlederiana. Sed florem hunc longe ampliorem illuſtrioremque ſeculo reddidit Illuſtrisſimus Frugiferorum Ordo anno 1617 inſtitutus, qui non præſides tantum tres huc usque habuit celſisſimos, Ludovicum Principem Anhaltinum, Ducesque Saxoniæ duos Wilhelmum atque Auguſtum, ſed & inter mem-

ter membra Regem unum, Electores III, Duces XLIX, Marchiones IV, Landgravios X, Pfalzgravios VIII, Principes XIX, Comites LX, Barones XXXV, præter ſexcentos alios & Nobiles & viros doctos. Horum enim omnium id erat ſtudium aut labor, ut divitias linguæ noſtræ ex abdito quaſi ſinu expromerent, majeſtatemq; ejus orbi univerſo oſtentarent.

JOHANNIS HOORNBEKII SOCINIANISMI Confutati Compendium, ipſisſimis Cl. Autoris verbis concinnatum.

Lugd. Batav. apud Felicem Lopez 1690. in 12. chartæ auguſtæ. Continet Alphabeta 2.

TRibus olim tomis Socinianiſmum confutare aggreſſus fuit doctiſſimus, dum viveret, Theologus Batavus *Johannes Hoornbeck*: quorum primus Ultrajecti A. 1650 prodiit, quo tempore Paſtorem & Profeſſorem in Eccleſia & Academia Ultrajectina agebat; alter Amſtelodami A. 1662, cum Paſtor jam eſſet ac Profeſſor in Eccleſia & Academia Lugduno-Batava; tertius Amſtelodami A. 1664. Magno autem in pretio opus illud non apud Batavos tantum, ſed & exteros fuit, ut diſtractis dudum exemplaribus, de eo, & in folio quidem, ut loqui amant, recudendo ſæpius cogitarint Bibliopolæ Batavi. Quod tamen inſtitutum cum neſcio quibus ſufflaminatum hactenus fuiſſet impedimentis, & neceſſarium tamen videretur, ſtudioſam Sacrarum Litterarum Juventutem ad graviſſimas, quæ cum Socinianis intercedunt controverſias mature præparari, inque iis exerceri probe, quod iſta peſtilentiſſima ſecta hic illic, in Hollandia cumprimis, incrementa indies caperet: bene ſe de Eccleſia meriturum cenſuit *David Knibbe*, Hoornbeckii ante triginta annos diſcipulus, ſi opus paulo prolixius contraheret, ejusque Compendium privatis olim uſibus concinnatum publici juris faceret, quod & comparari ſic leviori pretio, & breviori tempore pervolvi, eoque a pluribus legi poſſet. Quo inſtituto quin multis conſultum fuerit, non eſt cur dubitemus.

SAMUELIS BOCHARTI HIEROZOICI COMpendium, a Stephano M. Vecſei Ungaro adornatum.

Franequeræ apud J. Gyſelaer. 1690. in 4. Conſtat Alphabet 4. & plagulis 13.

En aliam

EN aliam doctiſſimi Operis, quod a celeberrimo olim Bocharto de Animalibus, quorum in S. Scriptura mentio fit, compoſitum, ac Londini primum A. 1663 typis deſcriptum, inde Francofurti ad Mœnum A. 1675 recuſum fuit, Epitomen. Præfixa huic legitur Theologi Franequerani D. *Johannis Vander Wayen* Epiſtola, qua magnam is rixarum ac altercationum abominationem profeſſus, iram tamen in adverſarios, *Huberum*, *Witſium*, *Spanhemium* collectam parum diſſimulat; *Vecſei* interim, diſcipuli ſui, in concinnando hoc Hierozoici Compendio ſtudium ac induſtriam ex merito deprædicans. Hanc brevior alia Theologi Groningenſis *D. Johannis Braunii* Epiſtola excipit, commendans itidem Autoris noſtri inſtitutum. Ad calcem vero hujus operis *Vecſeus* ipſe ſuccinctam in Prophetiam Obadiæ Paraphraſin, nec non Theſes in illuſtriores Evang. D. Matthæi ac Lucæ parabolas, in Epiſtolam item D. Judæ, & Apocalypſin adjecit. Cæterum de *Bocharto* plura dicendi occaſio nobis præbebitur, ubi univerſorum ejus operum, tum quæ edita jam antehac fuere, tum quæ in ſcriniis hactenus doctorum virorum latuerunt, editio, quæ in Hollandia adornatur & propediem aſpectura lucem dicitur, ad nos pervenerit.

PRAXEOS MAYERNIANÆ IN MORBIS internis præcipue gravioribus & chronicis Syntagma.

Londini apud Sam. Smith, 1690. in 8. plagul. 32.

SI prudentum cenſura vultus animi characterem depingit, mirum non videbitur, ſi, quæ libro præfixa imaginis ſculptura eſt, magnificum Auctoris ingenium cuilibet facile inſinuet. Fuit autem ille, cum in vivis eſſet, vir ſummus, *Theodorus Mayerne*, Eques auratus, Baro Albonæ, & in aula Magnæ Regis Britanniæ Archiatrorum Comes. Et enimvero amabilitatem cum gravitate temperatam ita exhibet effigies, ut & gratiam formæ grandæva ætas, & ſingulare ſimul judicii acumen ſubinnuat. Nec dubium eſt, quin ſingularem Viri eruditionem ex præſentis ſcripti relectione quilibet facilius collecturus fuiſſet, ſi editionis curam ipſe ſuſcipere vivens potuiſſet. Nunc vero cum ſaltem ex adverſariis, conſiliis, epiſtolis, ſchedisque rejectaneis compoſitum ſit, ac ipſo jam diu defuncto prodeat, non mirum eſt, referente celeberrimo *Charletonio* in præloquio, quod paſſim lacunæ & chaſmata reperiantur, illa vero

Digitized by Google

majeſtas & perfectio hic deſit, quam in aliis ejusdem herois ingenii monumentis, dum vixit, in publicum emiſſis, cernere eſt. Nos ad amuſſim inſtituti noſtri opus ipſum pede leviſſimo percurremus.

Continet autem tres in univerſum libros, juxta tres corporis regiones, capitis videlicet, thoracis, & abdominis affectus complectentes. Primus 19 omnino capitibus circumſcribitur, agitque de frigida cerebri intemperie, paralyſi, epilepſia, tremore, vertigine, apoplexia, mania & melancholia, capitis dolore, catarrho, gutta ſerena, ophthalmia, ſuffuſione, hypopyo, epiphora, ægilope, ozæna, ſurditate, dentium dolore, ſcrophulis. Alter 8 capita includit, ac cordis palpitationem, tuſſim & aſthma, nec non hæmoptoen & pleuritidem, empyema itidem & phthiſin, ac tandem pectoris hydropem exponit. Tertius 26 capitibus abſolvitur, in quibus de ventriculi affectibus, de vomitu, de diarrhœa, dyſenteria, teneſmo, lumbricis, hæmorrhoidum fluxu, fiſtula in ano, hepatis affectibus in genere, & in ſpecie de obſtructione, ictero, hydrope, de tumore lienis, melancholia hypochondriaca, ſcorbuto, abſceſſu meſenterii, nephritide, inflammatione & ulcere renum, mictu cruento, ardore urinæ, veſicæ calculo, ictero virgineo, menſium fluxu immodico, & eorundem ſuppreſſione, paſſione hyſterica, fluore albo, ſcirrho & cancro uteri, curatio traditur; in capite antepenultimo autem regimen fœminarum liberos gignere volentium & remedia ſalutaria proponuntur, ac ultimo loco appendix de variolis. Horum omnium non eadem invenitur tractandi methodus. In quibusdam enim, utut admodum paucis, brevis quædam affectus deſcriptio, in aliis ſigna, in pluribus indicationes curativæ præmittuntur medicamentorum apparatui, quem ſatis amplum & ad Galeni maxime palatum, ex apozematibus, electuariis, ſirupis, tabellis &c. expoſitum invenimus. Inſertæ hinc inde ſunt epiſtolæ & obſervationes ab Auctore conſignatæ, nec non conſilia pro ægrotis ab aliis Medicis expetita. Nos ſpicilegii inſtar ſequentia huc inferimus.

pag. 10. In epilepſia commendatur ſyrmaiſmus, nec non pulvis quidam
p. 13. raro fallens, ℞. Corn. Rhinocerot. cran. human. præp. a. ʒij. nepenth.
Quercetan. pulv. cordial. Baniſteri a. ℈j. M. F. P. in vitro exactisſime
clauſo aſſervandus. Doſ. ʒß ad ℈j. in vehiculo idoneo. Nepenth. au-
p. 16. tem & pulveris Baniſleri deſcriptiones ſtatim ſubjunguntur. Cæterum
baccis juniperi ſingulari modo præparatis dicuntur epileptici curati,

quos

Digitized by Google

quos, cum quævis alia eſſent irrita, nemo non pro deploratis habuerit.
Empiricus inſuper allegatur, qui epilepſiam cum admiratione curarit p. 34.
candela cerea incenſa & nuchæ inuſta, datis ſimul ad comedendum
radicibus pæoniæ in patella cum butyro frictis. In vertigine curanda p. 43.
ſecretum aſſeritur conſiſtere in calamo aromatico, quocunque modo p. ead. &
ſumatur. Quidam vero Germanus Londini curavit vertiginem, exhi- ſeq.
bendo pilulam unicam granorum 5, Auctoris judicio ex ſaccharo ♄i p. 46.
cum terebinthina Veneta vel Cypria coagmentatam. In apoplexia
laudatur oleum antimonii, cujus cita & ſeria operatione multi fuerint
excitati. Dæmoniacos dignoſcendi geminum tantummodo fertur p. 54.
ſignum; quando nimirum variis, iisque ſibi ignotis loquantur linguis,
deque ſcientiis nunquam ſalutatis ſolide diſſerant, ac quando corpus
grave in ſublime raptum diu in aere hæreat. In palpebrarum pruritu p. 79.
ſummo, inflammatione, tumore, lippitudine, Auctor ſibi ipſi admovit
ſpongiam mollem liquore ſequenti tepidulo imbutam quavis hora diei,
maximo cum levamine: R. ovum recens, coqu. in cineribus ad duriti-
em, aperiatur, extrahatur vitellus, cujus vice cavitas repleatur pulvere
ex vitrioli albi & ſacchari candi a. part. æqu. Claudatur optime, pona-
turque in ℔j. ∇ roſar. atque in ea infuſ. ſtet per dies duos naturales,
hinc F. colatura ad uſum. De muliere quadam Angla memoratur, p. 84.
quod in filio Comitis Warvvick operationem admirandam peregerit,
aperiendo corneam tunicam ſupra pupillam, ad totalem humoris aquei
effluxum, qui poſt aliquot dies poſtliminio ſuccreverit. Hinc repleto
oculi globo, puncturaque occluſa & conſolidata, reſtitutam fuiſſe viſi-
onis aciem, ægrumque perfecte curatum. Atque hic annotatum ab
Auctore, corneam non ſentire. In ſurditate commendatur ſuffitus p. 96.
ſiccus ſurdis auribus inſufflatus, ut ex tabaco vel ipſo ſulphure, ſi perti-
nacius malum hæſerit, imo incaſſum omnibus, æger mitti jubetur ad p. 97.
thermas ſulphureas, ut longa capitis irrigatione humor impactus lique-
tur, & ſpiritui animali detur per auditus organum liber commeatus.
In odontalgia illico dolor ſiſtetur oleo tabaci, cujus cum goſſypio col- p. 99.
ligendi modus traditur. De opio pulchrum, ait Auctor, ſecretum non p. 101.
eſſe revelandum omnibus, quomodo nimirum fœtor ab ipſo removeri
queat, ſi ejus ℥j. cum duobus capitibus allii deſtilletur per alembicum,
& aqua prolecta in potu detur, mirabiliter ſomnum provocans. Ex p. 102.
ranis viridibus deſcribitur dentium evulſivum, quo ſi lignellum illinatur,

Digitized by Google

p. 105. & circa dentem ducatur, hic facile ſeparetur. In ſcrophularum cura
Clar. Auctor ☿ crudum propinavit in conſervis vel electuario idoneo
ex ſpecificis concinnato, idque per plures ſeptimanas ſine ullo diſcri-
p. 110. mine. Ellebori nigri vis deprædicatur in eradicandis morbis pertina-
ciſſimis, & renovatione corporis univerſali, ſi foliorum pulvis aliquot
p. 124. granorum pondo quotidie aſſumatur. Ex buſonibus autem aliisque
& 125. curationes ſcrophularum haud infelices recenſentur. Ad tuſſim pue-
p. 137. rorum convulſivam panis toſtus cum butyro & melle pro jentaculo
laudatur; præ omnibus tamen mures exenterati detracta cute, vino
abluti, deterſi & exſiccati in clibano, donec poſſint in pulverem redigi,
ad no. 2. aut 3. intra 3. dies, mane, a prandio, & ſub lecti ingreſſu ſu-
p. 144. mendi commendantur. Ex pulmonibus vel hominis, vel aliorum
animalium mumia docetur præparari, cui inſignis efficacia tribuitur.
p. 149. In aſthmate & dyſpnœa laudibus evehitur fumus ſequenti modo adhi-
bendus: ℞ rad. enul. ſicc. fol. marrub. alb. & hyſſop. a. ʒij. tabaci
Indic. ʒiij. auripigm. ℥ß. F. omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui excipi-
atur vitello ovi, & lævigetur in porphyrite inſtar pigmenti pictorum,
atque extendatur penicillo in foliis tuſſilaginis, & ſinantur omnia ſiccari
perfecte. Incidantur folia uſus tempore inſtar tabaci, & fumus exci-
piatur ex tubo ſeu fiſtula mane jejuno ventriculo, & paulo ante ingreſ-
p. 166. ſum lecti valde extuſſiendo. A ſucco urticæ urentis fluxum ſangui-
nis ex quacunque cauſa, ſive per os, ſive per nares, ſive per menſtrua, ſive
per hæmorrhoides, ſive per plagas erumpat, optime reſtringi affirma-
p. 167. tur. Sputum vero ſanguinis, in maxima quantitate prodiens, extem-
plo ſubſtitiſſe per fumum a calce viva humectata cum aqua & aceto in-
p. 170. ter reſpirandum copioſiſſime hauſtum. In pleuritide irritis omnibus
aliis veſicatorium amplum dolenti parti applicatum, ingentem ſeri ſeu
ichoris copiam per plures dies evacuaſſe, ægrumque variis morbis at-
p. 177. tritum ac moribundum, ſic eſſe reſtitutum. In empyemate tabacum
compoſitum, quod inter alia auripigmentum flaviſſimum ſcintillans
recipit, per fiſtulæ fumum hauriendum eſſe, paulo ante aſſumptionem
p. 182. apozematum pectoralium, bis terve in die. In pulmonum, aliisque
omnibus internis ulceribus perfecte per ſtrenuam exſiccationem cu-
p. 183. & randis, nulli ſecundum eſſe guajacum; radicem tamen chinæ illius uſui
ſeq. aliquot dies præmittendam. In phthiſi ex lacte ebutyrato ſpecificum
p. 186. parari, quod deſperate laborantibus profuerit plurimis. Contra-

diarrhœ-

diarrhœam & dyſenteriam, ovum recens ab albumine vacuatum, ſpiri- p. 226.
tu vini impletum, & per ſe coctum, certiſſimum eſſe remedium. Lum- p. 232.
bricos fugari ab aqua portulacæ, in qua plumbum liquefactum ſepties
vel octies extinctum ſit. Vernicem pictorum eſſe ſingulare remedium p. 241. &
curandarum hæmorrhoidum, eoque Carolum V a muliere reſtitu- ſeq.
tum, cum ope nulla ſanari poſſet. Unguentum quoque anodynum p. 246.
inſtar miraculi potens in hæmorrhoidibus cæcis, parari ex ſtramonio ſpi-
noſo Peruviano. Ptiſanam gratam, quæ eximie ſitim ſedet & refrige- p. 262.
ret, confici poſſe ex ſolo pulvere glycyrrhizæ in aqua citra calorem ma-
cerato ad tincturæ extractionem; imo impenſius refrigerantem fieri, ſi
quinta pars prunellæ lapidis adjiciatur. Turcarum Sherbet ex ſuc- p. 264.
cis acidis berberum, ribium, citri &c. cum ſaccharo elaborari, cujus
quoq; parandi paradigmata exponuntur. Puellam ictericam 18 annorum p. 276.
præmiſſa purgatione feliciſſime convaluiſſe, poto vino albo per qua-
tuor dies, in quo maceratum fuerit per diem pomum aurantium inte-
grum caryophyllis & cinamomo transfixum, deinde ſub prunis leniſſi-
mo igne coctum. In aſcite mercurium dulcem cæteris vacuantibus, ſicut p. 286.
nitrum diureticis, præferri omnibus. Suppoſitorium ex rad. cucume- p. 288.
ris aſin. vel ebuli 6. digit. longum mirabiliter aquas extrahere. Roſas p. 289.
moſcatellinas albas conditas, ut acetaria ſolent, oleo, aceto, ſale, & co-
meſtas initio paſtus ad Mj. hydragogon εὐπόριστον efficax præbere.
Ex ovis autem formicarum in lacte ebutyrato coctis diureticum egre- p. 291.
gium concinnari, ita ut inde copioſæ urinæ aliquando totam matulam
ſæpius repleverint. Hydropicorum tibiis applicandam eſſe chartam p. 298.
bibulam aceto ebriam. Contra flatus ventriculi capiendum eſſe coch- p. 327.
lear unum infuſionis theriacæ in vino albo, vel aqua cardui benedicti.
In ardore urinæ injici poſſe per ſyphonem liquorem ex decocto lenien- p. 372.
tium & emollientium cum lacte vaccino, & mucilaginibus malvæ, cy-
don. &c. miſtum. In vetula generoſa fere nonagenaria, quæ cum ul- p. 378.
cere renum & veſicæ conflictata ſit, provocatam fuiſſe ſalivationem, ita
ut ſedatis omnibus ſymptomatibus, annum integrum ſatis vixerit ſana.
Obſervationem Auctor perelegantem allegat cujusdam laborantis ca- p. 379.
runcula in urethra, & iſchuria correpti, partim a fungoſæ carnis infla-
tione, partim a grandiori arenæ grano meatum jam pene occluſum
penitus obſtruente. Hunc ſcilicet de vita deſperantem, & conſilii in-
opem, aſſumpto ſyphone, ſeu ſyringa ſtannea, aerem ſaltem ex vacuo

Digitized by Google

ſyringæ corpore in meatum impuliſſe cum aliqua violentia. Sic [illegible]tato ductu ſucceſſive multum aeris intraſſe veſicam, qui ne erumperet, quoties ſyphonis apicem ſeu fiſtulam extrahebat ad novum aerem captandum, arcte digitis preſſiſſe urethram. Tandem ſatis oppleta veſica, laxato & remoto obice, flatus cum impetu erumpentes arenam expuliſſe, & prorupiſſe urinam ſatis copioſam maximo cum levamine. Deinde quoties aliquam expertus ſit difficultatem, recurriſſe ad hanc ſacram anchoram nunquam fallacem. Qua vero ratione adhuc emendari operatio poſſit, clariſſimus Auctor ſtatim ſubjicit. Cæterum Scoti cujusdam lithotomi, indocti alias, methodus, qua poſt extractionem lapidis, vulneri & veſicæ feliciſſimo cum ſucceſſu proſpexerit, delineatur.

p. 380.

p. 392. In ventriculi, lienis & uteri affectibus inveteratis & pertinacibus ſæpe

p. 404. & ſeq. vinum chalybeatum per annum integrum Noſter præſcripſit. Quid faciendum fæminis ſit ſtudentibus liberos progignere, operoſe ſatis deſcribitur, atque ad conceptum retinendum jubetur cancros fluviati-

p. 408. les vivos in olla vitreata poſt panis extractionem clibano immitti, dum redigi poſſint in pulverem ſubtiliſſimum, cujus ʒij. mane & ſero in ci-

p. ead. bis ſumantur. In nauſea gravidis familiari vel millies ſine ulla noxa, imo ſummo cum levamine, pilulas pro gravidis Riverii Auctor exhibu-

p. 413. it. Ab oleo autem ſeminis napi per vetuſtatem albido, ſumpto cum

p. ead. & ſequ. aqua pulegii regalis, conceptus falſos, molas, excludi putat. Contra tormina puerperarum ſuadetur pulvis ſequens immediate poſt partum aſſumendus: ℞ rad. conſolid. maj. ℥j. nucleor. Perſicor. nuc. moſch. a. ℈ij. ſuccin. ʒß. ambr. gryſ. ℈ß. F. P. de quo capiatur ʒj. ex vino albo. Si hic in primo partu exhibeatur, nunquam in ſequentibus pertimenda eſſe tormina aſſeritur: ſi in aliis, illa ſaltem imminui.

p. 416. In papillarum fiſſuris ℞ pingued. ex ſegminib. coriorum in aqua coctis ſupernatantis (Gallis *ſurpoint*) q. v. liquefiat ſæpius, & abluatur aqua roſarum ad coloris & odoris mutationem; F. inſtar pomatæ: illi-

p. 419. nantur papillæ, quas cito ſiccat & cicatrizat. Quodſi infans naſcatur debilis, percutiendas eſſe nates pedumque plantas, ori autem taleolam

p. 428. cepæ indi, quod præſens ſit remedium excitans. In fluore albo præmiſſis præmittendis laudatur ſperma ranarum idoneo tempore collectum, & diligentiſſime exſiccatum citra aduſtionem, ita ut poſſit in pul-

p. 434. verem redigi. In ſcirrho & cancro uteri ſi quid valeat in diſcuſſione, certe ☿ crudus creditur prodeſſe permixtus in parva quantitate pilulis

fœtidis

fœtidis vel floribus ſulphuris. Audacter jubetur dari ſæpius ſine metu
ptyaliſmi, qui quamvis ſuperveniat,nihil nociturus ſit. Carnem quo- p. 435.
que viperarum in canceri cura prodeſſe vel exinde judicatur, quod ma-
gni momenti auxilium præbeat elephantiaſi laborantibus, quæ tamen
ſit cancer univerſalis. Præterea chalybeata cum menſes moventibus
principem locum obtinere perhibentur, cum ad internos ſcirrhos e-
molliendos & abſumendos chalybe reperiatur potentius nihil. Hinc p. 436.
paſſulatum ex aqua chalybeata utiliter pro potu ordinario laudatur.
In variolis ab initio, & ubi adeſt magna plethora, quamvis illæ jam p. 446.
incipiant erumpere, mitti ſanguis e brachio jubetur. In magno au- p. 448.
tem periculo veſicatoria magna & plura applicanda humeris, carpis,
genibus, malleolis eſſe, traditur. Quodſi brevis & difficilis reſpiratio
cum metu ſuffocationis,aut inflammatio ſumma in variolarum matu-
ratione ingruat, aut tumor eryſipelatodes caput occupet, ſine mora
præſens præcavendum ſuadetur periculum applicatione hirudinum
ſub auribus ad venas jugulares, aut ranularum apertione. Tandem p. 450.
methodus medendi annectitur cicatricibus & maculis variolas ordina-
rie conſequentibus. Ad calcem libri inveniuntur quoque medica-
mentorum deſcriptiones, quæ in contextu paſſim extant vel præſcripta,
vel tantum memorata.

G.G.L. ARS COMBINATORIA.

Francofurti apud H. C. Crökerum. 1690. in 4. plag. 11.

Libellus ab Autore admodum juvene anno 1665 compoſitus & anno 1668 Lipſiæ editus, nunc ipſo inſcio inconſulte recuſus eſt. Tametſi enim applauſu non vulgari eruditorum fuerit exceptus, & novas complures meditationes non pœnitendas, quibus ſemina artis inveniendi ſparguntur, contineat, atque inter cæteras palmariam illam de Analyſi cogitationum humanarum in Alphabetum quaſi quoddam notionum primitivarum; judicat tamen celeberrimꝰ Autor libellum non ſatis eſſe limatum, nec præſentibus ejus cogitatis ac perſonæ ubique reſpondentem, & veniam olim annis datam, in quibꝰ aliqua interdum luxuriantis ingenii audacia laudatur, nunc a ſe peti non poſſe. Itaque per nos moneri lectores cupit, ne putent talia nunc a ſe protrudi; & in eo inprimis editorem, quisquis eſt, in ſe injurium fuiſſe cenſet, quod ne verbulo

bulo quidem indicarit hanc editionem eſſe novam, ex priore tot ante annis publicata expreſſam. Et præter œconomiam operis, in qua multa poſſent mutari in melius, ſpeciatim quædam corrigenda indicare voluit. Ita ſchema elementorum & qualitatum pro luſu ingenii magis eleganti quam vero habet; ſtatuit etiam colores ex ſola miſtura lucis & umbræ non oriri, ſed alia lucis modificatione opus eſſe. Agnoſcit, problemata quædam numerica longe perfectius ſolvi, & ſolutiones accuratius demonſtrari poſſe; nam illo tempore Autor profundiorem Matheſin vix eminus ſalutaverat, itaque ignarus alienorum inventorum, nec ſatis analyſeos compos, quædam de ſuo extuderat, feſtinata meditatione, & adhuc tironem ſapiente. Lapſus quoque commiſſus eſt in Modis, quos figuræ ſyllogiſticæ habent, determinandis: etſi enim veriſſimum ſit (quod hic fortaſſe primum eſt obſervatum) in quavis ex quatuor figuris modos utiles reperiri totidem, nempe ſex; in quarta tamen unus feſtinatione quadam eſt male poſitus, & pro OAO (ubi major PN ſeu O, minor UA ſeu A, concluſio PN ſeu O) qui locum non habet, ſubſtitui debet modus AEE, ubi major UA, minor UN, concluſio UN, adeoque pro Colanto juxta Bocardo, poni debet Calerent juxta Cameſtres. Et hoc quidem in utraq; editione eſt corrigendum pag. 12. Fortaſſe etiam nomina quorundam modorum melius formari deberent, ſi tanti eſſet. Sed in editione nova novus ibidem admiſſus eſt error; nam Friſeſmo poni debet ſub figura o ſeu nulla, non ſub 4. ſeu quarta. Neque enim in ulla figura dari poteſt modus IEO, in quo major PA, minor UN, & concluſio PN. Aliaque paſſim ſphalmata nova occurrunt; tantum abeſt ut priora ſint correcta. Denique demonſtratio exiſtentiæ Dei, libello adjecta, tametſi aliquid boni contineat, ipſi Autori numeris omnibus abſoluta nunc non videtur.

DISSERTATIO CHYMICO-PHYSICA DE Efferveſcentia & Fermentatione, nova hypotheſi fundata, cum deſcriptione alicujus perpetui mobilis pure artificialis, autore Johanne Bernoulli Baſilienſi.

Baſileæ typis Jac. Bertſchii, 1690. in 4. plag. 4.

INgenioſus Autor & doctiſſimi fratris veſtigia premens, fermentationem & efferveſcentiam gradu tantum diſtinguit, illam lente incipere, mo-

re, moderatam magis eſſe, & diutius durare, hanc contra. Duo ait eſſe corporum genera ad eas concurrentia, unum *agens*, cujus particulæ ſint tetraedræ triangulis iſopleuris contentæ, alterum *patiens*, cujus particulæ ſint ex talibus tetraedris hedras ſibi obvertentibus compoſitæ, & ita ſinuoſitates inter ſe relinquant, quibus inſerti apices prioris ipſas parteſ patientis frangant, & ita aeri compreſſo incluſo exitum præbeant. Agens putat eſſe *acidum*, & patiens eſſe *alcali*. Notat ex Bartholino Act. Med. p. 2. obſ. 70, regulum antimonii cum mercurio ſublimato bene miſtum & in arctum compreſſum incaleſcere & fumum emittere, idque unum novit exemplum ſolidi cum ſolido effervеſcentis. Diſputat contra Borellum, qui de Mot. Anim. p. 2. pr. 29. ſtatuebat, partes inter effervеſcendum dilatatas mox rurſus concidere; cum tamen experimentis conſtet, aerem a fermentantibus emiſſum non evaneſcere rurſus, ſed colligi poſſe. Et contra Mayovv ſtatuit, eſſe verum aerem; & experimento Clar. fratris probat, aerem in pulvere pyrio plusquam centies naturali eſſe denſiorem. Poſtremo ſubjicit conſtructionem motus perpetui pure artificialis, quæ huc redit. Duos liquores dari ſupponit diverſæ gravitatis ſpecificæ, qui miſceri invicem, rurſusque per filtrum aliquod ſeparari poſſint. Jam vas aliquod liquore ex ambobus in proportione æquali (ſi placet) miſtis compoſito implet: deinde tubum ſumit utrinque apertum, ſed orificium inferius filtro duos illos liquores ſeparare apto obturat; & ita tubum vacuum vaſi perpendiculariter immergit, ita tamen ut pars tubi emineat ſuper liquorem in vaſe contentum. Tubi tamen longitudo non debet eſſe nimia, ſed talis, ut ſi plenus poneretur liquore leviore, non tamen in æquilibrio eſſet cum columna liquoris miſti in vaſe contenti, ſed levior. His poſitis tubus vacuus implebitur liquore leviore per filtrum, & quia in æquilibrio non eſt cum liquore miſto, minus quidem alto, ſed tamen magis gravi, ideo liquor levior a columna miſti ex tubo expelletur, & ita continue tubus per ſuperius orificium apertum exonerabitur in ſubjectum vas, & per orificiũ inferius ex vaſe per filtrum viciſſim continue implebitur. Atque ita nunquam ex Autoris ſententia circulatio iſta ceſſabit. Eoque modo putat etiam originem fontium & elevationem aquæ marinæ per ſubterraneos meatus percolatæ in montes, explicari poſſe. Ubi tamen conſiderandum erit, an gravioris liquoris actio per filtrum intercepta intervenire nihilominus ad levioris ſeparati impulſum, adeoque

 an ul-

an ultra ſuperficiem liquoris miſti in vaſe poſiti liquor levior in tubum attolli, & ſic ex tubo expelli poſſit.

FREDERICI RUYSCHII, ANAT. CHIRURG. & Botan. Profeſſoris, Obſervationum Anatomico-Chirurgicarum Centuria. Accedit Catalogus Rariorum, quæ in Muſeo Ruyſchiano aſſervantur. Adjectis ubique iconibus æneis naturalem magnitudinem repræſentantibus.

Amſtelodami apud Henricum & Viduam Theodori Boom. 1691. in 4.

Conſtat plagulis 36, & Figurarum ænearum plag. 11.


NObiliſſima artium Anatome, nova quæ indies ſeculo hocce incrementa ſedulo Proſectorum dexterrimorum labore capit, permulta inter hos celeberrimo noſtro Autori fert accepta, utpote qui in eo haud acquieſcens, quod vaſculorum lymphaticorum & lacteorum valvulas nervoſo jamjam ſcripto A. 1665 dilucidaverit, arteriam bronchialem denudaverit, multasq; Obſervationes Anatomicas rariores propalaverit; incomparabile porro de Anatomia æq; ac Chirurgia bene merendi ſtudium in Obſervationibus præſentibus, quoad partem pro more a nobis perluſtrandis, liquido commonſtrat. *Obſ. 1.* mirabilem in octogenaria quadraginta duorum calculorum, eadem forma & ſuperficie admodum æquali gaudentium, utero cum portione veſicæ foras propendente ſecundum longitudinem inciſo, extractionem edocet, atrocibus, de quibus diu conqueſta fuerat, doloribus ilico evaneſcentibus, & conſolidatione ipſius membranoſæ veſicæ partis vulneratæ, poſt adaptationẽ annuli plumbei, quoad extremitates recurvatas filo conſtringendi, feliciter inſequente. *Obſ. 6.* varios polypos membranaceo-carnoſos ex interiori uteri prolapſi orificio propendentes delineat, adeo dolorificos, ut intuitu humoris aquoſi & acris, copioſe ab utero profuſi & ulcus malignum excitantis, ægra brevi poſt defecerit. Verum veri ſubinde uteri e corpore prolapſum *Obſ. 7.* & 9. confirmat; ab eo tamen totalem uteri inverſionem, in aut mox poſt partum ſaltem contingentem, reſpectu oris uterini hic non conſpicui diſcrepare, *Obſ. 10.* declarat. *Obſ. 14.* embryonem ſiſtit, ſex horis poſt partum alterius infantis robuſti & viventis in lucem editum, ac funiculo umbilicali ex meris hydati-

Digitized by Google

I 2. Obſ. 3.

Digitized by Google

Fig: 3.



hydati-

hydatidibus compaginato, nec non placentula ejusdem magnitudinis & craſſitiei, ac fœtus trimeſtris eſſe ſolet, inſtructum. *Obſ. 16.* ipſum ovarium poſt abſceſſum inferioris & lateralis partis hypogaſtrii nimis profunde apertum cum pure erupiſſe, feliciter tamen fuiſſe repoſitum innuit. *Obſ. 18.* in hydropicæ omento digitum craſſo & carnoſo tumorem deſcribit, præter materiam pultaceam & albam, minus fœtentem, capillis cumprimis intricatis & criſpis in glomum durum convolutis turgidum. *Obſ. 19.* in virgine ex hydrope itidem & orthopnœa defuncta, præter alia omentum ſcirrhoſum, peritonæum cum hepatis & renum membranis incraſſatum, renem dextrum inverſum, venas ſpermaticas craſſitiem calami ſcriptorii excedentes, cor ſolito majus & aquam pericardii copioſiorem, pulmonem pleuræ adnatum, & in aliqua hujus parte veſicularum pellucidarum acervum ab aere expanſarum & ita obſtructarum, ut levi negotio aer neutiquam exprimi valuerit, indigitat. *Obſ. 22.* vaginam uterinam in parturiente a duplici membrana perquam craſſa, hymene ſcilicet ipſo, & alia præternaturali profundius deliteſcente, forſan poſt imprægnationem ab excoriatione quadam inducta, clauſam annotat, quibus demum membranis ſucceſſive inciſis fœtus vivus & robuſtus prodierit. In partu portionem quoque uteri tantum lateralem prolabi, *Obſ. 24*; aliquando vero os uteri procidere, *Obſ. 25.* patefacit. *Obſ. 27.* in aſthmaticæ cadavere ſaccum membranaceum craſſum, magnitudine ventriculum, cui incumbebat, exprimentem ac hydatidibus repletum detegit. *Obſ. 30.* penis virilis deſperate corrupti, æque ac uteri prolapſi & in prodigioſam molem aucti, extirpationem non ſolum affirmat, ſed & modum eandem operationem cum ſucceſſu perficiendi ingenue communicat. *Obſ. 31.* veſiculæ TAB. III. felleæ humanæ A, quæ intus cellulis B diſtincta, & calculoſa cruſta Fig. 1. C obducta apparuit, aliam veſiculam felleam bovinam A ſummo- Fig. 2. pere anguſtatam, cum B ductu cyſtico, C radicibus ejusdem ductus, DD poro biliario cruſta calculoſa intus obſeſſo, & E ductu communi ad inteſtinum tendente, eum in finem adjicit, ut folliculus felleus bili, quam & hic, & in poro biliario naturaliter ejusdem craſſitiei cenſet, diverticuli tantummodo eſſe vice eluceſcat. Placentæ uterinæ quemadmodum retentæ interdum pſeudomolas ſecundum *Obſ. 28.* conſtituunt; ita in hydatides quoque limpidas easdem aliquando degenerare, quæ nihil aliud quam minutiſſimæ earum glandulæ degeneres videntur,

Obſ. 33. evincit. *Obſ. 37. & 38.* mira ipſius aortæ aſcendentis recenſet aneuriſmata, coſtas una corrumpentia. *Obſ. 40.* in cephalæa ſetaceum aliis irritis unice proficuum commendat. *Obſ. 44.* globulum ſuccini diu in naribus hærentem, ſternutatione demum rejectum, topho exhibet obductum. *Obſ. 48.* fungum palati cum carie ſcalpello & cauteriis feliciter extirpatum refert; ſine quibus in alio ſubjecto mortem eundem ob medicaſtrorum inſcitiam acceleraſſe, *Obſ 49.* profitetur. *Obſ. 51.* lienem cum hepate & renibus ſuccenturiatis ad mentem *Malpighi* pro glandula ſanguinea venditat, a cujus ſtructura tam glandulæ lieni ſæpius adſitæ, quam thyroideæ rite examinatæ parum videantur diſcrepare. *Obſ. 56.* in cadavere mulieris aſthmate mortuæ bronchia & cellulas pulmonum membranoſas aqua ſpumoſa repletas, ventriculum cum inteſtinis hypogaſtrium occupantem, nec uterum in pelvis medio, ſed latere ſiniſtro ſitum, renem denique ſiniſtrum ejusque pelvim prodigioſo calculo, magnitudinem & formam ingentis radicis zinziberis apprime referente, obſeſſum commemorat. Molas decantatas nil eſſe, niſi carnoſas uteri excreſcentias, aut placentulas retentas & ab utero compreſſas, neutiquam vero e mala conceptione oriri, cum & a virginibus, ac vetulis cum viris haud cohabitantibus, interdum excerni ſoleant, *Obſ. 58.* adſtruit. *Obſ. 63.* tumores illos duros & oblongos in abdomine mulierum poſt partum ſæpius ſuperſtites, omento a viſceribus circumjacentibus compreſſo, & ab inflammatione ſuperveniente incraſſato per autopſiam adjudicat. Corpora aliquot vertebrarum dorſi in gibboſis nonnullis poſt nativitatem adeo in ſe invicem adigi poſſe, ut vix unius vertebræ corpus naturale adæquent, proceſſibus ſpinoſis in formam ſemicirculi diſpoſitis, atteſtatur *Obſ. 67.* In cadavere aſthmatici, pulſu perceptibili ultimis diebus deſtituti ac lipothymiis continuis divexati, thoracem latice aquoſo repletum, cordisque valvulas ſemilunares oſſificatas, & penitus coalitas, nullum tranſitum ſanguini concedentes, *Obſ. 69.* demonſtrat. *Obſ. 70.* in hydropica itidem diſſecta peritonæum variis in locis duris particulis, arenulas mentientibus, conſperſum, venamque portæ ex parte oſſeam factam obſervat. Famem caninam relaxato interdum pyloro deleri, *Obſ. 74.* prodit. *Obſ. 77.* polypos protrahit in antro Highmori hærentes. *Obſ. 78.* veſicæ digitum præternaturaliter craſſæ internam oſtendit ſcabiem, ceu quæ anſam ſimul præbeat excreſcentiis glanduloſo-carneis ex interiori

riori veſicæ tunica propullulantibus ac prope collum hujus hærendo tantam ſæpe iſchuriam inferentibus, ut cathetere ſaltem immiſſo lotium reddi queat. Alveolos dentium interdum non in ſenibus modo, ſed & in junioribus, tam poſt dentium caſum, quam ante horum evulſionem, penitus ob varias cauſas aboleri, ut dentes frequentius non niſi membranis cohæreant, gingivis pariter deficientibus, *Obſ. 82.* comprobat. Uti ſterilitatis cauſis tubarum quoque Fallopianarum *Obſ. 83.* accenſet clauſuram: ita per easdem tubas lochia non minus, quam menſtrua in abdominis cavitatem aliquando erumpere, *Obſ. 84. & 85.* annotat. *Obſ. 91.* affectionem iliacam, tanquam inteſtinorum atoniam, ab obſtructione nervorum, inteſtinis a fæcibus vel deglutitis ſolidioribus obturatis, inteſtini ingreſſu, coarctione ejusdem naturali, hernia inteſtinali, inteſtinorum denique inflammatione deducit. *Obſ. 94.* mentionem injicit ureteris dextri prope veſicam calculum recondentis, ac in parte media prodigioſe extenſi, puris pintam ad minimum continentis, e quo innumerabilia vaſcula alba, turgida & ſetam tenuem craſſa, verſus hypochondrium ſiniſtrum tendentia, fuerint viſa, forſan eadem cum fibris membranaceis, ureteres cum lumbis alligantibus. *Obſ. 97.* placentam uterinam ob centralem funiculi in eandem inſertionem difficilius extrahi animadvertit. *Obſ. 95.* herniam cyſticam proponit a veſicæ in ſcrotum prolapſu enatam, nec non bubonocelen ex terrore combinatam lethalem, cum inteſtini ilei portio gangrænata per exilem circa tendines muſculorum abdominis dilatationem nullo reponi modo valuerit. Tandem *Obſ. 100.* glandis penis ſtructuram accuratius evolvens, non tam carnem eum eſſe, quam veram nervoſorum æque penis corporum, atque ſpongioſi corporis urethræ continuationem, ſine ulla ſubſtantiæ mutatione, inflationis & exſiccationis beneficio demonſtrat: quorum illa, corporis nerveo-ſpongioſi majoris & craſſioris nomine a noſtro indigitata, interiorem glandis portionem efforment; hoc vero, ſive corpus nerveo-ſpongioſum minus & tenuius, exteriorem ejusdem partem conſtituat & undiquaque ambiat, adeoque in glande obliterari falſo a *Regnero de Graaf* perhibeatur. Etenim nec venarum per penem diſtributarum foramina viſibilia, quibus inſtar cribri pro refluxu ſanguinis accelerando pertuſæ deprehenduntur, ab ullo hactenus expoſita fuiſſe, dum emolumentum e nova glandis penis textura in praxin Medicam redundans ſcrutatur, ſcita

 penem

Digitized by Google

penem inter & lienem vitulinum comparatione inſtituta, & quoad fibras nerveas, & quoad venas perforatas, omnino perſuadet.

Splendidum vero Muſeum adnexum quæ rariora exornant, ac tum in tumba erecta, tum thecis & repoſitoriis, tum theculis denique collocata & digeſta reperiuntur, maximam partem ſceleta ſunt, oſſa, partesque innumeræ hominis pariter atque brutorum nonnullorum nitide admodum præparatæ, ac lemmatibus deſuper ſive inſcriptionibus ingenioſis condecoratæ. Solas vero thecas E & F triginta & quatuor Herbaria viva ab Autore tribus noviſſimis annis, quibus Botanices Profeſſione præter Anatomicam & Chirurgicam Amſtelodami defunctus eſt, confecta occupant, tam indigenas, quam exoticas plantas ſine numero comprehendentia. In rariorum autem præparatorum corporum ingenti multitudine, jamdum a *Schwammerdammio Miracul. Natur. p. 36.* celebratorum, quamvis ſingula facillime arrideant, oculos
p. 10. tamen noſtros ac mentem in præſenti recreant, quæ ſequuntur. Duo
videlicet maxillæ inferioris oſſa in ſceleto octo menſium membranæ
p. 12. ſaltem interventu cohærentia. Os pectoris in alio ſceleto pueri qua-
p. 21. driennis ex undecim oſſiculis rotundis conflatum. Uterus cum fœtu
quadrimeſtri incluſo per viginti ſex annos adeo curioſe conſervatus,
p. 23. ac ſi recens exſiccatus eſſet. Ren humanus prodigioſæ magnitudinis,
p. 30. lagenæ figuram referens. Membrana vaſculis minutiſſimis ditata,
quorum extremitates ceracea licet materia infarctæ, ob ſubtilitatem
p. 32. tamen absque microſcopio in oculos haud incurrunt. Uterus cochleæ
marinæ gravidæ, aſperæ arteriæ æmulus, e multis annulis cartilagineis
coagmentatus, ac cochleis exiguis, interpoſita materia ſpongioſa, intus
refertus. Ligamentum teres tertium, præter naturam utero humano,
in ſiniſtrum locum retracto, connatum, *Obſ. 88.* quoque commemo-
p. 34. ratum. Sequioris ſexus fœtus humanus ſex menſium cum dimidio,
in liquore a multis annis nitide conſervatus. Cerebrum humanum
balſamo lapidis inſtar induratum, glandulam pituitariam cum infun-
dibulo, medullam oblongatam & decem nervorum paria luculenter
p. 38. exhibens. Portio peritonæi cujusdam hernioſi, tum peritonæum
ſaltem dilatatum, tum vaſa ſpermatica ſub peritonæo, non vero inter
p. 40. duplicaturam ejus decurrentia oſtendens. Particulæ pulmonis e viro
p. 41. inflatæ bronchia, calculo ingenti obſeſſa. Lien vitulinus a paren-
chymate glanduloſo ſeparatus & inflatus, per cujus ſuperficiem vaſa
lym-

Digitized by Google

lymphatica numeroſa flatu turgida diſſeminantur. Vaſcula ſanguinea p. 44.
per membranas diſperſa, mercurio vivo repleta. Varia vaſcula ſan- p. 45. &
guinea a materia ceracea diſtenta, & ab omnibus adhærentibus membra- 109.
nis penitus ſeparata. Omenti portio, ut ſericum referat, præparata. p. 48.
Cutis in filamenta, veluti fila ſericea, diſſoluta. Inteſtini jejuni humani p. 53.
portio, cujus valvulæ conniventes plane obliteratæ. Hepatis portio p. 55.
glandulas hujus viſceris luculentiſſime repræſentans. Renes ovini p. 60.
prodigioſi, pintam aquæ cum dimidia capientes, inflati ac balſamo
cum annexis ureteribus præparati. Qualis expanſio enormis, ob con-
tinuum & irritum urinam ſtagnantem expellendi conatum hernia re-
nalis ſalutanda videtur. Vas lymphaticum per pelvim & renem di- p. 61.
ſperſum. Veſica humana tribus ureteribus, ſeorſim ſeſe in ejusdem p. 62.
cavitatem exonerantibus, inſtructa. Valvulæ coli in equo recens in
lucem edito ita coalitæ, ut excrementorum tranſitus in totum fuerit
impeditus, adæquata mortis ſubitaneæ cauſa. Triplex ligamentum
in colo equino, ſicut in homine, cum triplicibus valvulis conniventibus
cellulas repræſentantibus. In inteſtini ilei humani portione diverti- p. 67.
culum præternaturale ſatis magnum. Septum lucidum cum cerebro p. 65.
hydrocephali octo annos nati. Leporis paraſtatæ mercurio vivo re- p. 63.
pletæ, in quibus notatu dignum eſt, mercurium per vaſa ejaculatoria
adactum non ſolum paraſtatas, verum etiam alia quædam vaſcula
minutiſſima verſus abdomen tendentia repleviſſe. (Forſan hæc ipſa
lymphatica ſunt vaſa, cum quibus vaſa deferentia communicare, *Nobi-
liſſ. Camerarius Miſc. Acad. Nat. Curioſ. Dec. II. A. VII. p. 432.* recens p. 68.
detexit.) Gigantis os ſyncipitis ſiniſtrum. Gemellorum placenta ute- p. 70.
rina duplex. Anaſtomoſes arteriam inter bronchialem & pulmona- p. 81. 82.
lem intercedentes. Embryo grani ſecalis magnitudine, cum annexa
placentula e funiculo umbilicali jam a viginti quinque annis conſer- p. 66. 67.
vatus & induratus. Muſculi brachii & pedis præparati ac balſamo per & 94.
plures annos conſervati. Teſtium virilium vaſa repleta. Hominis
os palati, e cujus medio dens molaris prorupit. Portio inteſtini jejuni p. 90.
humani admodum craſſi & quaſi congelati, quatenus omnia in eo- p. 102.
dem ſubjecto inteſtina gelu velut indurata ipſo tempore æſtivo apparu- p. 110.
ere. Veſicula fellea humana a fundo ad extremum usque ſerpentino
ductu repens &c.

De cætero quemadmodum e Figuris 85, quibus obſervationes diluci-
dantur

p. 103. dantur, duas huc transſcribi curavimus, ita e Figuris 11 Muſeum pariter illuſtrantibus eam hic communicabimus, quæ in ſterno partim ligamenta carti laginum, coſtas cum eodem arctiſſime connectentium, partim in-

Fig. 3. finitos ramuſculos arterioſos, elegantiſſime depingit. Scilicet A ſternum eſt, ab antica parte ſeſe exhibens. aaaa ligamenta denotantur, quorũ fibræ inſtar ſtellæ aut ſtriatim exporrectæ & a nemine hactenus (quantum Autori conſtat) deſcriptæ aut obſervatæ. bbbb innumerabiles exiſtunt ramuſculi e vaſis mammariis oriundi.

AQUARUM FLUENTIUM MENSURA NOVA methodo inquiſita Autore Dominico Gulielmino M. D. Bononienſi, in patrio Archigymnaſio Scientiarum Mathematicarum primario Profeſſore, & aquarum Bononienſium Superintendente.

Bononiæ ex typographia Piſariana, 1690. in 4. plag. 8. & 4. Tab. æn.

Autor in præfatione notat, in hoc quod tractat argumento P. Benedictum Caſtellum omnes quidem anteriores ſuperaſſe, ſed duo tamen dubia reliquiſſe, unum quod non diſtinxit diverſas aquæ in diverſis ejusdem loci partibus velocitates, cum alia ſit verſus ſuperficiem, quam prope fundum, (quanquam Autor infra notet, in fluminibus diſcrimen non eſſe magni momenti;) alterum quod in propoſitione ſecunda libri ſecundi demonſtranda nec ſibi ipſi, nedum aliis ſatisfecit. Hæc igitur ſupplere & perficere cogitans Autor Clariſſ. plures libros compoſuit, ex quibus tres nunc in publicum emiſit, reliquis judicium lectorum, & diuturniores, ut ait, cogitationes expectantibus. His autem prioribus libris ſimpliciores caſus conſideraſſe, in ſequentibus magis complicata, quemadmodum revera occurrunt in fluminibus, expoſiturum. Adhibet autem pro variis aquæ *velocitatibus mediam* quandam, id eſt, quã ſi aqua uniformem per totam ſectionem perpendicularem ſeu per totam altitudinem fluminis in dato loco haberet, tantundem aquæ tranſiret, quantum

TAB. III. nunc velocitate difformi. Itaque (fig. 4.) ſi aquæ velocitates in altitu-

Fig. 4. dinibus A, G, F, D, B, eſſent AK, GI, FH, DE, BC, velocitas media erit FH, poſito (ut ait defin. 7.) exceſſum KLH eſſe æqualem defectui HMC. Figuram autem ABCHK vocat *complexum velocitatum*, & punctum F centrum velocitatis. Et lib. 1. prop. 1. oſtendit poſt Caſtellum in ſectio-

Digitized by Google

ſectionibus ejusdem fluminis velocitates (medias) eſſe in proportione reciproca ſectionum, & prop. 6 per ſectiones ejusdem vel diverſorum fluminum quantitates aquæ eodem tempore fluentes eſſe in ratione compoſita ſectionum & velocitatum mediarum. Unde prop. 7. intumeſcente flumine erit quantitas aquæ fluens in intumeſcentia ad priorem, in ratione compoſita velocitatum (intellige ſemper medias) & altitudinum. *Sectio* hic intelligitur *artificialis* ſeu regularis, quaſi fundo per transverſum horizontali, & ripis parallelis, & normaliter erectis. Altitudo autem intelligitur *viva,* aquæ ſcilicet fluentis, omiſſis depreſſionibus & quaſi lacunis, quas fundus habere poteſt. Unde ſectio eſt in ratione compoſita altitudinis & latitudinis ſeu baſeos. Ex his conſtat, quod ſi (prop. 10) fluminis aqua aliud flumen ingrediatur, altitudo quam habet in ſecundo flumine, ad eam quam habebat in proprio alveo eſt in ratione compoſita velocitatum & latitudinum. Et (prop. 12) notat complexus velocitatum eſſe in ratione compoſita altitudinum AB, & velocitatum mediarum FH, cum complexus iſte utique ſit ut rectangulum AM; quæ quidem omnia ex figura ſunt ſatis manifeſta. Atque his tradendis abſolvitur liber primus. Deinde in *lib. 2* tractat de *Canalibus* inclinatis, iisque *ſolitariis,* quos ita appellat, cum canalis ab ipſo initio totam ſuam aquam recipit, quam ad terminum uſque fluxus defert, nullis novis canalibus durante fluxu receptis; ſi vero novi canales in priorem influant, canalis dicetur *unitus*. *Lumina* ſunt foramina inſculpta in lateribus vel fundo vaſis, per quæ aqua repleto vaſe poteſt fluere. Propoſitione 1 continetur libri ſecundi fundamentum, nempe ſi ex vaſe aqua pleno effluat aqua per lumina ſimilia & æqualia, ſed inæqualiter infra ſuperficiem aquæ ſita, erunt quantitates aquæ eductæ inter ſe in ſubduplicata ratione altitudinum incumbentis aquæ, dummodo tamen ſemper perſeveret ſupra lumina æqualis aquæ altitudo. Eam propoſitionem ab aliis jam poſitam, & a Mariotto obſervationibus comprobatam, etiam ſeſe veram experimento comperiſſe ait in cœnobio D. Bernardi PP. Olivetanorum, cum defuncto Abbate D. Tadæo de Pepulis & D. Joh. Ludovico Donello Philoſ. & Med. Doct. collegiato, in Mathematicis laudabiliter verſato. Ex demonſtrationibus tutiorem ſibi viſam Torricellianam, quam ſubjicit. Cum vero jam perinde ſit, ubicunque foramen, infra an ad latus, & quorſum vergat: itaq; Autor ipſam ſectionem fluminis per quam effluit, tanquam lumen

Digitized by Google

conſiderat, elevationem autem initii canalis, tanquam altitudinem; & quoniam in eo videtur contineri nervus ſententiæ Autoris, placet prop. 1. cum ſua demonſtratione & figura ipſiusmet verbis ſubjicere, ut lectoꝛ judicare poſſit: Eadem eſt Velocitas aquæ fluentis per aliquam ſectionem canalis inclinati, ac ſi fluxerit e vaſe per lumen ſimile & æquale ſectioni, tantundem a ſuperficie aquæ remotum; quantum ſectio ab
TAB. III. horizontali per initium canalis. Sit canalis inclinatus AB, per quem
Fig. 5. fluat aqua in ſectione B, & ſit AE horizontalis per initium canalis, dico in ſectione B eandem eſſe velocitatem aquæ, ac ſi flueret per eandem ſectionem B tanquam lumen, e vaſe clauſo ABE, in quo aquæ ſuperficies ſit AE. Quoniam enim aqua eſt corpus grave, ſi intelligatur ab A fluxiſſe in B per planum inclinatum AB, erit eadem velocitas in B ac in D, ſi ex A in D cecidiſſet (Supponitur enim AD horizonti perpendicularis & ſecta horizontali DB) vel ex C in B; ſed & in vaſe clauſo velocitas luminis B eadem eſt, ac ſi aqua a C in B deſcendiſſet: Ergo velocitas in B eadem eſt, ſive aqua fluat per canalem *AB*, ſectione B, ſive fluxerit e vaſe ABE, lumine B. Q. E. D.

Hinc concludit, velocitates in diverſis ſectionibus ejusdem canalis, eſſe in ſubduplicata ratione perpendicularium a ſectionibus ad horizontalem per initium alvei. At porro colligit, in qualibet ſectione canalis inclinati majorem eſſe velocitatem in fundo, quam in aquæ ſuperficie, ſed quo major inclinatio canalis, itemque quo magis ab initio alvei receditur, hoc minorem eſſe differentiam. Hinc fatetur Autor in ſcholio, in fluminibus velocitatem fundi & ſuperficiei ſumi poſſe phyſice æqualem; imo ob contactum cum fundo in fluminibus parvæ altitudinis fieri poſſe, ut aqua ſit velocior in ſuperficie. Quoniam autem in parabola ordinatæ ſunt etiam in ſubduplicata ratione altitudinum, hinc comparatione parabolæ Autor dictas proportiones exponit. Ad menſurandas mechanice velocitates pendulum aptat quadranti in gradus & minuta diviſo, quod velocitate aquæ a directione dirahitur, velocitatesque ex Herigoni libro 9 Mechanicæ vult eſſe ut tangentes angulorum inclinationis, quos pendulum ſcilicet facit ad rectam verticalem.

Denique *liber tertius* tractat de Canalibus tam ſolitariis quam unitis, ſed horizontalibus tantum. Ubi prop. 1 aſſerit velocitatem, qua fluit aqua per canalem horizontalem, eſſe eandem cum ea, qua flueret ex vaſe aqua pleno, cujus altitudo eadem, quæ altitudo viva aquæ

in ca-

Digitized by Google

in canali horizontali: adeoque velocitates eſſe in ſubduplicata ratione diſtantiarum a ſuperficie aquæ. Notat tamen altitudines intelligi vivas; nam ſi ſubſit gurges aut impedimentum, non modo retardatur aquæ velocitas, ut ſuperioribus minor ſit, ſed etiam fit ſtagnans, imo motum ſuum retrorſum convertit, quod pendulo ſe ait expertum. In prop. 5 oſtendit ex prædictis, quantitates aquæ in ſectionibus canalium horizontalium ejusdem latitudinis, ſed diverſarum altitudinum fore in triplicata proportione velocitatum mediarum. Quod ſic quoque oſtendi poteſt: cum quantitates aquarum ſint in ratione compoſita ſectionum & velocitatum mediarum; ſint autem ſectiones ejusdem latitudinis ut altitudines, & altitudines in duplicata velocitatum mediarum: Ergo compoſita ſectionum & velocitatum, erit velocitatum triplicata. Ex his deinde problemata quædam ſolvit, nempe: Data quantitate aquæ fluentis in canali horizontali per ſectionem datæ altitudinis & latitudinis, & latitudine alterius ſectionis, invenire altitudinem ejusdem aquæ in ſecunda ſectione. Datis duobus canalibus horizontalibus notæ altitudinis & latitudinis, quorum unus influat in alium, invenire altitudinem, quam addet canalis influens primæ altitudini alterius. Sectionem quamcunque canalis horizontalis ita dividere, ut partes aquam profundant in data ratione.

Atque hæc quidem ſumma eſt doctrinæ Autoris noſtri, quam agnoſcit in fluminibus minus applicabilem eſſe: & ſane in longiore curſu fluminum velocitas attritu ita imminuitur, ut a ſubduplicata proportione depreſſionum infra locum originis longiſſime recedatur, quæ locum haberet, ſi aqua per exiguum ſpatium flueret, aut ſi omnis abeſſet attritus fundi ac laterum, cohæſioque partium aquæ ac motus ejus non minus liber eſſet, quam cum globus perfectus in plano inclinato exacte levigato delabitur. Licet enim alias talia accidentia negligantur, in longo tamen curſu accumulata faciunt, ut regula perdat officium. Interim quæ remotis accidentibus, atque adeo in exiguæ longitudinis canali locum habeant, Autor ſatis eleganter videtur complexus, nec dubium eſt in ſequentibus libris multa etiam praxi apta traditurum, quorum maturata editio omnibus ſcientiæ tam utilis æſtimatoribus gratiſſima erit.

DISSERTATION SUR LE CHENIX DE Pythagore. par J. Du Rondel. i. e.

J. Rondelli Diſſertatio de Chœnice Pythagoræ.

Amſtelod. apud Joh. Garrellum, 1690. in 12. plag. 5.

CLariſſimus *Rondellus* Profeſſor Trajecti ad Moſam, (quem & anno
1686 p. 382, & anno 1687 p. 395 laudavimus,) epiſtolicam hanc
p. 3. de *chœnice Pythagorica* diſſertationem Petro Bælio, Philoſophiæ ac Hi-
ſtoriarum Profeſſori Roterodamenſi celeberrimo, inſcripſit.

Licet vero in vulgus notum ſit, chœnicem menſuræ genus apud
Græcos fuiſſe, tres frumenti cotylas, ſive quantum homini in alimentum
diurnum ſufficiebat, capiens; obſcurum nihilominus quam maxime eſt
p. 7. ſ. Pythagoræ de ea præceptum: *Chœnici ne inſideas.* Quid moralis
doctrinæ involucro hoc ſymbolico abdatur, non pauci veterum recen-
tiumque philoſophorum indagare ſategerunt. Horum tamen nullus
p. 59. in ſententiam ſuam pertrahere potuit Rondellum, qui ad ſola *Bacchi
orgia* effatum illud ſapientiſſimi ſenis ſpectare, eruditis perſuadere niti-
p. 61. tur. Obſervat igitur ex theologia Carthaginenſi, animas hominum
corpore ſolutas, ſi vitam ſceleratam vixerint, pœnam luere in Hecates
barathro; ſin majorem in modum virtutibus ſtuduerint, in campis Ely-
ſiis, aut ſi mediocriter a vitiis ſibi temperarint, virtutibusque ſeſe imbue-
rint, in Proſerpinæ campo felici vita frui. Vertente dein tempore
animas ſive pias, ſive impias ex ſubterraneo orbe in mediam aeris regio-
nem evolare, ac dein in ſubſtantiam Lunæ reſolvi. Hoc facto, virtute
Solis magis magisque purgari, & divinæ demum vitæ ac puriſſimi corpo-
ris participes reddi. Quanto autem purius quælibet hoc in orbe vixe-
rit, tanto citius ἀποκαταστάσεως ac ἀποθεώσεως quaſi ſuæ periodum
abſolvere. Ideoque immortalitatis ejusmodi defecatæ cupidi omni
ſtudio eniſi ſunt in id, ut integros vitæ ſceleriſque puros ſe ſervarent.
Et in his vel maxime reponendi ſunt Bacchicorum myſteriorum epo-
ptæ. Horum Numen non modo caſtitatis, ſanctimoniæ & hilaritatis ex
conſcientia vitæ innocentis oriundæ, ſed & mortis vitæque venturæ
præſes credebatur, ſive, quæ *Eudoxi* phraſis eſt, **τεθνηκότων ἄρχειν δυνά-
μενος.** Quotquot ergo, meritorum ſuorum conſcii, æternitatis can-
didatos ſe putabant, ſpemque conceperant animo, ſeſe Bacchi beneficio
quantocyus ad transmutationis ſuæ terminum perductum iri, immane
quantum lætari ſolebant, & extra ſe quaſi rapti, inter compotationes
p. 69. tripudiaque (externa intimi gaudii ſigna) ingeminabant: *Video! inter-
ſum! fruor!* itemque:

Duce

Digitized by Google

Duce Te, (Bacche,) *ſemper ſupremi ferimur ſpatia poli*
Fruimurque Cœlitum vi fruimurque dape Deum.

Equidem inter Bacchicam religionem profeſſos *multi* erant *thyrſigeri, pauci Bacchi*, multi initiati, pauci epoptæ. Multi nempe in externis orgiorum ceremoniis hærebant, & ex hilaritate laudabili in belluis dignam voluptatem prolabebantur. At (ſi Rondellum audias,) iſtud religioni Bacchicæ non magis fraudi eſſe debet, quam religioni Chriſtianæ *ἀσωτία* illorum, qui Chriſti fidem ore profeſſi Quadrageſimam paſſionis dominicæ memoriæ ſacram Bacchanalibus ſobrietati Chriſtianæ maximopere adverſis ordiuntur. Etiamſi quoque S. P. Q. R. Bacchanaliorum ſacra urbe ſua rigidiſſimis decretis ſubmoverunt, Noſter tamen confidenter aſſerit, hoc non factum fuiſſe, quod ſcelerum ac impietatis convicerint orgia celebrantes, ſed quod peregrinum Deorum cultum, (cujuscunque is generis fuerit) intra ſua pomœria admittere noluerint, veriti forſan, religionum diverſitatem diſſenſionibus & ſeditionibus civilibus anſam daturam. Quia itaque Bacchus intemeratæ ac purioris vitæ ſtudioſorum numen tutelare habebatur, *Λικνίτυ* (ſeu *vanno purgantis*) titulo decorari ſuevit, eique in ſymbolum *vannus* adſignata fuit, plane uti Herculi clava, aut lotus Harpocrati. Hanc ob rem in Virgilii Georgicis memoratur *myſtica vannus Jacchi.* Quemadmodum namque vannus frumentum ventilat ac a paleis ſecernit: ita Bacchica religio mentem a vitiis abſtrahere ac ſeparare exiſtimabatur. A vanno autem chœnicem forma haud multum diſcrepaſſe, & quoad ſignificationem cum ea exacte conveniſſe, Rondellus cenſet. Eapropter effatum Pythagoræ: *Chœnici ne inſideas*, exponendum arbitratur: In purificatione vitæ tuæ noli deſes eſſe, quin omnibus viribus enitere, ut in hac vita ad futuram vitam te rite præpares. Etſi vero haud negemus, non absque veri ſpecie Bacchanaliorum primam inſtitutionem puriorem ac innocuam magis repræſentari a Rondello, ac vulgo fit; non tamen defore autumamus, qui a clariſſimo Viro locum probati auctoris deſideraturi ſint, quo chœnix *αὐτολεξεὶ* Baccho tribuatur aut cum vanno confundatur. Chœnix quippe inſerviebat menſurando, non item *purgando* frumento, adeoq; mentis purgationi connotandæ, non æque uti vannus, apta fuiſſe videri poſſet. Sed cum univerſam Pythagoræorum philoſophiam ab Auctore doctiſſimo aliquando explicatum iri, a typographo in præfatione ſpes nobis facta ſit haud obſcu-

p. 67. p. 59. p. 73. p. 53. l.1.v.166. p. 54. p. 53.

Digitized by Google

re, nulli dubitamus, fuſius eum hoc argumentum ſuo tempore perſecuturum.

JOHANNIS HEVELII PRODROMUS ASTRONOMIÆ & novæ Tabb. Solares, quibus additus uterque Catalogus ſtellarum fixarum, nec non tabula motus Lunæ libratorii ad duo ſecula proxime ventura. Item Firmamentum Sobieſcianum ſeu Uranographia, totum cœlum ſtellatum quoad ſingula ſidera accurate delineatum exhibens.

Gedani, typis Joh. Zach. Stollii. 1690, fol. conſt. 99 plag. & 59 tabb. æneis.

SIngulari certe divini Numinis cura ex ferali illo incendio, quod anno 1679 menſe Septembri *Hevelianas* machinas Aſtronomicas incredibili ſumtu & labore conſtructas, & quidquid præterea multorum annorum vigiliis & felici induſtria ad Uranien magis magisque exornandam partum erat, momento quaſi diſturbavit, deſtruxit atque perdidit, ereptus eſt *fixarum Catalogus*, qui tot votis eruditorum hactenus expetitus in lucem nuper prodiit publicam. Cum enim loca, quæ nobiliſſimus *Tycho* ſtellis affixis aſſignat, cœlo non ſemper accurate conſentirent, neque tamen cujusvis eſſet rem tantam aggredi, unus inventus eſt *Hevelius*, νῦν ἐν ἁγίοις, qui oneri graviſſimo, Atlantis inſtar, humeros ſupponeret, & loca ſtellarum, quotquot oculos teleſcopiis non armatos haud fugiunt, improbo labore indagaret. Id autem qua ratione factum ſit, *Prodromus Aſtronomiæ*, cui fixarum catalogus
Cap. 1. ſubjicitur, latius exponit. Ergo cum omnes ejus obſervationes Gedani peractæ fuerint, ſolicitus primum de vera hujus loci fuit latitudine, deprehenditque ex altitudine maxima & minima ſtellæ polaris, *eleva-*
Cap. 2. *tionem poli Gedanenſis* eſſe 54°. 22′, 52″. Deinde vero ne inſtrumentorum, quibus uſus fuit, fides in dubium vocetur, oſtendit, *quomodo Inſtrumenta & obſervationes exactiſſime poſſint examinari*, demonſtratque organa ſua perfectiſſima fuiſſe, quippe cum octo ſtellarum fixarum circa Eclipticam & Æquatorem exiſtentium totumque cœli ambitum complectentium, quarum diſtantias organis ſuis indagaverat, differentiæ aſcenſionales additæ 359°, 59′, 56″, efficerent: 4″ ſolum ex integro circulo deficientibus

entibus; ut reliqua examina, quibus machinarum ſuarum bonitatem oſtendit, ſilentio prætereamus. Porro cum ad *obliquitatem Ecliptica*, cap. 3. cujus cognitio hoc quoque in negotio requiritur, determinandam non ſolum exacta inſtrumenta requirantur, ſed etiam *Solis genuina parallaxis & refractiones* prænoſcendæ ſint: de his quoque agit, contendens refractiones veras (quarum Tabulas exhibet) longe minores eſſe Tychonicis; parallaxi vero Solis horizontali $40''$ poſita, ſalvari poſſe omnia phænomena, & nihilominus tamen ſecundum hanc ſententiam Solem a Terra removeri in media diſtantia 5157 S. T, in maxima 5248 S. T, & in minima 5065 S. T. Ipſa autem obliquitas Eclipticæ Hevelio eſt $23^{\circ}, 30', 20''$, *& annus tropicus Solaris*, quem ex Æquinoctiis obſervatis deduxit, 365 D. 5 H. $48', 49'', 47''', 23''''$. Sequuntur *nova Solares tabulæ*, cap. 4. ex quibus aſſumta longitudine Eden 79°, ſi rationes ſubducas, colligitur anno ante Chriſtum natum 3963, 24 Octobr. hora 6 veſpertina, Solis longit. in 0 ♎, ejusque apogæum 7° ♈; adeoque hoc tempore Solem fuiſſe conditum conjicitur. Stellarum fixarum motum quod attinet, eas ſingulis annis $50''$ $52'''$ promoveri ſtatuit, totam vero periodum eſſe 25478 annorum. Quoniam autem probe perſpectum erat Celeb. cap. 5. Auctori, quanti momenti ſint ad fixarum loca reſtituenda *obſervationes* cap. 6. *diurna & nocturna Veneris*, has quoque diligenter ſectatus, votique ſui compos factus, arduum hoc negotium feliciter aggreſſus eſt, atque ex obſervationibus pariter atque calculis ſæpius iteratis, longitudines, latitudines, aſcenſiones rectas & declinationes fere bis mille ſtellarum cap. 7. in catalogum retulit. Et quia vulgo non planetæ ſolum, ſed & zodiaci ſigna *certis characteribus* denotantur, idem ad ſingulos *aſteriſmos* tranſtulit, & ſigna, quibus compendio ſcribi poſſint, excogitavit. Sunt cp. 8. autem aſteriſmi, in quos informes ſtellas coegit, ſequentes: *Canes venatici, Aſterion & Chara*, Urſam majorem perſequentes; *Lacerta* inter Andromedam & Cygnum poſita; *Leo minor* inter Urſam majorem & Leonem majorem; *Lynx* inter Urſam majorem & Aurigam ſupra Geminos; *Urania ſextans* inter Leonem majorem & Hydram; *Scutum Sobieſcianum* prope Aquilam inter Antinoum & Serpentarium; *Triangulum minus* ſub altero Triangulo majore; *Vulpecula cum anſere* inter Aquilam & Lyram ſub Cygno; *Cerberus* ab Hercule ſiniſtra manu prehenſus; *Mons Mænalis* ſub pedibus Bootis; *Telum & arcus*, quibus *Antinous* armatus conſpicitur. Ratione *magnitudinis fixa* in ſex claſ-

ſes

ſes dividuntur, ita tamen, ut *Illuſtr. Auctor* moneat, ſtellas omnes non eandem perpetuo retinere magnitudinem, ſed minui quandoque aut augeri, immo nonnullas plane evaneſcere; & noſtro ævo quinque ſtellas, quarum loca *Tycho* dimenſus fuit, in cœlo fruſtra quæri, licet *Ricciolius* illas in ſuum Catalogum tanquam a ſe obſervatas retulerit. Illud etiam inter maxime memoranda & a nemine hactenus obſervata refertur, quod *in ſtellis undecim aſcenſiones rectæ creſcant*, cum in reliquis decreſcant, illæque motum reciprocationis exerceant, ita ut modo directe, modo retrograde incedant, modo etiam ſint ſtationariæ. Ipſe fixarum *Catalogus duplex* eſt, *major* atque *minor*, quorum prior computatus eſt ad annum 1660 completum, & non tantum loca fixarum quoad longitudinem & latitudinem, Aſcenſ. Rect. & Declinationem ex obſervationibus *Hevelii*, ſed juxta *Tychonis*, *Principis Haſſiæ*, *Ricciolii*, *Ulugbbeighi* & *Ptolomæi* quoque placita ratione longitudinis & latitudinis complectitur; ut diſſenſus, qui inter Auctores quandoque non contemnendus occurrit, eo melius intelligi poſſit. Sidera ſecundum alphabeticum ordinem ſunt diſpoſita, & in ſingulis majores & inſigniores ſtellæ reliquas præcedunt, annotata magnitudine & *Tychonica*, & illa, ſub qua *Hevelio* adparuerunt. Poſterior Catalogus ad annum 1700 reductus eſt, eumque ſequitur index *Hallejanus* ſtellarum Auſtralium una cum *Tab. Aſcenſ. & Declinationum 526 præcipuarum fixarum* ad annum 1660 & 1760 completum cum earundem differentia, nec non *Tabula motus Lunæ libratorii* ad bina ſecula proxime ventura prolongata. Ex minori illo Catalogo delineatum quoque eſt *firmamentum Sobieſcianum ſive Uranographia*, tabulis æri inciſis comprehenſa. In hac quælibet pagina plerumque unum primarium ſidus rite adumbratum & delineatum, non nunquam etiam duo minora exhibet; reliqua vero adjacentia ſidera nudis lineolis, abſque omni umbra, ſunt ſculpta, ut ex vicinis ſtellis primarium ſidus promtius poſſit dignoſci, quod alias, ſi nudæ tantum ſtellæ, ut in *Bayeri Uranometria*, depictæ ſint, haud ita facile fieri poteſt. In quovis etiam Iconiſmo circuli cœleſtes cum ſuis diviſionibus ſunt deſcripti, & in nonnullis zodiacus quoque eſt repræſentatus. Stellæ autem non quaſi ſub cœli concavo, ſed in convexitate globi cœleſtis exhibentur, quia veteres quoque cœlum ita contemplati fuerunt, ac ſi ejus ſphæram convexam ab extra, ut in globis artificialibus contingit, adſpicerent, atque hinc nomina indidere ſtellis, quæ omnia, ſi aliter jam fieret, inverti atque confundi Auctor opinatur.

cap. 9.

Miſcel-

MISCELLANEA AUTORE THOMA SMITH, Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

Londini impenſis Samuelis Smith 1690 in 8.
plag. 21.

NOva ſunt hæc Miſcellanea, & ab iis diverſa, quæ in Actis noſtris A.1687 menſe Februario p.92. recenſuimus. Quatuor autem imprimis capita novo hoc Miſcellaneorum volumine continentur. Primum eſt *reſponſio ad nuperas D. Simonii in libro ſuper fide Græcorum de dogmate Transſubſtantiationis cavillationes.* Cum enim Smithus in prioribus Miſcellaneis ea, quæ ſub nomine *Domini de Moni* latens *Simonius* in libro de fide & ritibus Orientalium, ſuæ de hodierno Eccleſiæ Græcæ ſtatu epiſtolæ, circa vocem *μετουσιώσεως* & Græcorum in doctrina transſubſtantiationis cum Romana Eccleſia conſenſum objecerat, refutaſſet, & paulo poſt Simonius novum libellum, in quo ad noviſſimas Smithi objectiones reſpondet, edidiſſet, (quem libellum in ſupplementis noſtris Sect. 2. p. 75. retulimus) ſententiam ſuam de voce *μετουσιώσεως* ejusque novitate ulterius ſtabiliendam, & adverſus Simonii exceptiones vindicandam clariſſimus Autor cenſuit. Iterum igitur, poſt varias de Simonio querelas & expoſtulationes aſſerit, Gabrielem Philadelphienſem vel primum, vel ſaltem inter primos *μετουσιώσεως* vocem uſurpaſſe; quemadmodum apud Latinos Petrus Bleſenſis, vel potius Stephanus Æduenſis primus, vel ſaltem inter primos, barbarum transſubſtantiationis vocabulum aut effinxerit, aut ad Euchariſtiam accommodaverit. Objectum a Simonio Gennadii teſtimonium *ὑποβολιμαῖον* eſſe, iterum affirmat. Concilii Florentini tempore vocem iſtam nondum cuſam fuiſſe dum aſſerit, obiter notat in ſeſſione 25. verba: *ὁμολογοῦμεν διὰ τῶν ῥημάτων τούτων τελειοῦσθαι τὸν θεῖον ἄρτον, καὶ γίγνεσθαι σῶμα χριστοῦ*, peſſima fide a *Caryophilo* ſic transferri, quaſi Græci confeſſi fuerint, per verba a Sacerdote prolata transſubſtantiari ſacrum panem, & corpus Chriſti fieri. Neque dubitat, *Beſſarionem* in confeſſione Græcorum, quæ in *Mabillonii* Muſeo Italico Latine legitur, *τελειώσεως* voce uſum fuiſſe, ubi Latinus interpres *Nicolaus Sagudineus Euripontinus* dicit, quod verba divina Salvatoris omnem transſubſtantiationis virtutem habeant. Unde concludit, *Ma-*

 billoni-

Digitized by Google

billonium ex illa Græcorum confeſſione perperam probare, quod Græci iſto tempore eandem cum Romanis de Euchariſtia fidem tenuerint; neque validius eſſe argumentum, quod idem Mabillonius in præfatione operis de Liturgia Gallicana pro transſubſtantiationis doctrina ex transformationis aliisque hujusmodi vocabulis depromit. De *Georgio Scholario*, qui ad thronum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ evectus Gennadii ſibi nomen adſcivit, ejusque ſcriptis obſervat, quod unionis cum Latina Eccleſia, quam patriæ ſuæ proficuam ſperaverit, cupidiſſimus multa in Synodo Florentina præſens Latinis conceſſerit, quæ tamen, poſtquam omnis ſubſidiorum ex Italia ſpes in nihilum abiit, retractaverit, adeoque ex diverſis ejus ſcriptis, ſi vel maxime omnia, quæ ſub Gennadii nomine feruntur, genuina eſſent, haud neceſſario ſequatur, quod *Leoni Allatio* viſum, duos eodem tempore Gennadios vixiſſe, quorum unus infenſiſſimus Latinorum hoſtis inglorie vixerit, & ne pedem quidem ex Græcia moverit, alter vero Latinorum inſignis fautor Concilio Florentino interfuerit, cui omnia opuſcula, quæ Latinæ Eccleſiæ dogmatibus favent, attribui debeant, non item quæ contra Latinos exarata ſunt. Apologiam pro quinque capitibus Concilii Florentini cum *Arcudio* & *Caryophilo* Gennadio abjudicat, cum poſt Concilium Florentinum eorum, quæ olim in gratiam Latinorum conceſſerat, palinodiam cecinerit. Imprimis autem ea Gennadio affingi probat, quæ pro transſubſtantiationis dogmate Meletius Syrigus & Simonius adduxerunt. Refert Archiepiſcopum Tiberiadis urbis in confiniis Macedoniæ ſitæ Oxonii a ſe rogatum, ut de hac controverſia Euchariſtica ſententiam ſuam libere & fideliter proferret, reſpondiſſe: *τὸ σῶμα τȣ̃ Κυρίȣ, καὶ τὸ αἷμα αὐτȣ̃ ἱερȣργȣ́μενον παρὰ τȣ̃ ἱερέως ἢ ἀρχιερέως ȣ̓ μεταȣσιȣ̃ται εἰς ȣ̓σίαν σώματος καὶ αἵματος, ἀλλ᾽ ἡ αὐτὴ ȣ̓σία τȣ̃ ἄρτȣ, καὶ τȣ̃ οἴνȣ πάλιν ἐστὶ* &c. Unde hoc elicit, quod ne hodie quidem meri Græci, quos Romanæ ſuperſtitionis aut educationis lues nondum afflavit, *μετȣσίωσιν* agnoſcant. In laudibus *Meletii Syrigi* Simonium immodicum eſſe, ejusque merita ex magnis, quibus apud Græcos ornatur, elogiis perperam metiri cenſet, cum Græcos in titulis nimis liberales eſſe annotet, etſi de cætero debitis ejus laudibus nihil detractum velit, neque neget, eum altius ſapere, quam alii monachi ſolent, qui e Græcia pedem nunquam efferunt, neque domi politioris literaturæ ſtudiis incumbunt. Ne autem Meletii autoritate Simonius nimium

Digitized by Google

nimium glorietur, opuſculum Meletii ex Bellarmino exſcriptum variisque erroribus refertum magnis ejus elogiis non congruere oſtendit. Inſulſum *Gabrielis Philadelphienſis* de ſeptem myſteriis librum, inſipidis alluſionibus aliisque ineptiis refertum, Simonio in delitiis fuiſſe miratur; contra *Cyrillum Lucarin* inculpatæ vitæ non minus, quam excellentis doctrinæ laudem meruiſſe aſſerit. Tantum abeſſe dicit, ut Cyrillus ex utilitate religionem metiri ſolitus fuerit, ut vitam profundere, quam ſe Romanenſibus accommodare & veritatis proſtitutione ſecuritatem ſibi acquirere maluerit; nec impoſturæ propterea arguendum cenſet, quod confeſſionem ſuam ſub Orientalis Eccleſiæ nomine ediderit, cum plures metropolitas & epiſcopos doctrinæ ſuæ conſentientes habuerit. *Jeremiæ Patriarchæ* & vocem μετουσιώσεως, & rem ipſam incognitam fuiſſe pronunciat, cum veritatem corporis Chriſti in ſacramento Euchariſtiæ figuræ ſeu typo oppoſitam tantum aſſerat, cujus dogmatis apud Græcos originem Smithus ex ſecundo Niceno Concilio arceſſit, cum aliqui imaginum cultum abolituri dixiſſent, non alia Chriſti imagine opus eſſe, quam quæ per ſacra ſymbola in Euchariſtia exprimitur; alii autem reſpondiſſent, Chriſtum in Euchariſtia non typice & figurate repræſentari, ſed verum Chriſti corpus dari, ſiquidem Chriſtus non dixerit, *hoc eſt figura corporis mei, ſed corpus meum:* quam ſententiam vafre potius, ut loquitur, quam vere pro ſtabilienda iconolatria excogitatam, Græcis occaſionem dediſſe ſcribit, ut verum Chriſti corpus in euchariſtia exhiberi ſtatuerent. Reliqua ad Cyrillum ferme ſpectant, & cum Smithus in prioribus Miſcellaneis ex *Petri Scargæ* Jeſuitæ fide retuliſſet, Cyrillum Lucarin in Polonia, ut capitis periculum evitaret, confeſſionem quandam Romanæ Eccleſiæ principiis conformem Leopolienſi Epiſcopo obtuliſſe, & ſe de rei hujus veritate non parum dubitare indicaſſet, nunc ex chartis Antonii Legeri a Petro Allixio ſibi communicatis refert, Cyrillum, cum ejus facti rumores Conſtantinopolin delati fuiſſent, ſancte proteſtatum, totam illam epiſtolam ſub nomine ſuo a Petro Scarga editam fictitiam eſſe, nec quicquam illa comprehendi, quod cum mentis ſuæ ſenſibus conveniat, vel olim convenerit, cum in Lithuania ageret.

Secundum Miſcellaneorum, quæ hoc volumine comprehenduntur, caput eſt *diſſertatio, in qua integritas & authentia celeberrimi iſtius loci I. Joh. V, 7. a ſuppoſitionis nota vindicatur*, quam quatuordecim abhinc

Digitized by Google

hinc annis Anglicano ſermone Autor ediderat. Agnoſcit, hunc verſiculum cum in multis aliis manuſcriptis codicibus, tum etiam in Alexandrino deſiderari, quem Cyrillus Lucaris ab Alexandrina ſede ad Conſtantinopolitanam translatus ex Ægypto ſecum advexit, & poſtea Regi Carolo in Angliam dono miſit, antiquitate ſua venerabilem, & ultra mille annos aſſurgentem; etſi Autoris noſtri judicio probari non poſſit, quod manu Theclæ nobilis Ægyptiæ fœminæ ſub Diocletiani imperio ad beſtias damnatæ deſcriptus fuerit. Neque negat, plerosque primitivæ Eccleſiæ Patres, & in his etiam *Athanaſium*, nullam ejus dicti mentionem feciſſe. Etſi enim in diſputatione cum Ario Nicææ habita, quæ Athanaſii nomen præfixum habet, nec non in tractatu de Unita Deitate Trinitatis, qui itidem inter Athanaſii opera legitur, dictum illud allegetur, neutrius tamen opuſculi, cum pſeudepigrapha eſſe conſtet, rationem habendam eſſe cenſet. Interim ſufficere exiſtimat, quod non defuerint MSC. codices, in quibus inſignis illa pericope legitur, qualibus codicibus etiam *Cyprianum* & *Hieronymum* uſos fuiſſe probat. Ad ea, quæ contra Cypriani locum *Sandius* excepit, breviter reſpondet, & imprimis *Fulgentii* autoritatem urget, qui hunc ipſum Cypriani locum in libro contra Arianorum objectiones produxit. Quæ contra Hieronymi prologum in epiſtolas canonicas *Eraſmus* & *Socinus* objecerunt, itidem brevi reſponſione diſcutit, & Eraſmum arguit, quod myſteriis Chriſtianæ fidei non integra mente acquieverit, etſi interdum ſatis caute egerit, nec in apertas blaſphemias erumpere auſus fuerit. Poſt Hieronymum, dictum illud Johanneum ab Idacio Claro, item ab Eugenio, & aliis Africæ Epiſcopis in confeſſione Regi Hunerico oblata apud Victorem Vitenſem, nec non a Vigilio Tapſenſi, quem etiam libri Idacio Claro adſcripti autorem cum Chiffletio agnoſcit, uſurpari obſervat, & poſtremo argumenta diluit, quibus Sandius dicti hujus authentiam impugnavit.

Tertium caput Miſcellaneorum eſt *defenſio ſuperioris diſſertationis contra exceptiones D. Simonii in Critica N. T.* In hac primum omiſſionem hujus verſiculi haud difficulter librariorum oſcitantia contingere potuiſſe ſcribit, cum librarius, poſtquam ſcripſiſſet: *τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες*, præteritis reliquis verſiculi 7. verbis, ad v. 8. in quo itidem iſta verba occurrunt, facile delabi potuerit. Imprimis vero Cypriani & Hieronymi pro authentia hujus dicti Johannei teſtimonia ſtatuminat,

quæ

Digitized by Google

quæ Simonius in Critica Novi Teſtamenti labefactaverat. Quantum enim ad *Cyprianum* attinet, dixerat Simonius, Cyprianum eo in loco, qui pro authentia dicti Johannei adduci ſolet, non ad v. 7. ſed ad v. 8. reſpexiſſe, & ſic *Facundum Hermianenſem* verba Cypriani interpretatum fuiſſe. Reſpondet Smithus, ex *Victore Vitenſi, Vigilio Tapſenſi* & *Fulgentio* conſtare, quod in codicibus ante Facundi Hermianenſis ætatem ſcriptis verſiculus 7. lectus fuerit, & Fulgentium non tantum hunc textum, prout hodie legitur, adduxiſſe, ſed etiam ſtatim addidiſſe: *quod etiam beatiſſimus martyr Cyprianus in epiſtola de unitate eccleſiæ confitetur.* Suſpicatur igitur, Facundum vel mutilatum codicem habuiſſe, vel inconſulto aut codice ſacro, aut Cypriani libello, in cujus titulo etiam aberrat, præ æſtu cogitationum & feſtinante calamo verba Cypriani contra ſanctiſſimi Præſulis mentem explicaſſe. *Hieronymum* autem quod ſpectat, ejus in epiſtolas Canonicas prologum pſeudepigraphum eſſe Simonius judicaverat. Reſpondet Smithus, id neque ex ſtyli diſſonantia, neque ex aliis argumentis ſolide probari poſſe, & principium petere Simonium dicentem, quod librorum biblicorum collectores hunc aliosque prologos ſub Hieronymi nomine compoſuerint, & ad ſuppoſitionem occultandam Euſtochii nomen inſeruerint. Cæterum cum Simonius ea, quæ in Critica N. T. de hoc Johannis dicto diſſeruerat, in ſecundo volumine, quod de verſionibus N. T. agit, novis argumentis confirmaſſet, & Smithus in ea incidiſſet, cum hoc Miſcellaneorum ſyntagma jam ferme abſolutum eſſet, ne ſine omni reſponſo dimitteret, appendicem quandam extremis horum Miſcellaneorum paginis imprimi curavit, in qua ad ea, quæ Simonius de correctionibus bibliorum, iterumque de Hieronymi præfatione ad epiſtolas Canonicas diſſerit, breviſſimis reſpondet.

Quartum idque ultimum Miſcellaneorum caput eſt *commentarius in poſteriorem Petri epiſtolam*, quem integrum excerpere inſtituti noſtri ratio non patitur; quamobrem ex ſingulis capitibus unicam tantum obſervationem in medium afferemus. In primo capite ſtatim ſub initium *Hugonem Grotium* confutat, qui hanc epiſtolam a Petro ſcriptam negavit, & Simeoni potius Hieroſolymitano Epiſcopo, qui ſub Trajani imperio martyrii palmam adeptus eſt, tribuendam cenſuit. Hanc vero ſententiam ex eo refutat, quod Simeon neque Apoſtolus fuerit, quem titulum Autor hujus epiſtolæ ſibi tribuit, neque ad priorem

rem a ſe ſcriptam epiſtolam provocare potuerit, neque gloriam Chriſti in monte ſancto viderit, cujus gloriæ ſpectatorem ſe fuiſſe Autor epiſtolæ v. 18. c. 1. aſſerit; quæ verba aliunde huic epiſtolæ inſerta fuiſſe, aut ad hiſtoriam Joh. XII, 28. relatam reſpicere, nondum Grotius probare potuerit. In cap. 2. v. 13. ubi vulgo legitur: ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν, poſt Grotium & alios quosdam legendum cenſet: ἐν ταῖς ἀγάπαις αὐτῶν; quam lectionem non ſolum vulgatæ verſionis, ſed etiam Alexandrini illius, de quo paulo ante diximus, codicis autoritate; imprimis vero loco parallelo, qui in epiſtola Judæ v. 12. legitur, confirmat. In explicatione capitis 3. non alienus eſt ab *Hammondi* ſententia, qui Petrum in hoc capite non tam de ultimo mundi fine, quam de fine politiæ Judaicæ & excidio Hieroſolymitano agere ſtatuit, ſimulque obſervat, Chriſtianos veteris Eccleſiæ credidiſſe, quod univerſus orbis, ſi non ſimul & eodem tempore, quo Hieroſolyma, ſaltem non longo poſt intervallo interiturus eſſet, & hanc opinionem poſt excidium Hieroſolymitanum proximo ſeculo & deinceps multo magis invaluiſſe, etſi magnam invidiam inde ſibi Chriſtiani conflarent, quaſi de Romani Imperii duratione male ominantes. Ad calcem hujus commentarioli ſubjiciuntur variæ lectiones hujus epiſtolæ, ex Alexandrino codice tam diligenter excerptæ, ut ne librarii quidem errores, & leviſſimæ textus mutationes omiſſæ fuerint.

DISCOURS DE Mr. MENAGE SUR l'Heautontimorumenos de Terence.
id eſt:
Ægidii Menagii Diſſertatio de Heautontimorumeno Terentiana.

Ultrajecti, apud Ant. Schouten. 1690 in 12. plag. 18.

Actionem fabulæ, quæ in dramate exhibetur, non extenſam nimis eſſe debere, ſed certo ſpatio includi, ſana ratio dictat. Quis enim ferat, aut absque indignatione ſpectet, integræ hominis vitæ decurſum, ut natus ſit, ut adoleverit, ut vitam geſſerit, tandem ut interierit, in paucarum horarum ſpatio ita arctato, ne ſpectatoribus (ut apud Plautum eſt) lumbi ſedendo, & oculi ſpectando doleant, repræſentari?

Et nonne nuncius Roma in Ægyptum miſſus, intra trium quatuorve horarum ſpatium rediens, exploditur, & poeta tam brevi tempore longinquum adeo iter abſolviſſe ipſum fingens, ludibrium ſpectatoribus erit? Quamvis enim univerſa poeſis fictio eſt, non abſurdam tamen eam naturæve contrariam, ſed veriſimilem, *κατὰ τὸ εἰκὸς* inſtitutam, eſſe decet. Proinde Ariſtoteles in œconomia fabulæ conſtituenda præter ordinem appoſitum, juſtam requirit magnitudinem, rei ipſi convenientem & memoriæ accommodatam, (*εὐμνημόνευτον μέγεθος*) cujus limites *cap. 5.* lib. *de Poetica* hos ponit, ut *unius ſolis ambitum nimis excedere* eam vetet, jubens *ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι, ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν.* Quam late *unius* iſte *ſolis ambitus* ſe extendat, & quam arcte coarctetur, Interpretes ambigunt; aliis de naturali die, quæ viginti quatuor horis abſolvitur, aliis de artificiali, quæ duodecim includitur, verba Stagiritæ accipientibus, & horarum numerum, quibus coerceri debeat juſta actio, ne drama hac ex parte vitium trahat, non ſatis explorate definientibus.

Natum hinc ante annos quinquaginta certamen eſt doctiſſimo *Ægidio Menagio* cum *Franciſco Hedelino* Abbate *Albiniacenſe:* ambobus ſuper Terentii fabula, quæ *Heautontimorumeni* ſeu *ſeipſum excrucianti*s nomine inſignita eſt, altercantibus. Hujus enim actionem non pluribus quam decem, aut ad ſummum duodecim horis contineri, *Hedelinus* contendebat: plures autem quam duodecim, & ad minimum quindecim horas ad actiones in dramate iſto repræſentatas requiri; neque tamen vel juſtam magnitudinem Terentium fuiſſe ſupergreſſum, vel minus convenienter Ariſtotelis doctrinæ iſtam conſtituiſſe, *Menagius* oſtendere ſategit. Hic duobus anno 1640 & 1650 editis libris; iſte totidem oppoſitis argumentum pertractarunt: tanta etiam animi concitatione Hedelinus id executus eſt, ut a verborum acerbitate & injurioſis dictis in optimum Menagium, quem adverſarium ſumſerat, jaciendis ſibi non temperarit. Iſtas ne agnoſcere videretur, ab ira animum, ex conſilio Taciti, cohibendum duxit Menagius: ac proinde alterum Hedelini librum ut evolveret, multo tempore adduci non potuit, quod apud ſe conſtituiſſet, inque *Amœnitatum Juris* dedicatione, nunquam ſe eundem eſſe lecturum, ſignificaſſet: nuper demum, poſt elapſos quadraginta annos, a Jeſuitis Collegii Ludoviciani & Doctoribus Sorbonæ certior redditus, ſalva conſcientia lectio-

Digitized by Google

lectionem libelli, ſi maxime animo penitus fixum ante habuerit, iſtum ſe non legere velle, nunc ſuſcipi poſſe. Igitur argumentum iſthoc denuo excutiendum, & adverſarii rationes examinandas duxit, ſententiamque, in qua adhuc perſiſtat, probare ſategit eruditiſſimæ feminæ *Annæ Daceriæ*, Fabri filiæ, pluribus venuſtis libris editis erudito orbi cognitæ, jamque in edendo Terentio ſtudium ponenti; arbitrio ejus, utram ſententiam nunc veriorem cenſere velit, in venuſto epigrammate ad ipſam ſcripto, & commentationi præfixo, modeſte relinquens. Præterquam quod dubium adhuc ſit, an de naturali, an artificiali die, quem ſolis ambitus abſolvat, Ariſtoteles loquatur: ſi maxime artificialem intelligat, (de quo etiam plerique Interpretes hæc verba accipienda eſſe cenſent) nequaquam tamen anguſtis adeo finibus actionem dramaticam ab eo includi Auctor exiſtimat, ut ultra duodecim horas (quibus artificialis dies abſolvitur) extendere eam prohibeat: quod verbis πειρᾶται, quo ſuaderi magis, ut poeta ſpatio temporis quam minimo actionem arctet, quam ſub pœna reprehenſionis id præcipi exiſtimat; & ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν, quibus paulum tranſilire fines iſtos licere, indicari aſſerit: nam in hunc ſenſum verba Ariſtotelis accepiſſe, & quod *paulum excedere* permiſerit, interpretatos ea eſſe Madium, Lombardum, Piccolomineum, Riccobonum, Heinſium, Voſſium, Groſtonum. Igitur dramatum leges haud violatas a Terentio Auctor adverſus Hedelinum aſſerit, etſi plures quam duodecim horas actioni dederit, & res intra biduum (juxta Minturni, & quorundam aliorum *cap. 7.* allegatorum ſententiam) confectas uno dramate hoc complexus fuerit. Græcos ſane Comicos haud adeo ſuperſtitioſe anguſtiis iſtis ſe includi paſſos eſſe, nec fabulas ſuas duodecim horarum ſpatio adſtrinxiſſe, exemplo Ariſtophanis (*cap. 9.*) oſtendit, qui in Pluto viginti horarum, & Æſchyli (*cap. 8.*) qui in Niobe trium dierum geſta exhibuerint; nec Euripidem horis duodecim actiones ſuas incluſiſſe; & inter antiquiores dramatum ſcriptores quendam Trojæ obſidionem, decem annis peractam, una fabula eſſe complexum (*cap. 10.*) refert. Plautum vero novem menſium acta in Amphitruone retuliſſe, adverſus Muretum, Heinſium & Voſſium (*ibid. p. 57.*) negat; ſed Jephthen Buchanani duorum menſium geſta continere, cum Voſſio (*p. 61.*) affirmat. Quominus reprehenſionem Terentium mereri cenſet, qui quindecim horas Heautontimorumeno dederit,

Digitized by Google

dederit, acta repræſentans quæ initium circa veſperam & ſeptimam primi diei, & exitum circa meridiem & decimam horam alterius habeant. Quod ut probet, locum in quo Chremes ac Menedemus convenerint, quem ſuburbanum prope Athenas prædium fuiſſe putat, & tempus quo ludi hi acti fuerunt, Bacchanaliorum nempe ſeu Dionyſiorum, (*cap. 11.*) inquirit, & ex hoc cumprimis de longitudine diei, quæ tum fuerit, ſententiam ferendam eſſe exiſtimat. Quo loco de feſtis Græcorum, & cumprimis Athenienſium (*p. 71. ſeqq.*) menſibus item Atticis (*cap. 12.*) erudite differit, & adverſus Hedelinum in Dionyſiacis feſtis quæ *Pithoegia* appellabantur, menſe Poſidonione, qui erat ſextus anni Attici, (cui initium dabat menſis Hecatombæus circa Solſtitium æſtivum) & ultimus autumni, juxta Scaligerum, Petavium, & indicem MSC. menſium Atticorum Seldeno laudatum, actionem hanc Terentianam geſtam eſſe fingi: circa quod anni tempus nox Athenis quindecim horas longa fuit: integram autem noctem interceſſiſſe, antequam abſolveretur, ex Act. II. ſc. 3. *Et veſperaſcit, & non noverunt viam,* & Act. III. ſc. 1. *Luciſcit hoc jam* &c. oſtendit. Lectu plane digna ſunt quæ doctiſſimus Autor de hoc argumento, aut affinia ei plura alia alibi haud obvia affert: & eorum occaſione veterum ſcriptorum loca quædam emendat, ut Plauti *p. 15.* Æſchyli *p. 24.* Ariſtotelis *p. 54.* Polyæni *p. 85;* lapſus item eruditorum quorundam virorum notat, ut Scaligeri *p. 83. 86.* Caſauboni *p. 84.* Meurſii *p. 128.* Guyeti *p. 131. 169.* Peyraredi *p. 131.* Urſini *p. 147.* Uſſerii *p. 103;* communicatorum autem ſibi a celeberrimis & omni eruditionis genere præſtantibus viris, *Ezech. Spanhemio* & *Jo. Georgio Graevio, p. 23. 26. 179.* eos qui his ſtudiorum oblectamentis capiuntur, participes facit: ut non poſſe non gratum eſſe librum hunc doctiſſimæ *Daceriæ*, cui dicatus fuit, exiſtimemus.

ADAMI RECHENBERGII, IN ACAD. Lipſ. P.P. de Studiis Academicis liber ſingularis.

Lipſiæ apud Joh. Fr. Gleditſch. 1690. in 12.
conſtat plagulis 17.

CUm multi adoleſcentes ſcholis trivialibus egreſſi, in Academias ſtudiorum cauſa ſubinde veniant, qui in tanta doctrinæ varietate, doceṇ-

docentiumque ſententiis diverſis ac diſcrepantibus, ſæpe neſciant, quam ſtudiorum rationem inire, quosve duces ſequi hac in parte debeant; e re juventutis Academicæ hac tempeſtate fore exiſtimavit *Autor* libri hujus clariſſimus, Collega noſter colendus, ſi in quovis ſtudiorum genere, partim Autores præſtantiſſimos, qui hanc aut illam doctrinæ partem tradiderint, indicaret; partim ordinem, quo pro ingenii aut fortunæ ratione, vel etiam ſcopo, in ſtudiis uti conveniat, monſtraret. Quapropter præmiſſa diſſertatione de eruditione varia; & ſtudioſis ante in claſſes velut deſcriptis, in *ſecunda* libri *ſectione*, de Philoſophiæ Theoreticæ, & in *tertia* de Practicæ diſciplinis, ſcriptoribus & eorum uſu partitim differere inſtituit. In *quarta ſectione* de Philologia, ejusque partibus; imprimis vero quæ ad hiſtoriæ cum civilis, tum ſacræ lectionem faciunt, uberius exponit. In *quinta ſectione*, de ſcriptoribus Græcis varii generis eorumque ſcriptis agit. Quibus ſubjungit Oratoriæ & Philologiæ S. ſtudium, Theologiæ conſecraneis adprime neceſſarium. Inde in *ſexta ſectione*, quæ ad præparationem ſtudii Medici, Juridici & Theologici faciunt, adducit. Præcipue autem methodi rationem in Theologia addiſcenda oſtendit, laudando ſummos in hac doctrina viros, *Gerhardum, Hülſemannum, Calovium*, & qui Eccleſiæ bono adhuc vivit, ſumme Reverendum Dn. *Spenerum.* Ultimo loco Autor Comenii Regulas vitæ ſapientis & tranquillæ ſtudioſis commendat, iisque libro colophonem imponit.

SEBASTIANI SCHMIDII IN D. PAULI ad Coloſſenſes epiſtolam commentatio. Accedunt ejusdem Paraphraſes Cap. VII. IIX. IX. X. & XI. ad Romanos, Epiſtolæ prioris ad Corinthios, prioris & poſterioris ad Theſſalonicenſes, prioris ad Timotheum, epiſtola ad Philemonem, ut & Cantici Mariæ.

Hamburgi, ex officina libraria Schulziana, 1691 in 4. conſtant plagulis 51.

Quemadmodum ſumme reverendus Auctor ex Paulinis operibus *epiſtolam ad Hebræos* A. 1680, *epiſtolam ad Epheſios* A. 1685, *epiſtolam ad Galatas* A. 1690 commentariis accuratiſſimis illuſtravit: ita nuperius ſua in *epiſtolam ad Coloſſenſes* & *quasdam* alias a D. Paulo exaratas mele-

meletemata juris publici fieri, non invitus editori indulſit. Majori vero ſtudio epiſtolam *ad Coloſſenſes* explanavit, ac cæteras in voluminis frontiſpicio enumeratas. Has enim ſimplici tantum ac ſatis ſuccincta *paraphraſi* enarravit. Illam autem juſto commentario explicandam cenſuit. Hinc ſingula ejus capita primo *Logice* in partes particulasque ſuas *reſolvit*, deinde prolixioribus notis quorumvis verborum *nexum* & *ſenſum* monſtravit, collatis ſimul *Eſtii*, *Hunnii*, *Crocii*, *Calixti* cumprimis, ut & aliorum in hanc epiſtolam commentationibus; denique *locos communes* copioſos, ſed paucis verbis multa complexos annectit. Ut vero pateat, in hoc non minus, quam, quæ ſuperioribus annis recenſuimus, operibus Exegetam hunc ſuo merito clariſſimum non ſemper tritiorem viam inſiſtere, unicum exemplum ex *Coloſſ. I. 24.* petere juvat. En Apoſtoli verba: Νῦν χαίρω ἐν τοῖς παθήμασί μου ὑπὲρ ὑμῶν καὶ ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ ἐν τῇ σαρκί μου, ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ, *Eraſmus* Roterodamus vertit: *Nunc gaudeo ſuper afflictionibus meis pro vobis, & ſuppleo, quod deerat afflictionum Chriſti in carne mea pro corpore ipſius, quod eſt eccleſia, cujus factus ſum miniſter.*

Schmidius accipit νῦν illative, pro *itaque.* Vocabulo ἐν, *in afflictionibus*, non *materiam* gaudii notari putat, ſed *ſtatum*, in quo Apoſtolus tunc fuit, quoque non obſtante gaviſus eſt. *Afflictiones* heic non tam præteritas, quam præſentes & adhuc exantlandas intelligit. Θλίψεις χριστοῦ ei non illæ ſunt, quas Chriſtus in corpore ſuo myſtico *ſuſtineat*, ſed quas Chriſtus *admenſus eſt* Paulo, ac ab eo ſuſtinendas *definivit.* Dici ergo autumat afflictiones Chriſti præcipue *efficienter*, utpote a Chriſti providentia definitas, deinde etiam *exemplariter*, quia earum nobis ὑπογραμμὸν reliquit. Nec aliter locum *2. Cor. I. v. 5.* explicari cupit. Urget eapropter h. l. tautologicum fore ſenſum verborum: Afflictiones *Chriſti* h. e. *corporis Chriſti myſtici* ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ *pro corpore Chriſti myſtico.* Deſiderat etiam locum parallelum biblicum, ubi Chriſtus in fidelibus pati dicatur pro corpore ſuo eccleſia. Pontificiis ejusmodi interpretatione anſam dari monet, paſſiones ſanctorum pro *meritoriis* & *ſatisfactoriis* habendi, cum omnis paſſio a Chriſto perferenda talis ſit. Sed & verba ἐν τῇ σαρκί μου argumento eſſe exiſtimat, *Chriſti afflictiones* non de totius myſtici corporis Chriſti, ſed Pauli ſolius afflictionibus intelligendas eſſe. Ἐν σαρκὶ idem

eſt Schmidio ac *in naturali vita in hoc orbe peragenda*, ob *Phil. I. 22.24. Gal. II. 20.* Tandem ultimo loco poſitum ὑπὲρ non notare ſtatuit *pro* commodi, ſed *ſuper* cauſæ & miniſterii. Hinc emergit hæc fere paraphraſis: *Quia Evangelium, quod ego prædico inter gentes, inter vos Coloſſenſes, gentiles, eum fructum facit, ut & vos ſitis converſi, gaudeo in mediis afflictionibus meis, quas ſuper vobis, ſeu ea de cauſſa, quia vobis gentilibus prædico, patior. Non enim pœnitet me pati eorum cauſſa, apud quos Evangelium meum tantum fructum facit. Gaudeo igitur ob converſionem veſtram, & ut viciſſim quaſi gratus ſim pro mihi facto gaudio, libenter impleo & ſuſtineo, quicquid afflictionum reſtiterit a Chriſto mihi deſtinatarum, & in carne mea ſive ſtatu vitæ hujus a me ſuſtinendarum, ſuper cauſſa corporis Chriſti meo miniſterio ædificandi, eccleſiæ puta; quippe cujus factus ſum miniſter, quem talia ex officio pati decet.*

Cæterum paraphraſibus in epiſtolas Paulinas additur quoque *Canticum Mariæ*, ex *Lucæ I. 47-54.* eodem paraphraſeos filo pertextum, ac *Canticum Zachariæ*, quod una cum epiſtolis *Jacobi* & *ad Epheſios*, itemq; *concione* Chriſti *montana* ſex abhinc annis Schmidius edidit.

DISSERTATIO ACADEMICA DE PHAriſaismis in libris profanorum Scriptorum occurrentibus. Acceſſerunt obſervationes breves de luxu veterum Romanorum circa nuces. Edidit M. Joh. Heinricus Erneſti.

Lipſiæ, literis Joh. Georgii, 1690. 12. plag. 7.

COlliguntur in hac Diſſertatione, quam majori de *Hermeneutica profana* operi ad inſtar prodromi doctiſſimus ac de ſtudioſa juventute in ſcholæ noſtræ Thomanæ, quem gerit, rectoratu præclare merens Auctor præmittere voluit, juſtoque ordine ſiſtuntur auctorum Latinorum & Græcorum veterum a religione Judaica alienorum loca, quibus mores Phariſæorum eorumque, qui ad illorum mandata vitam ſuam atque fidem componebant, aut memorantur, aut ſcommate petuntur. Exponit ea Auctor dictis Scripturæ ſacræ, talia de *Phariſæis* referentis, qualia in *Judæis, verpis, curtis, recutitis, ſabbatariis*, perſtringuntur ab Hiſtoricis, Grammaticis, Oratoribus ac Poetis gentilibus. Horum intentionem & ſenſum, optimorum commentatorum

tatorum interpretationibus adductis, perſpicuum ac cuivis obvium reddit. Accedunt *appendices* non unæ. Ac primo quidem recenſus locorum *Theognidis*, ubi, utut nulla Judæorum ac Phariſæorum mentio fiat, neque etiam probari poſſit, vatem ad illos oculum intentum habuiſſe, ſententia tamen aliqua offenditur, quæ dogmati vel mori Judaico non minus ſimilis eſt, ac ovum ovo. Sequuntur *programmata* duo *academica*, quorum altero *uſus profanarum literarum in interpretandis ſcripturis ſacris*, altero *uſus ſacrarum literarum in interpretandis ſcriptoribus profanis* (latius in præcedenti *diſſertatione* oſtenſus) non uno exemplo demonſtratur. Sub calcem voluminis videas *obſervationes de luxu Romanorum circa nuces.* Hujus claſſes duæ ſtatuuntur. Prior ad *cultum* corporis, poſterior ad *victum* ſpectat. Ad luxum circa *cultum* pertinere dicitur, quod quidam deliciarum ſectator nuce ardenti crura ſubuſſerit, itemque quod formæ ſtudioſæ mulieres nucario oleo alopeciis mederi & nigrum ſibi colorem inducere ſueverint. Luxus circa nuces in *victu* arguuntur, partim qui eas ex aliis orbis regionibus adferri curarunt, partim qui plura ſimul earundem genera menſæ intulerunt, partim denique, qui ſingulari opera ac labore poma hæcce condiverunt, frixerunt, coxeruntve, antequam iis veſcerentur.

DE GODEN EN GODSDIENST DER Heydenen, &c. i. e.

Tractatus de Diis & Religione Ethnicorum, Gallice a P. Gaultruchio conſcriptus, nunc Belgice verſus a F. Halma.

Ultrajecti ad Rhenum, apud F. Halma 1690. in 12. maj. Plag. 20.

CUm ad Poetarum Auctorumque veterum aliorum, ſive Græcorum ſive Latinorum intelligentiam multum facere videretur, imo neceſſarium omnino eſſet, Deos gentilium atque religionem non ignorari, haud pauci extiterunt tum veterum tum recentiorum, qui Mythologiam ſeu Hiſtoriam Poeticam commentariis ſuis illuſtrandam ſuſceperunt. Hos inter *Leonardus* quoq; *Gaultruchius* e Soc. Jeſu laudem meruit, edito pridem Gallico idiomate de Diis & Religione Ethnicorum opuſculo, quo de Diis primum majoribus, de Semi-Diis inde, ac denique de

Digitized by Google

honoribus, quos gentiles Diis ſuis exhibuere, ſtatuis, templis, ſacrificiis, ſacerdotibus, feſtis, ludis, ſpectaculis, ſuccincte ac perſpicue tractatur. Utique eum applauſum libellus invenit, ut non tantum plusquam ſepties Gallice typis fuerit exſcriptus, ſed & in Anglicum ſermonem traductus Londini A. 1671, & Latine verſus Leodii A. 1678 prodierit. Hinc non inutilem ſe operam civibus ſuis præſtiturum *F. Halma* cenſuit, ſi in Belgicam quoque linguam libellum utiliſſimum converteret: id quod nova hac editione ita præſtitit, ut Gallico, quo primum conſcriptus fuit, idiomati adjunxerit e diametro Latinam, ſubjecerit vero Belgicam verſionem, eundemque adeo librum ſimul Gallice, Latine & Belgice, ſuas rationes ſecutus exhibuerit.

LIBRI NOVI.

Gerardi Noodt Probabilium Juris Civilis Libri IV: De Jurisdictione & Imperio Libri II: Ad Legem Aquiliam Liber ſingularis. Lugd. Bat. 1691. in 4.

Gerh. Feltmanni Diſſertatio de Acceſſionibus Memorabilibus immani aquarum vi vel terræ motu factis. Amſtelod. 1691. in 8.

Quatriéme Denonciation de l'Hereſie du Peché Philoſophique. 1690. in 8.

V. Denonciation du Philoſophiſme, c'eſt à dire de la nouvelle Hereſie du Peché Philoſophique. A Cologne 1690. in 8.

Diſcours de la Connoiſſance des Beſtes, par le P. Ignace Gaſton Pardies. Troiſieſme edition. A la Haye 1690. in 12.

L' Hiſtoire de Don Jean d' Autriche fils de l' Empereur Charlequint. A. Amſterd. 1690. in 8.

Apocalyptica Tuba quinta, ortum, progreſſum & interitum Locuſtarum pandens, per Franciſcum Foris Otrokocſi. Amſtel. 1690. in 8.

Strenæ cujusdam Diſcuſſio Pacifica, ſeu Quæſtionis decantatæ, ubi fuerit Eccleſia Reformata ante Lutherum, &c. reſolutio: per eundem. Amſtel. 1690. in 8.

Joh. Eberhardi Schvvelingii Exercitationes Cathedrariæ in Petri Danielis Huetii Cenſuram Philoſophiæ Carteſianæ. Bremæ 1690. in 8.

Euclidis Elementorum ſex Libri priores, magnam partem novis demonſtrationibus adornati opera & ſtudio Henrici Coetſii. Lugd. Bat. 1691. in 8.

Relation des Revolutions arrivées à Siam dans l' Année 1688. A Amſterdam 1691. in 12.

NOVA LITTERARIA EX GALLIA, EXCERPTA ex Baſnagii Hiſtoria Actorum Eruditorum.

P. *Martianay* S. Hieronymo ſuo ſtudium indefeſſum impendit, jamque Prodromum Operis hoc titulo edidit: *Divi Hieronymi Prodromus,*

dromus, ſive Epiſtola Domni de Martianay ad omnes viros doctos & ſtudioſos, cum Epiſtola Divi Hieronymi ad Sunniam. Prodiit & libellus alius: *Diſſertations ſur la derniere Paſque de Notre Seigneur & ſur la priſon de S. Jean Baptiſte;* i. e. Diſſertationes de poſtremo Chriſti Paſchate & de cuſtodia S. Johannis Baptiſtæ. Hujus auctori nomen eſt *Piednu*, qui probandum in hoc opuſculo ſuſcepit, Chriſtum extremo vitæ ſuæ anno Paſcha celebraſſe, nec niſi unam fuiſſe S. Joh. Baptiſtæ captivitatem. Oppoſitus libellus eſt P. *Lamy*, qui editis diſſertationibus quibusdam evincere conatus fuerat, trinam fuiſſe S. Johannis cuſtodiam; Chriſtum vero Paſcha neutiquam ultimo vitæ anno celebraſſe, non obſtantibus Evangeliſtæ verbis, *pridie quam pateretur*, quippe quæ non recte fuerint intellecta. Recuſus & Pariſiis liber eſt, qui ante decem aut duodecim annos lucem primum adſpexerat: *L' Art de vivre heureux ſelon les principes de Deſcartes;* i. e. Ars beate vivendi ſecundum principia Carteſii.

P. *Harduinus* novam eamque vaſtiſſimam, quadraginta nempe volumina impleturam editionem Conciliorum molitur. Idem detecturum ſe pollicetur genuinos auctores operum, quæ Caſſiodoro, Facundo, Mario Mercatori, Victori Turonenſi, Iſidoro Hiſpalenſi &c. falſo hactenus fuerint tributa. *Vaillantius* dicitur Reſponſum compoſuiſſe ad P. Harduini *Antirrheticum:* ſed ſunt qui dubitant, ſcriptum hoc lucem adſpecturum, quod Reſpublica Litteraria plena libertate Lutetiæ Pariſiorum non gaudeat.

Stephanus Baluzius, Coadjutoris Rotomagenſis, qui defuncti fratris Marchionis de Seignelay theſaurum librarium poſſidet, hoc tempore Bibliothecarius, occupatus eſt in edendis vitis Paparum, qui Avenione ſedem habuerunt. Idem falſas nonnullas in Decretalibus inſcriptiones detexit, præloque parat Pithœi in Gratianum notas. *Baudelotus Dairval*, auctor libri de utilitate ex peregrinationibus capienda, inveniſſe nuper fertur ſtatuam æneam, altitudinis trium aut quatuor pollicum, ſed antiquam valde, ac *Deum Crepitum*, cujus apud Arnobium aut Minutium Felicem & Tertullianum mentio fit, repræſentantem, quam peculiari diſſertatione illuſtrare conſtituit. *Tillemontius* vitas Imperatorum Romanorum componit, aliquot voluminibus, quorum primum in Veſpaſiano deſinit, exhibendas. *Boſſuetus* Epiſcopus Meldenſis libri ſui de Variationibus Proteſtantium Vindicias adverſus

Digitized by Google

verſus *Jacobi Basnagii* Reſponſum typis exſcribi curat, nec minus ſtrenue in oppugnando *Jurio* progreditur.

Le Grand Hiſtoriæ Ludovici XI deſcribendæ ſummo ſtudio incumbit, quæ duobus voluminibus abſolvetur, ita ut eorum alterum ipſum Hiſtoriæ contextum, alterum monumenta publica conciliandæ dictis fidei exhibeat: quod opus ubi in lucem prodierit, & cum Varillaſiana ejusdem Regis Hiſtoria fuerit collatum, patebit fortaſſe, quid diſtent æra lupinis. Interim *Varillaſium* Hiſtoria Caroli VIII habet occupatum. *Felibenius*, cui Dialogos de Architectura debemus, Diarium aliquod Antiquitatis prælo parat.

P. Bouhours verſionem Gallicam Novi Teſtamenti molitur, reliquas omnes, & Janſeniſtarum quoque Montenſem, ut ajunt, ſuperaturam. Dn. *de S. Real* propediem daturus eſt verſionem Gallicam Epiſtolarum Ciceronis ad Atticum, una cum notis ſuis. *Menagii* Origines Linguæ Gallicæ ſub prælo adhuc ſudant. Toloſæ imprimuntur *Sorberiana*.

Dn. *Dirois*, cujus de Religione Chriſtiana Tractatus notiſſimus eſt, Roma, quo Cardinalem Eſtreenſem ſecutus fuerat, redux Lugduni diem dicitur obiiſſe. Dudum etiam conſtat, mortuum eſſe *Hermannum* Capituli Bellovacenſis Decanum, elegantiſſimorum operum, interque ea Vitæ S. Athanaſii, S. Baſilii, S. Gregorii &c. auctorem.

* * * * * * * * *

Dum Duumvirorum Gallorum, Lector Benevole, *mortem memoramus, nuncius ad nos defertur de obitu Theologi noſtratis celeberrimi* Theophili Spizelii, *Evangelici Miniſterii Auguſtani Senioris & ad D. Jacobi Auguſtæ Vindelicorum Paſtoris, dum viveret, vigilantiſſimi; quippe qui die 9 Januarii (ſecundum Calendarium Gregorianum) anni præſentis, cum pleuritide & febri dein acuta laboraſſet, vitam laborioſiſſimam cum placida beataq́, etſi immatura morte commutavit, nondum exacto quinquageſimo ſecundo ætatis anno. Cæterum uti jacturam optimi Viri non Eccleſia tantum Orthodoxa, & Auguſtana cumprimis, ſed Reſpublica etiam Litteraria non poterit non lugere: ita prolixiore ejus elogio ſuperſedemus merito, quem tot præclara ingenii monumenta, in lucem ab ipſo diverſis temporibus edita, applauſumq́; Orbis Eruditi promerita, nemini ignotum aut illaudatum patiuntur.*

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Martii Anno M DC XCI.

ERASMI VVARREN GEOLOGIA: OR, a Diſcourſe concerning the Earth before the Deluge, &c.

Londini, impenſis Rich. Chiſvvell, 1690 in 4. Conſtat capitibus XVII, plagulis 47.

T*Homæ Burnetii* Theoriam Telluris ſacram recenſuimus partim in Actis a. 168. p. 702, partim in Supplemento VI. p. 304. Ut exteros taceamus, quibus viri hujus ingenioſi paradoxa approbare ſe haud potuerunt, ex ipſiſmet ejusdem civibus virgula cenſoria in eum animadvertit ſex abhinc annis *Herbertus* Herefordienſis Epiſcopus, de quo plura videſis in Actis menſe Octobri anno 1686 publicatis p. 522, &, ſi placet, adde, ſenem illum doctiſſimum, nomine gentilitio *Croft* gaviſum, ſed rarius (ut facere amant Epiſcopi,) eo uſum eſſe, ex quo d. 9. Febr. A. 1661 diœceſi Herefordienſi præfectus fuit. Num vero adhuc in vivis ſit, adeoque annum ætatis octogeſimum ſeptimum agat, non liquet: hoc unum novimus, quod in *Status Angliæ*, ab Eduardo *Chamberlano* Anglice conſcripti, Gallica verſione, Amſtelodami A. 1688 impreſſa, inter nondum mortuos referatur. Hunc excepit anno ſuperiori *Eraſmus Warren*, Rector eccleſiæ, quæ Worlingtoni in Suffolcia colligitur, opusque præſens duobus prioribus *Theoriæ Burnetianæ* libris oppoſuit, lenius tamen in eam ſæviens, ac ab *Herberto Crofto* factum fuerat. Quid autem in adverſarii placitis reprehenſione dignum judicarit, pluribus commemorare opus non eſt; cum ſumma ipſius capita propemodum coincidant cum iis, quæ ab epiſcopo Herefordienſi monita eſſe, citato loco memoriæ prodidimus. Jucundiores relatu erunt, quas de natura & ratione cataclyſmi univerſalis *Warrenus* excogitavit, novæ ac paradoxæ hypotheſes. Eas tamen haudquaquam pro certis & exploratis venditat, ſed tantum

Digitized by Google

pro probabilibus, ad minimum véro probabilioribus, quam Burnetianæ ſint; cum ex adverſo Burnetius orbi erudito perſuadere nitatur, non niſi ſua methodo explicari poſſe apud Moſen Petrumque deſcripta diluvii phænomena. Nimirum *Warrenus* ſupponit omnium primo, aquas diluviales, quibus altitudo *quindecim* cubitorum *Gen. VII. 20.* adſcribitur, non montibus quibusvis altiſſimis, (ut vulgo locum iſtum interpretes intelligunt,) ſed humo tantum ſive communi terræ ſuperficie tot cubitis altiores fuiſſe. Solicite enim ab hemiſtichio poſteriori: ויכסו ההרים *Et contecti ſunt montes*, diſtinguendum cenſet hemiſtichium prius: חמש עשרה אמה מלמעלה גברו המים *Quindecim cubitis ſurſum verſus invaluerunt aquæ*, ſuper humum nempe, ſi Warrenum audias, non ſuper montes, licet & hos ab aquis ſæpius ſuo modo *ſuperatos* & *tectos* concedat. Putat quippe, מעינת תהום רבה *fontes abyſſi magnæ*, qui *Geneſ. VII. 11.* ſub initium cataclyſmi *dirupti* dicuntur, non eſſe, (ut hactenus creditum fuit,) barathra & receptacula aquarum *ſubterranea* aut *ſubmarina*, ſed profundas cavernas in ipſis *montium cacuminibus*, ab omnipotente Dei manu *diffiſſas* & apertas, magnamq; aquarum vim in altum ejaculantes, in ſubjectas valles, ad inſtar cataractarum, delapſuram. Nititur parallelismo *Pſalmi LXXVIII. v. 15.* ubi de Deo pſaltes inquit: יבקע צורים במדבר וישק כתהומות רבה *diffidit rupes* (Rephidim, *Exod. XVII. 1. 7.* & Kadeſch, *Num. XX. 1. 8.*) *in deſerto & potavit* (populum) *abyſſis magnis*, h. e. cavernis montanis, non ſubterraneis, ſed altius ſuperficie deſerti ſitis; quapropter *verſu ſequenti* additur: ויורד *Et deſcendere fecit aquas*: itemque *Sapient. XI. 4.* aqua data dicitur *de petra altiſſima.* Eam quoque ob rem *I. Cor. X. 4.* aſſeri videtur, petram Iſraelitas *ſecutam* fuiſſe. Niſi enim ſcaturigo excelſo loco poſita fuiſſet, non potuiſſet fluentis ſuis tantum impetum conciliare, ut ex *Rephidim* ad *Kadeſch* uſque, rivo facto, pergerent. Neque enim ullius fontis, locis iſtis binis interjecti, Moſes uſquam meminit. Fuiſſet hac ratione rupes iſthæc non abſimilis monti *Pico* in inſula *Tenariſſa*, cui impendentes nebulæ ſingulis diebus circa meridiem in aquam reſolvuntur, & tanta copia defluunt, ut imbrium, quales in tota inſula nunquam cadunt, vices abunde ſuppleant, totamque, quam diximus, Tenariſſam affatim irrigent.

Quoniam itaque Moſes æque ac David & nomen *abyſſorum magna-*

Digitized by Google

magnarum & verbum *diſſindere* adhibet, Warrenus judicat, de argumento ſimili utrumque agere. Obſervat igitur porro, in montibus haud raro *capaciſſimas cavernas* offendi, qualis illa, quæ Davidi ſexcentisque ejus comitibus in imo receſſu ſuo latibulum præbuit, & nihilominus tantum adhuc ſpatii vacui habuit, ut Saul eam ingreſſus nihil viderit, quod, Davidem illic loci adeſſe, ſuſpicionem ei moveret, *I. Sam. XXIV. 3.* Harum pleraſque corona quaſi immanium ſaxorum circumſeptas eſſe, ut ad eas aditus neutrubi pateat. Porro creditu facile ait, calore Solis multos vapores in id genus cavernis gigni, ac dein tum interno cavernarum, tum externo nivium incumbentium frigore in aquas condenſari; particulas vero hujusmodi aquarum craſſiores eſſe, quam ut per anguſtos viſcerum montanorum poros, per quos vi influxus ſolaris elevatæ ac in cavernas illas delatæ fuerant, relabi poſſint; hinc, Noachi ævo, aquas id genus collectas æternum ejusmodi carceribus detineri oportuiſſet, niſi Deus modo ſupernaturali repagula *diſfregiſſet*, ac undis illis, quo naturalis impetus ferebat, eundi poteſtatem feciſſet. Tunc itaque eæ inſtar *fontium* ebulliſſe, ac qua data porta, in declive præcipites ruere, hacque ratione, (accedentibus præſertim nivibus liqueſcentibus imbribusque ſolito majoribus,) depreſſiorem terræ ſuperficiem, quindecim cubitorum altitudine, longe lateque inundare. Huic fundamento primo de *fontibus abyſſi magnæ* jungit Warrenus alterum de *altitudine* aquarum diluvialium, quæ *cubitis quindecim* non montes, ſed *humum* ſuperarint: unde non recurrendum dictitat ad aquas *ſupracœleſtes*, quæ ex orbibus ſuis, ſine ſyſtematis mundani πανολεθρία, deduci non potuerint; neque ad aquas *ſubterraneas*, quibus nullo modo integrum fuerit adſcendere, niſi adfuiſſent aliæ aquæ, in harum locum ſucceſſuræ; neque ad univerſas regiones *aeris*, licet omni ex parte *in aquam condenſandi*, cum conſtet, molem aeriam, molemque aqueam ejusdem extenſionis, quoad proportionem gravitatis, non magis ſeſe invicem exæquare, ac *mille* & *unum*, adeoque totius aeris molem in nimis exiguam & cataclyſmo haud ſuffecturam aquæ molem abituram fuiſſe; præterea ignorari, quid in ſuperioris aeris condenſati locum ſuccedere potuerit, ne natura vacuum reciperet. Imbres autem per quadraginta dies deſcendentes, & *abyſſos* illas e cavernoſorum montium verticibus ſcaturientes, tantam undarum vim congerere potuiſſe, quæ terræ ad

Digitized by Google

ad cubitos quindecim obtegendæ ſuffecerit. Tertium fundamentum Warrenus ex *II. Petr. III, 5. 6.* petit: *Cœli*, h. e. infima aeris regio, *erant jam olim ac terra* (ἐξ ὕδατος) *ex aqua* (καὶ δι' ὕδατος) *& in aqua* ſimul extans, (δι' ὧν) *per quæ mundus* (animalis) *qui tum erat, aquis inundatus periit.* Partem enim tunc terræ depreſſioris cum circumjecta atmoſphæra inundatam, adeoque δι' ὕδατος (h. e. juxta Warrenum, *in aqua*) extitiſſe, partem terræ montanæ cum annexo cœlo aerio ἐξ ὕδατος (*extra aquam*) eminuiſſe, opinatur. Utrum vero interpretatione hac ſua ſcopum Petri ferierit, videant alii. Quarto loco urget, quod, ſi aquæ cacumina quoque montium tam longo temporis tractu contexiſſent, tantum limi & ſordium in planities devolutum fuiſſe credibile ſit, ut ne quidem aliquot ſeculis poſt ad fruges vitesve ferendas domusve extruendas aptæ fuerint; quemadmodum conſtat, Atticam, cum cataclyſmum longe minorem paſſa eſſet, adeo miſeram induiſſe faciem, ut non niſi poſt tria ſecula colonos iterum nacta ſit.

Cæterum prævidit clariſſimus Auctor, objectiones non unas ſibi diluendas fore. Harum prima ex *Gen. VII, 19. 20.* elicitur: *Operti ſunt omnes montes altiſſimi ſub cœlo univerſo. Quindecim cubitis ſurſum verſus invaluerunt aquæ, & montes fuerunt operti.* Reſpondet, non dici in textu, montium cacumina operta fuiſſe, ſed humum tantum, una cum inferioribus partibus montium, ad cubitos quindecim ſurſum verſus a ſuperficie terræ communi. Et in ejusmodi inundationem ſatis bene quadrare phraſin: *aquæ prævaluerunt* מאד מאד *valde, valde.* Neque ſeptuaginta Senes teſtari, diluvialem aquam montium quorumvis verticibus ſuperincubuiſſe; namque ſolummodo dicere: Πεντεκαίδεκα πήχεις ὑπεράνω ὑψώθη τὸ ὕδωρ. Imo nec vulgatum diſſenſiſſe, licet reddiderit: *Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat.* Namque non neceſſe eſſe, ut *ſuper montes* idem eſſe putetur, ac *ſuper cacumina montium.* Quin verba iſta tantundem notare poſſe ac illa: *ad latera montium*; quemadmodum, *Q. Curtii* phraſi, *ſuper menſam*, vel *ſuper vinum & epulas* convivæ eſſe dicuntur, menſæ tantum accumbentes. Deinceps, quod altiſſimos montes quindecim cubitis ſuperarint undæ, hoc potiſſimum argumento refellit Noſter, quod arca *quieviſſe* ac reſediſſe dicatur *ſuper montibus Ararat*, h. e. Gordyæis in Armenia, *Gen. VIII. 4.* & quidem die 17. menſis ſeptimi. Cœpit autem diluvium die 2. menſis ſecundi

cundi & accrevit diebus centum & quinquaginta, (Gen. VII. 24.) qui fere circa modo dictum diem menſis ſeptimi decimum ſeptimum deſinunt. Hinc patet, eo ipſo tempore, quo incrementum aquarum ſummum ſuum faſtigium ac ἀκμὴν attigit, arcam montibus Gordyæis inſediſſe, adeoque totam undis immerſam omnique aere excluſam fuiſſe, ſi altiſſimos montes, ſigillatim Atlantem, Olympum, Caucaſum, Picum in Tenariffa, Andes in America, quindecim cubitis operuiſſet ſuprema eaque æqualiter a centro terræ remota cataclyſmi peripheria. Ipſemet igitur Warrenus phraſin Moſaicam: *Operti ſunt montes altiſſimi*, exponi vult aut (1.) per *ſynecdochen partis* inferioris *pro toto* monte, aut (2.) per *hyperbolen*, quæ ſæpe a montibus petitur, v. g. Jer. IV. 24. Ezech. XXXII. 6. Eſai. XLIV. 23. XLI, 15. LXIV, 3. Habac. III, 6. Pſal. XCVII, 5. CXIV, 4. &c. aut denique (3.) vocem *cooperire* accipiendo non pro *ſuperare & contegere omni ex parte*, ſed pro *frequenter*, *abundanter circumdare*, *circumſiſtere*, *circuire*, *circumfluere*. Sic gemmæ dicuntur *tegmen* Tyriorum, *Ezech. XXVIII, 13.* Judæi feruntur *texiſſe* altare Domini lacrymis, *Mal. II. 13.* Imo Moſes ipſemet refert, coturnices *texiſſe* caſtra Iſraelitarum, *Exod. XVI. 13.* Et tamen *Num. XI. 13.* (optimus ſui interpres) auctor eſt, decidiſſe illas non *ſuper*, ſed *circa* caſtra, ex utroque eorum latere. Pari modo, Warreno judice, montes altiſſimos cataclyſmo *tectos* dixit Moſes, quia copioſiſſimæ aquæ quaquaverſus illos circumfluxerunt.

Ad Objectionem ſecundam: *Arca reſedit ſuper montibus Ararat, Gen. VIII, 4; ergo aquæ ultra cacumina montium accreverunt, arcamque illuc extulerunt*, Auctor noſter reſpondet: (1.) על, (quod communiter *ſuper* notat,) quandoque *prope*, *juxta*, *penes* ſignificare, e. g. *Pſal. I, 3. Num. XI, 13.* ſicque על הררי אררט *ſuper montes Ararat*, idem eſſe poſſe, ac *juxta* montes Gordyæos. (2.) Si concedatur, arcam *ſuper* montibus Ararat quieviſſe, hoc nihilominus verum fore, etſi non cacumini, ſed pedi vel inferiori montis parti innixa ea dicatur. Nec obſtare, quod *Beroſus* & *Nicolaus Damaſcenus* apud Fl. Joſephum, *Abydenus Aſſyrius* apud Euſebium & Cyrillum, *Benjamin* denique *Tudelenſis* in Itinerario, teſtentur, reliquias arcæ longo tempore remanſiſſe in montis Gordyæi faſtigio. Obſervat enim Warrenus, eosdem auctores tot fabulas admiſcere ſuæ hac de re narrationi, ut qui aliqua in circumſtantia extra dubium hallucinantur, in altera quoq; hallucinati eſſe non immerito præſumantur.

Digitized by Google

Succedit objectio tertia: *Cacumina montium apparere cœperunt, decreſcente diluvio, Gen. VIII. 5. Ergo prius aquis cooperta fuerunt.* Regerit Warrenus, partim, quod *cacumen montanum* non raro in Scripturis ſacris pro declivioribus & inferioribus partibus montis accipiendum veniat, e. g. *Amos I. 2. Exod. XIX, 20.* partim, quod fortaſſis in Geneſi intelligere oporteat apices montium minorum tantum, ſuperficie humi quindecim modo cubitis altiores, adeoque totos undis obrutos. Quod ſi hæc *σοφὰ φάρμακα* non arrideant cordato lectori, notari jubet, quod montium faſtigia non *ex aquis*, ſed *e tenebris* decimo menſe *emerſiſſe* ſive *viſa fuiſſe* dicantur. Toto nempe diluvii tempore tenebras univerſæ telluri conſtanter incubuiſſe. Cum enim atmoſphæra, quanta quanta erat, maximo opere turbata, omnes, quos ambitu ſuo complexa fuerat, vapores in nubes, moxque harum maximam partem in imbres copioſiſſimos transmutaſſet, vero non abſimile videtur, denſiſſimas toto paſſim orbe tenebras ea de cauſſa coortas eſſe. Imo abſolute hoc neceſſarium fuiſſe, Warrenus exiſtimat, ut homines diluvio abſumendi eo magis in ſtuporem & conſternationem verterentur, neque ii, qui non procul arca degebant, manu facta hanc invaderent, Noachumque cum familia brutisque animantibus illinc exturbarent, ac aſylo ejusmodi ſaluti ſuæ conſultum irent. Quemadmodum autem graviter adeo, ineunte cataclyſmo, conturbata fuit atmoſphæra: ita non ante decimum menſem, (ut ut jam per aliquot temporis ſpatium aquæ decreſcere cœpiſſent,) in priſtinum ſtatum reſtitui, adeoque Solaris lux per aerem in montium apices transmitti potuit. Hinc quando *Gen. VIII, 3.* legitur: וישבו *Et reverſæ ſunt aquæ continuo ac indeſinenter e terra*, Warrenus annotat, *reverti* idem Spiritui Sancto ſæpiuſcule eſſe ac *in ſua principia reſolvi*, non autem ſolummodo *ex loco in locum ſine ulteriore ſui mutatione abire.* Sic *Pſal. XC. 3.* שובו *Revertimini, filii hominis.* Gen. III, 19. אל עפר תשוב *In pulverem reverteris.* Pſal. CXLVI, 4. ישוב לאדמתו *Revertetur in terram ſuam.* Et ſimilem in modum hoc loco: *aquæ reverſæ ſunt*, nimirum in principia ſua, vapores ſcilicet. Accedebat ventus ille miraculoſus, (*Gen. VIII, 1.*) qui quamprimum cataclyſmus decreſcere cœpiſſet, non potuit non, dum aquas rarefacere debebat, aerem ſimul magis magisque turbare, ſpiſſare ac conſequenter tenebricoſum reddere. Quod ipſum etiam neceſſe erat, ne aquæ in glaciem coirent,

uti

Digitized by Google

uti fortaſſis feciſſent, niſi aer ſpiſſius adeoque ſubcalidus & conſequenter tenebris horridus fuiſſet, donec major earum pars in vapores abiiſſet, reliqua limo & ſordibus nimium permiſta lentiore rarefactione eguiſſet, adeoque pauciores vapores emiſiſſet, quam quales atmoſphæram notabili modo conturbare ac tantopere obtenebrare valuiſſent, ut nec Solis radii eam penetrare potuiſſent. Eandem ob rem Deus, cum nullum diluvium orbi poſthac immiſſum iri promitteret, non tantum ſementem & meſſem, æſtatem & hyemem, ſed & *diem ac noctem* ſemper fore, prædixit, *Gen. VIII. 22.*

Quod ſi porro obvertas, hac ratione homines animaliaque in montes fugam capeſſere atque mortis periculum evitare potuiſſe; reſponſio Warreno in promptu eſt, *imbres* copioſiſſimos (ſive potius *ecnephias* ac *exhydrias* quadraginta diebus in montes impingentes, atque ibidem cum *nivibus* non una hyeme illic aggeſtis, tunc vero liqueſcentibus, itemque cum aquis e *verticibus* cavernoſorum montium ſcaturientibus miſtas,) impetuoſisſimos compoſuiſſe torrentes, qui omnes, quotquot forte in montes adſcendere voluiſſent, in præcipitia ac decliviora montium loca ſecum rapuiſſent ac enecaſſent, aut certe in tantam deſperationem egiſſent, ut maluerint ſe præcipites dare in undas, quam fame vel metu ſenſim emori. Ne quis autem putet, per *aperturam cataractarum* ſive *feneſtrarum cœli, Gen. VII, 11.* innui, majorem aquæ molem delapſam eſſe, quam quæ tantum ad 15. cubitos ſuperarit humi ſuperficiem; Warrenus monet, multum aquæ imbibiſſe torridas & arenoſas terræ regiones, itemque barathra ſubterranea, antequam terraquêus orbis ad quindecim undiquaque cubitos ſurſum verſus inundari potuerit, præſertim cum circumferentia, quanto magis abeſt a centro, tanto amplior ſit magisque extenſa adeoque repletu difficilior. Cæterum *cataractas cœli* non amplius quid denotare præter pluvias copioſas & continuo decidentes, plane uti *Mal. III, 10*, ubi Deus in gratiæ ſuæ ſignum *feneſtras cœli* ſeſe aperturum ſpondet, *Lyranus* id fieri notet, *dando pluvias & rores ad fœcunditatem terræ convenientes.*

Deinde contra Warreni hypotheſin facere videri poſſet locus *Gen. VIII, 7. Corvus indeſinenter ibat & redibat, uſque dum exaruiſſent aquæ ex ſuperficie terræ.* Nam ſi cacumina montium aquis non contecta fuiſſent, facile reperiſſet corvus locum, ubi commode quieſceret,

adeoque

Digitized by Google

adeoque non neceſſe habuiſſet, ad arcam ſubinde reverti. Hunc nodum ſolvit, an ſcindit, Noſter, approbando verſionem vulgatam: Corvus *egrediebatur & non revertebatur*, aut ſeptuagintaviralem: *ἐξελθὼν ὐκ ἀνέςρεψε*, adeoque & Bocharti conjecturam, pro יצוא ושוב legendum ולוא ישוב. Quod ad *columbam* attinet a Noacho trina vice ex arca emiſſam, Warreni ſententia, ea in arcam prima vice ſtatim reverſa fuit, quod nec victum commodum nec locum ſatis calidum ac nidificationi aptum reperiret; altera vice, cum arva magis reviruiſſent, diutius extra arcam ſubſtitit, donec veſpera appropinquante, frigori nocturno perferundo impar, arcam iterum repeteret; ultima denique vice, cum jam formoſiſſimus annus eſſet, amœnitate locorum illecta longiusque divagata a montibus Gordyæis, redire aut neſciit, aut noluit, quo ſigno Noachus intellexit, terræ ſuperficiem iterum habitabilem evaſiſſe.

Ultimo loco hoc ſibi dubium movet Warrenus: *Si extra aquas prominuere montium juga, facile ad ea illidi, diffringi ac ſubmergi arca potuit.* Reſpondetque, idem verendum fuiſſe Noacho, ſive (juxta Burnetium) primævus orbis in omne genus fruſta disſiluiſſet, ac in abyſſum delapſus aquas ſede ſua expulſas in aerem protruſiſſet, ſive, (juxta vulgarem opinionem,) arcam ab aquis ſenſim in ſublime ferri ac dein in montes Ararat demitti oportuiſſet. Facili quippe negotio in montes nondum omni ex parte opertos impingere & naufragium facere potuit. Ad ſolam ergo divinam providentiam heic reſpiciendum autumat, utpote quæ non minus Noachum tempeſtate illa huc illuc jactatum ſalvum & incolumem ſervavit, quam antea arcam exſtruere ipſum docuerat atque animalibus inſtinctum indiderat, ut congregari & in arcam includi, tantoque tempore aſſervari ſeſe paſſa fuerint.

QUATRIEME DENONCIATION DE l'Hereſie du peché philoſophique.

id eſt:

Denunciatio quarta hæreſeos de peccato philoſophico, continens reſponſionem ad tertiam epiſtolam PP. Jeſuitarum.

Impreſſa

Impreſſa A. 1690, in 8. Conſtat plagulis 5.

NOndum piguit *Antonium Arnaldum*, Jeſuitis, quas de peccato philoſophico fovent, opiniones exprobrare. Cum enim illi, ne tacuiſſe viderentur, iſtius verba in alienum rapuiſſent ſenſum ac ſtatum controverſiæ multis modis pervertiſſent in *epiſtola* ſua *tertia*; acerrimus hic eorum antagoniſta, ut fraudes, quas putat, absq; cenſura dimitteret, a ſe impetrare haud potuit. Dixerat is, e Jeſuita- ART. I. rum principiis fluere *theſin* illam de peccato philoſophico *Divionenſem*; p. 5. de qua A. 1689. p. 620, & 1690 p. 328. 502. prolixius egimus, cum *Denuntiationes* tres priores recenſeremus. Id ii ita interpretati ſunt, ac ſi dixiſſet, fluere illam ex *doctrina* Jeſuitarum *de gratia ſufficienti*, quæ concertationum Janſenianarum primarium argumentum fuit; ideoque plus ſimplici vice non ſine aculeo interrogaverant, quid commercii intercederet peccato philoſophico cum gratia ſufficienti. Monſtrat igitur Arnaldus, ſe non iſtam *de gratia ſufficienti* Jeſuitarum controverſiam intellexiſſe, ſed expreſſis verbis indicaſſe iſta iisdem communia axiomata: *Nemo peccat, niſi quatenus ſcit & intelligit malitiam peccati. Ad peccandum formaliter requiritur notitia peccati. Nullum eſt peccatum formale, niſi conſcientia hic & nunc judicet de malitia. Conſcientia circa illicitum intrepida excuſat a peccato.*

Objicit mox iisdem ſex loca, ubi veritatem fraudulenter diſſi- ART. II. mularint aut corruperint. Ex his ultimi ſolum meminiſſe opus eſt. *Apologiam Caſuiſtarum*, absque auctoris nomine A. 1657 editam, *Buhurſius* (aut quisquis iſthanc contra *Arnaldum* exaravit epiſtolam,) ſibi ſuoque Ordini opponi deprecatus fuerat, eo quod univerſa Societas eam, quamprimum in lucem prodiiſſet, pro ſua agnoſcere noluerit, nolitque adhuc dum. Regerit Arnaldus, utrumque a vero alienum eſſe. Neque enim Jeſuitarum promachum *Annatum* aliumve ali- p. 20. quem confutare auſum eſſe ſcriptum *octavum* & *nonum*, quibus eo tempore *Curati* Pariſienſes culpam *Apologiæ* iſtius compoſitæ in Jeſuitas magna cum animi confidentia transtulerint. Imo poſtquam p. 22. Patres illi integro decennio ſecretis machinationibus efficere ſtuduiſſent, ne Apologia eccleſiaſticæ cenſuræ ſubjiceretur, in publicum emiſſum eſſe *R. P. Honorati Fabri Societatis Jeſu Theologi Apologeticum doctrinæ moralis ejusdem Societatis*, permittente Generali *Joanne Paulo Oliva* & approbantibus novem Theologis, e quibus hodienum ſu-

perſtes eſt *Franciſcus de la Chaiſe*. Huic nempe Apologetico inſeritur liber, quem idem auctor, ſed ſub *Stubrockii* larva latens, jam antea *Wendrockio* oppoſuerat. In hoc autem p. 665. editionis Colonienſis, perſonatus ille *Jeſuita* & (quod conſequi hinc putat Arnaldus,) *Approbatores* univerſi fatentur, *Apologiam* iſtam *Caſuiſtarum* opus eſſe *P. Piroti* Jeſuitæ Pariſienſis, quem quidem non communi Societatis conſilio aut cum conſenſu Generalis id libri edidiſſe perhibent, laudant tamen eum ceu *in doctrina morum, ſacris decretis, eorumque libris, qui de hoc argumento ſcripſerunt, optime verſatum.* Aſſerunt, continere eum quinquaginta quatuor propoſitiones, quarum tres quatuorve ſint certæ, quadraginta quinque probabiliores theſibus contrariis, reliquæ minus probabiles vel improbabiles. Non negant, quod *Alexander VII. damnaverit & prohibuerit Apologiæ libellum;* putant tamen id factum eſſe, non quod erronea dogmata complecteretur, ſed quod duriori ſtylo conſcriptus & absque auctoris & typographi nomine impreſſus fuiſſet. Neque diſſimulant viginti epiſcoporum Gallicanorum cenſuram contra Apologiam prolatam. Parum tamen eam curant &, interprete Stubrockio, contemtim ſatis inquiunt: *Quam multa ſuper his dicere valerem; ſed præ modeſtia & cultu etiam* minus dignis *debito abſtineo.* Ex excerptis hiſce collegit, Arnaldus, *Apologiam Caſuiſtarum* a Jeſuitis haud reprobatam, adeoque pro documento doctrinæ eorum a ſe merito habitam eſſe.

ART. III. Cæterum ut Theologum Divionenſem *Stephanum Bougotum* & qui cum eo peccati philoſophici meminerant, excuſaret *Buburſius*,
p. 26. diſtinguendas dictitarat propoſitiones, quarum una categorica & impia ſit: *Effective commiſſa ſunt & committuntur peccata gravia, quæ tantum ſunt philoſophica, adeoque nec Deum offendunt, nec pœnam æternum merentur;* Altera ſit conditionalis & non improbanda: *Si dantur peccata gravia mere philoſophica, ea non offendunt Deum, nec merentur pœnam æternam.* Hanc poſteriorem ſuam, alteram horribilem & hæreticam eſſe monuerat. Demonſtrare ergo Arnaldus conatur, ex receptis Jeſuiticæ Societatis placitis categoricam quoque propoſitionem per legitimam conſequentiam elici poſſe. Provocat autem primo ad adverſarii ipſius epiſtolam, ubi peccatum theologicum eſſe definitur *libera transgreſſio legis divinæ,* & prolixe diſputatur, *non poſſe Deum juſte infligere pœnas æternas gentilibus, niſi ob illas*

tantum

tantum actiones, quibus a ſe Creatorem offendi ſciverint. Hinc concludit, Jeſuitas transgreſſionem legis naturalis, ex ignorantia illius & absque propoſito offendendi verum Deum factam, habere debere pro peccato non theologico, ſed mere philoſophico: et quia id genus transgreſſio non raro inter Gentiles æque ac Chriſtianos accidat, eam non eſſe caſum moraliter impoſſibilem, uti Buhurſius aſſeverarat; conſequenter revera dari peccatum, quod ita ſit philoſophicum, ut non ſit ſimul theologicum. Hinc dilemmate in adverſarios inſurgit: Adulteria ab Americanis, antequam Chriſtiani ad eos delati fuerant, actu & reipſa patrata, aut fuerunt peccata theologica, aut mere philoſophica, aut actiones plane non peccaminoſæ. Prius aſſerere non licere ait Jeſuitis, quia Americanorum actio non fuerit *libera* ſive voluntaria *transgreſſio legis* a vero Deo latæ, utpote de quo ante ſuam converſionem nullam ideam habuerint: neque tamen etiam poſterius; conſtare enim ex iis, qui *Antillarum* deſcriptionem ediderunt, quod barbarus quidam uxorem ſuam adulteram occiderit, & cum indicaſſet ſocero, ſeſe infidelitatem uxoris puniviſſe, hoc reſponſi tulerit: *Recte feciſti; eſt autem mihi filia alia pulcrior; hanc, ſi vis, nuptum tibi collocabo:* unde liqueat, Gentiles agnoſcere, adulterium, ſi non, quam ignorant, *legi Dei revelatæ, ſaltem honeſtati naturali* adverſari, adeoque peccaminoſam & illicitam actionem eſſe. Concludit ergo Arnaldus, non poſſe non Jeſuitas medium arripere, ac ejuſcemodi adulteræ gentilis actionem habere pro *peccato* mere *philoſophico*, h. e. actione, quæ voluntarie fit ab eo, qui quidem eam legi divinæ contrariam eſſe ignorat, naturaliter autem inhoneſtam eſſe ſatis novit ac perſuaſus eſt.

Provocat dein ad alios Jeſuitas magni nominis, cumprimis autem *Antonium Terillum* Anglum, Profeſſorem Theologum in collegio Anglicano Leodienſi, qui *Regulam morum* volumine magno conſcripſit ac oppoſuit libro *de recta doctrina morum*, quo Jeſuita Hiſpanus *Eliçaldus*, ſub anagrammate *Antonii Celladei*, A. 1670. *probabiliſmum* fratrum ſuorum convellere ac refutare niſus fuerat. Terillus quidem immortuus eſt editioni; huic tamen Provincialis Anglicanus, & quatuor Theologi approbatores obſtetricantes manus adhibuerunt. ART. IV. p. 42.

Ex hoc igitur quatuor propoſitiones ſeligit *Arnaldus:* Prima eſt: *Fatemur cum S. Thoma ignorantiam ſæpe eſſe voluntariam, ideoque* p. 44.

Digitized by Google

etiam imputabilem: ſed eam NON ALITER voluntariam eſſe admittimus, quam ſi antecedenter aliqua de illius vitatione OBLIGATIO menti occurrerit, per cujus OBLIGATIONIS contemptum vel neglectum ignorantia culpabiliter incurritur. Notari heic cupit Arnaldus, Jeſuitam non ſuo tantum, ſed totius Societatis nomine loqui, verbis *Fatemur*, *Admittimus*; & ad ſolum *contemptum* vel *neglectum* debiti probe noti (vocibus *Non Aliter*) reſtringere ignorantiam culpabilem; unde ſequatur, quod quisquis nunquam actu cogitavit teneri ſe, ut id, quod facere debet, non ignoret, id invincibiliter ac involuntarie, adeoq; impune, ignoret. Contrarium deinde ex *Thoma Aquinate*, verbis *Contenſonii*, probat, ut pateat, fruſtra Jeſuitas gloriari, ſe Thomam hac in parte ſequi.

Altera Terilli propoſitio eſt: *Fieri poteſt, ut homo diu verſetur in actuali hac negligentia, quia ſemper videt ſe obligari ad aliqua ſcienda, quæ tamen continuo negligit ſcire, quæque ſcire poſſet, ſi diligentiam adhiberet. Fieri etiam poteſt, ut olim potuerit, nunc autem non poſſit ignorantiam vitare. Sæpe accidit, ut continuatio ignorantiæ æque ſit voluntaria ac ejus initium. Fieri tamen etiam poteſt, ut ignorantia, quæ prius voluntaria fuit, involuntaria fiat, ſi nempe ignorans neminem habeat, qui eum doceat.* Hinc arguit Arnaldus, quod juxta Jeſuitarum placita, involuntaria & invincibilis fiat ignorantia illius, qui nocte dieque cogitat, qua ratione cuticulam molliter curet genioque indulgeat, quive inter eos ſolum vivit, qui quicquid Chriſtiani ſanctum habent, ſatyricis ſalibus perfricant, atque ceu mera hominum cerebroſorum inventa exſibilant. Hoc enim modo omnem religionis ſenſum in eo ſenſim extingui, ut obligatio menti ejus non amplius occurrat, ideoque ſine actuali contemptu neglectuve poſitivo obligationis illius ſuæ, actiones Legi divinæ in ſe, (ut ut non ex intentione peccatoris expreſſa,) contrarias patret, quodque hinc collectu facile eſt, non peccet theologice, ſed tantum *philoſophice*, quia inter peccandum non legis divinæ, ſed ad ſummum tantummodo honeſtatis naturalis meminit.

p. 55. 56. Propoſitio *Terilli* tertia ita enunciatur: *Voluntas in opere particulari non peccat moraliter peccato proprie & ratione ſui imputabili, quando nulla actualis advertentia, (nec ſpecialis, nec confuſa,) malitiæ moralis vel periculi præceſſit, vel ſaltem dubitatio aliqua, vel ſcrupulus.*
p. 58. Notanter dicit: *proprie & ratione ſui imputabili*, idque porro diſtincte explicat,

Digitized by Google

explicat, aſſerendo, quod peccatũ ex mera inadvertentia non *per ſe & proprie* ſit peccatum, ſed quod ei tantum applicetur & imputetur reatus peccaminoſæ actionis præcedentis, per quam in ejusmodi inadvertentiam homo prolapſus fuerat. Hæc cum attuliſſet Arnaldus, monſtrat, quomodo ea ratione excuſentur omnia facinora prava Gentilium, Epicuræorum, Atheorumve, ac ſi *in ſe* non ſint peccata, ſed tantum *in cauſſa ſua*, inadvertentia nempe & negligentia addiſcendi inque memoriam revocandi obligationem ſuam; adeoque non puniri queant, quatenus legi divinæ ſunt contraria, ſed quatenus reatus cauſæ eorum ipſis ſimul applicatur & imputatur. Putat idcirco probaſſe ſe hoc modo, quod probare debebat, nempe quod juxta Jeſuitarum hypotheſes peccata philoſophica non ſint meræ imaginariæ ſuppoſitiones & caſus moraliter impoſſibiles, ſed nimis crebro inter homines accidere ſoliti. Unde ſerio cohortatur eos, ut ſi hæreſi de peccato philoſophico a Papa damnatæ bona fide repudium remiſiſſe videri velint, propoſitiones illas omnes animitus ejurent atque condemnent. De Quinta Denuntiatione proximo menſe dicemus.

THOMÆ GODVVINI MOSES ET AARON.

Ultrajecti, ſumptibus Balth. Lobé, 1690, in 8. plag. 43.

NOtiſſimus eſt in republica literaria *Thomas Godwinus*, Somerſetenſis Anglus, A. M. Scholæ Abendonenſis in agro Bercherenſi ludimagiſter, deinde Theologiæ Doctor & Profeſſor Oxonienſis, tandem eccleſiæ Brightvvellenſis Rector, d. 20. Martii A. C. 1642. ætatis LV. fato ſuo functus; quod ante nos memoriæ prodidit Vir clariſſimus in *Diario biographico*, indiculumque operum adjecit, juſto forſan auctiorem. Num enim *libri IV. Antiquitatum Romanarum* ab *Anthologia Hiſtoria Romana* revera diſtinguendi veniant, ut ei videtur, nobis non conſtat, quibus illi modo, (non item hæc,) innotuerunt. Quod autem *libros VI. de civilibus & eccleſiaſticis ritibus in uſu apud Hebræos* aliud eſſe putavit opus ab *Antiquitatibus Hebraicis & Græcis, ſub titulo: Moſes & Aaron*, diligentiſſimo Viro fraudi fuerunt memoriæ minus accuratæ. Namque *ſex* illis *libris* abſolvuntur *Moſes & Aaron, ſeu civiles & eccleſiaſtici ritus antiquorum Hebræorum, tam quos illi nulli genti debent, quam quos iidem ab Ethnicis & hi ab Hebræis per*

καπηλείαν (?) *aſciverant*, tertium nunc editi. Et primus quidem liber, *de perſonis* inſcriptus, diſtincte agit de forma reip. Judaicæ uſque ad Chriſtum, de publicanis, de proſelytis, de Regibus, de Pontificibus ſummis, Sacerdotibus, Levitis, Nethinæis, de Prophetis, de titulo Rabbi, de Naziræis & Rechabitis, de Aſſidæis, Phariſæis, Sadducæis, Eſſenis, Gaulonitis & Herodianis. Liber II. *de locis*, templum, ſynagogas, ſcholas, proſeuchas, portas, lucos, excelſa, aſyla conſpicienda ſiſtit. Succedit tertius *de diebus & temporibus*, ac ſigillatim de diebus, horis, ſeptimanis & annis, de feſtis & conviviis, de ſabbato, de feſtis paſchatos, pentecoſtes, tabernaculorum, buccinarum, noviluniorum, expiationum, de annis ſabbatico & jubilæo, de feſto Purim encæniorumque. Libri quarti argumentum eſt *idololatria.* Enarrantur heic ſingula idolorum & divinationum, de quibus in S. literis memoratur quidquam, genera. Quintus de *conſiſtoriis*, pœnisque ibi in reos decerni ſolitis, tractat. Ultimo *de ritibus mixtis* ſermo inſtituitur, de circumciſione nimirum, de primitiis & primogenitis, de decimis, de matrimonio, ſepultura, jurejurando, modo ſcribendi, Maſorethis, metationibus & caſtris Iſraelitarum, menſuris atque monetis.

Non negandum eſt, libellum methodo hac facili, ſuccinctaque ſua brevitate juventuti antiquitatum ſacrarum ſtudioſæ gratiſſimum eſſe debere; præſertim, ex quo *Joh. Henricus Reizius*, V.D.M. ſingulis fere paginis ſubjecit notas haud pœnitendas, ac e philologis Godvvino recentioribus, *Coccejo* cumprimis, *Lightfooto, Altingio, Burmanno, Wagenſeilio*, aliisque excerptas. Præfiguntur editioni huic *Hermanni Witſii* præfatio & diſſertationes duæ *de Theocratia* Iſraelitarum *& de Rechabitis*, non indignæ auctore *Ægyptiacorum* ac *exercitationum in ſymbolum Apoſtolorum*, de quibus annis 1684. p. 213. & 1682. p. 199. prolixius verba fecimus.

RELATION DES REVOLUTIONS, ARrivées à Siam, dans l'année 1688.

Hoc eſt,

Relatio de mutationibus, quæ in regno Siam anno 1688 contigere.

Amſtelo-

Amſtelodami, anno 1691, in 12. Conſtat plagulis 3.

QUam ſecundis ſuſcepta auſpiciis videri poterant hodierni Gallorum Monarchæ negotia, miſſis ad Siami regem, indeque rurſus acceptis legationibus non ita pridem geſta; quorum non ſemel in *Actis proximorum annorum* meminimus: tam luctuoſa eadem cataſtrophe abrupta brevi concidiſſe, omnemque grandium illorum eventuum, qui inde ſperabantur, expectationem ſubito fefelliſſe, e præſenti relatione cognoſcimus. Cui tanto major fides debetur, quanto rerum expoſitarum exactior cognitio penes autorem eſt, qui iisdem ipſe interfuit, quam qui fando ſolum aut vagis rumoribus accepta refert. Eſt is *Actorum anno 1689 p. 481.* memoratus *Fargeſius*, dux copiarum Gallicarum, & caſtri *Bankok* præfectus. Non ingratam vero operam B. L. nos præſtituros confidimus, ſi memorabilem hanc ſtatus regni *Siamici* converſionem, ejusque momenta, tametſi ex parvo libello, paulo enarremus diligentius.

A principio ſtatim non inficiatur *Autor*, negotiorum ſuorum rationes fidentius ſubduxiſſe *Gallos*, ampliusque, ac par erat, de favore Principis, quem invaletudo quædam lethalis ad tumulum jam ſenſim deducebat; de ſucceſſoris regii, qui incertiſſimus erat, erga ſe voluntate; de dubia miniſtri *Conſtantii* fortuna, cujus ea non fuerit autoritas, quæ credebatur; de indolis bonitate, affectuque *Siamenſis* populi, quem odium & furor in exitium *Gallorum* mox armaverit, ſibi promiſiſſe. Deſcribit deinde ſtatum regiæ domus & officiorum, qualis ſe in regnum adventante fuerit. Commendat *regem* a magnitudine & vigore animi, ac in exteros propenſione; notat vero ejusdem erga populares ſuos rigorem, ex quo factum, ut plus metus, quam amoris ſibi apud ſuos conciliaverit: cæterum, utut quinquaginta quatuor annis non majorem, certo conflictatum eſſe morbo, cui ipſum brevi ſuccubiturum non obſcuris indiciis deprehendi potuerit.

Proles regi *maſcula* nulla; unde ſucceſſionis jus ſecundum conſuetudinem regni, ad regis *fratres*, quorum duo erant, ſpectabat. Horum *major natu* membris captus jus omne *fratri minori* conceſſurus videbatur: hic vero mutum ſe hactenus ſimulaverat, cavendis ſcilicet ſuſpicionibus, quarum primam quamque vitam ſuam in diſcrimen apud regem conjecturam timebat, utrique fratrum parum faventem,

ventem, eosque procul a negotiis regni habentem. Deſponſa tamen ſecreto juniori huic tum ferebatur, ſed inconſtanti rumore, *unica regis filia*, viginti octo circiter annos nata, ſupercilii ingentis, & morum ac ſuperſtitionis avitæ retinentiſſima; quæ tum ex aula ſe proripuerat, ob offenſam a Parente acceptam, cujus autorem *Conſtantium* credebat, eaque propter odio eundem proſequebatur. Has vero neceſſitudines ſolida apud regem gratia longe anteibat *filius* ipſius adoptivus, *Prapieus*, ſucceſſor Principis, ſi per eundem ſtaret, procul dubio futurus: ſed hunc natalium obſcuritas factione aliqua invaleſcere non ſinebat, populi & officialium regni (*Mandarinorum*) affectu in fratres regios unice propendente,

Ex cæteris *aulæ obſequiis* unus *Petcheratchas*, ſive *Pitrachas*, magni quid primo ſtatim conſpectu portendere, ſupraque reliquos eminere viſus eſt *Autori* noſtro. Præterquam enim quod generis prærogativa eos antecellebat, (ex ſtirpe ſcilicet regia oriundum, quam regis parens olim throno dejecerat, fama ferebat;) oſtentato inſigni pro ſuperſtitione gentis ſuæ zelo, *Talaponum* univerſorum, quorum ſumma apud Siamenſes exiſtimatio, favorem conſecutus erat; animum præterea gerebat, erga gentem ſuam ſincerrime affectum, odii erga peregrinos pleniſſimum. Cæterum ſenſa ſua & conſilia premere apprime gnarus, amoliendæ omni ſuſpicioni unum præ ſe ferebat vitæ privatæ deſiderium; unde & ampliſſimas, quas rex ipſi filioque ejus ſubinde detulerat, dignitates conſtanter recuſavit. Quod tamen adeo non detraxit eximiæ qua pollebat autoritati, ut inter præcipuos conſilii regii haberetur, multoque intimioris quam, *Conſtantius*, eſſet admiſſionis: quem ex adverſo Galli longe potentiſſimum credebant, quique idem ipſis perſuadere contendens, cæterorum exiſtimationi omni ſtudio derogabat, ut ſua unius fiducia & auſpiciis quodcunque erat negotiorum gereretur.

Nec exigua quidem erat hujus *Conſtantii* apud regem gratia, qui tractandis exterorum cauſis hunc unum miniſtrum idoneum putabat, ob exactam, qua inſtructum ſe profitebatur, rerum aularumque Europæarum notitiam: cum tamen complures aulici antecedebant, & dignitate & libero ad Principem acceſſu, qui Conſtantio, niſi comparere juſſo, non patebat. Hunc *Autor* ingenii vividi & capacis, aliisq; politicis virtutibus præditum fuiſſe teſtatur; candoris tamen & integritatis in eo

Digitized by Google

in eo defectum notat ſibi deprehenſum, præter ambitionem immodicam, & ſummum vindictæ ſtudium in eos exercendæ, a quibus ſe contemptui habitum opinabatur; ob quæ odium univerſi populi plurimique exterorum in ſe concitaverit.

Quantum ad *Gallos* anno 1687 claſſe advectos: ex iis *Fargeſius Bankoki* ducentos habebat præſidiarios; *Bruanus Merguium* cum tribus cohortibus tenebat. De *Fargeſianis* tamen quadraginta circiter regis Siamenſis auſpiciis maritima expeditione piratas perſequebantur: cætera manus malefidas *Bankoki* munitiones tuebatur, vallo propugnaculisque quidem undiquaque cinctas, & pro tantillo defendentium numero nimium ſpatioſas.

Hæc regiæ facies erat aulæque *Siamenſis*, cum anni 1688 menſe Martio, rege gravius decumbere incipiente, *Prapieus* rebus ſuis incumbens, clientelas parare ſibi occepit; *Pitrachas* vero, adornatis pridem conſiliis ſuis, ope *Mandarinorum*, cenſui populi præfectorum, quantam potuit multitudinem prope *Louvoum*, (ubi rex æger degebat,) cogere, inque delubris vicinis poſitam tenere. Nec difficile ei ſubditorum quemque in partes ſuas trahere: occultato enim conſilio ſuo, nihil in animo ſibi cauſabatur, quam vitæ *Talaponum* ſolitariæ ſe mancipare; ante tamen totis viribus eo adniti, ut Principes fratres, quibus exitium à *Prapieo* & *Conſtantio* paratum ſciret, in ſolium ipſis debitum collocaret. Conciliandis autem animis per univerſum regnum rumorem occulte ſpargi curabat, accitos nuper *Gallos* extirpandæ domui regiæ, religioni, moribusque avitis, evehendisque *Prapieo* & *Conſtantio*: quibus technis primores regni non minus ac promiſcuam plebem, quin ipſos etiam regni hæredes facile ſibi adſcivit, cauſam ſuam ab ipſo promoveri ratos, & *Prapieum* cum *Conſtantio* capitaliter exoſos.

At *Conſtantius*, quem pleraque horum latere non poterant, inſidias, utcunque ipſi blandientis æmuli declinaturus, medio Aprilis, regis nomine *Fargeſium* cum potiori parte copiarum *Louvoum* advocat. *Fargeſius* accepto mandato cum 70 circiter militibus eo movens, *Siami* (regiæ regni, præter quam via facienda erat) portas offendit clauſas, & tanquam imminente hoſte, omnia tumultus plena: ab amicis deinde certior redditur, publica fama regem fato functum perhiberi; medio *Louvoum* inter & *Siamum* itinere armis omnia

compleri; agitari conſilia de *Conſtantio* in vincula conjiciendo; miſſamque amplam militum manum invadendo *Bankoko*, & Gallis ibidem internecione delendis. Hæc ut percepit *Fargeſius*, absque mora *Conſtantio* perſcripſit: hortatus eundem, ut ad ſe, prope *Siamum* tantiſper ſubſtiturum, quamprimum divertens, ſuam ſuorumque operam & fidem legitimis regni hæredibus offerret, *Siami* tunc degentibus; dilueretque hoc ipſo ſuſpiciones, quibus in præſens onerabantur. Sed *Conſtantius*, ſive non intellecta magnitudine periculi, ſeu interclusa diſcedendi opportunitate, ſeu omnino *Prapiei* factione junctus, conſilium non amplexus eſt. *Fargeſius* cum ſuis *Bankokum* receſſit.

Intellecto *Fargeſii* regreſſu, *Pitrachas*, qui 30000 manu ſuccinctus regem regiamque *Louvoum* in poteſtate jam habebat, omni artificio contendit Principes fratres & filiam regis *Louvoum* pertrahere, ut ſolidum ſibi arbitrium eſſet de illis ſtatuendi, nec Gallis integrum ſocias manus iisdem jungere. Quanquam vero incompertum Principibus eſſet, quid rerum *Louvoi* tum temporis ageretur, iique à *Prapiei* & *Conſtantii* machinationibus multum ſibi metuerent; mallentque adeo *Siami* regium occupare palatium, ibidemque captis regni habenis fidelitatis juramentum ab accitis *Mandarinis* exigere: evicit tamen pertinax *Pitracha*, quem ſuis partibus ſincere addictum, nec ambitu aliquo ſucceſſionis regiæ negotiis implicari credebant, ſolicitatio, ſpecioſis ſubnixa rationibus, ut cum filia regis minor natu Princeps *Louvoum* concederet, quos ille cultu regio & prolixa ſubjectionis ſimulatione excepit.

Hæc veluti ſcenæ præludia inſecuta mox eſt cædes *Prapiei* & *Conſtantii*: quorum prior funeſtum rerum ſuarum exitum, ſi regii fratres imperio potirentur, præſagiens, præſidio ſuo & capeſſendis regni auſpiciis militum copias cogere armisque experiri conſtituit. Sed molitiones iſtæ in minima intento *Pitracha* facile patuere. Occupandum ergo hoſtem adhuc invalidum ratus, e regis cubiculo, in quo ægrotanti perdius atque pernox miniſtrabat, inſidioſe detractum *Prapieum*, nihil preces moribundi regis pro eo intercedentis moratus, extemplo jubet obtruncari. *Conſtantium* deinde in aulam, tanquam ex mandato regis, acceerſitum adorſus, perduellionis & peculatus acerbe inſimulat, direptum catenis onerat, arctiſſimeque cuſtoditum,

quæſtio-

Digitized by Google

quæſtionibus ſemel iterumque habitis, tormentis ſubjicit: in quibus conſpirationem cum *Prapieo* ærariique regii expilationem, ut ferebatur, confeſſus, poſt in fruſta comminutus eſt. Secundum hæc in domum, familiam, neceſſarios & amicos *Conſtantii* varie ſævitum: direpta illa, uxore conſanguineisque per varia tormenta crudeliſſime excruciatis, & *Mandarinis* Conſtantio junctis in vincula miſſis. Secundis his rerum primordiis elato *Pitracha*, præcipuum de evertendis *Gallis* conſilium, quibus ſuperſtitibus nunquam tranquillum imperii ſtatum futurum, univerſo populo Principibusque perſuadebat. His ut tanto tectius ſecuriusque imponeret, a ſolicitando Principe majore natu, quem hactenus variis prætextibus inſtantiſſime *Siamo* exciverat, ſponte deſtitit; & ne ſuſpicioni, quam Principibus importuna illa flagitatione moverat, porro locus eſſet, præſente altero Principe Mandarinorumque præcipuis, coram idolo ſolenni ſacramento fidem & obſequium Principibus ſpopondit. Sic conciliatis Principum animis, nullum *Pitrachæ* impedimentum, perficiendis impigre deſtinatis ſuis. Longum foret ſigillatim explicare, quibus artibus incautos, ut putabat, *Gallos* fallaciis ſuis obnoxios reddere & in retia ipſis tenſa pertrahere laboraverit, tanto minori deinde negotio opprimendos: quæ eo tandem omnes vergebant, ut *Fargeſium*, prætento regis imperio, ſpecioſis rationibus ampliſſimisque promiſſis ad ſe pellectum, in poteſtatem ſuam redigeret.

Fargeſius diſcrimine, quod imminebat, probe perſpecto, mandatis obſequi conſtituit: honori regis ſui ſibique conſultius ratus, fidei ſimulatione deceptum peſſundari, quam ingratiis expugnari præfectum loci, commeatu, viribus, munitione aliisque belli neceſſariis fere deſtitutum. Commendato ergo caſtri præſidio *Verdeſalio*, *Louvoum* profectus a *Pitracha* honorifice quidem excipitur, at perplexis ſubinde quæſtionibus tentatur, quibus expedire ſe vix potuit. Summa poſtulatorum erat, ut evocatis *Bankoko* præſidiariis, *Bruano* negotium daret ſuos conjungendi cum *Fargeſianis:* conſtitutum enim eſſe regi, *Gallorum* opera in bello adverſus vicinos, quo diſtineri tum fingebatur, uti, univerſisque copiis ſuis præficere *Fargeſium*, bellicarum virtutum & fortitudinis laude ſibi commendatiſſimum. Quodque *Bruanum* attinebat, literarum, quas huic ſcribere *Fargeſius* poſcebatur, exemplum lingua *Siamenſi* conſcriptum *Pitrachas* offerebat.

Digitized by Google

At hunc de diverſa hujus *Gallicaque* linguæ indole nihil ſuſpicatum, ſua ipſius fraude deluſit *Fargeſius*, translatis in Gallicum idioma literis, nihil immutato tenore ordineque vocum formulæ præſcriptæ; Quæ translatio uti, fatente *Fargeſio*, ridicula ineptiſſimique contextus fuit, ita clariſſimum *Bruano* præbuit indicium, quo loco *Fargeſii* res eſſent conſtitutæ,& a cujus arbitratu tam lubricum penderet negotium. Quantum porro ad milites *Bankoki* relictos, nullum abſenti ſibi in eos, more gentis ſuæ, imperium eſſe aſſerebat; relicto ibidem legato, qui, dum abeſſet ipſe, pleno jure præſidiariis moderaretur. Dimiſſus ergo, ut cum milite ſuo quamprimum rediret, obſidum veluti loco duobus filiis relictis, in quos animadverſurus erat *Pitrachas*, ſi petitis obſecundare parens negligeret.

At *Fargeſius* propere domum reverſus, totius cauſæ ſummam & momenta præfectis militum protinus expoſuit. Qui intellectis injuriis, quibus Galli regni incolæ, nuper affecti eſſent (in vincula enim, ipſo *Fargeſii* filio non excepto, conjecti iniquis modis habebantur) nec meliora ſibi fata, ſi *Pitrachas* obtineret, inſtare conjicientes, extrema omnia ſubire, quam barbarorum ſe permittere libidini, communi ſententia decrevere.

Ad defenſionem ergo quantocyus ſe comparantes, præfixis ſudibus diſpoſitisque tormentis, loca hoſtium incurſibus maxime obnoxia firmaverunt; munitiunculam vero oppoſito fluminis *Menan* lateri adſtructam, quam tueri nequibant, diruto, quantum fieri potuit, vallo, ruptisque pulvere pyrio machinis bellicis aut obturatis, exarmavere. Hac tamen protinus occupata, excitatis ſuper ea aggeribus, Siamenſes obſidione cingere Gallos cœperunt: qui facta eruptione nequicquam hoſtes loco pellere conati, feliciori deinceps ſucceſſu, diſploſis continue tormentis, obſidentium opera, plurimis eorum occiſis, diſturbavere; ab iisdem viciſſim miſſilibus globis & bolidibus igniferis non intermiſſo impetu oppugnati. Diurnum hunc ignis & plumbi grandinem excepere noctu creberrimi aſſultus, diſtrahendis enervandisque obſeſſis ficti; quos præterea labores nunquam intermiſſi, commeatus inopia, & frequentes largiſſimique imbres, oculorum uſum vel ad pedis diſtantiam ſubinde intercipientes, ſupra modum delaſſabant. Tantis difficultatibus conflictantes Galli, & rerum, quæ foris gerebantur, prorſus ignari, cymbam decem militibus inſtruunt,

unt, periculum facturis, ſi forte ſecundo flumine delati obviam fieri poſſent commilitonibus, quos contra piratas regiis auſpiciis miſſos ſupra memoravimus, eosque in ſuppetias ſecum reducere. Sed vix extra conſpectum præſidii provectos navigia *Siamenſium* frequentia circumſiſtunt, impetuque facto Præfectum multitudine obrutum cogunt, ſe ſuosque, cum irruentium hoſtium non exiguo numero, ſuccenſa cymba in altum evibrare, non ſine ingenti ſuperſtitum conſternatione, extremam Gallorum inſolitamque pertinaciam obſtupeſcentium.

Pitracha interim Fargeſius per literas nunciat, ſuos, rumore publico de internecione in ſe decreta perculſos, & popularium violatorum exemplo cautos, profectionem detrectare; facturos vero, ut quam cariſſime ipſorum vita iis conſtet, ſi quos ſuper hoc pignore ſecum experiri lubido aliqua inceſſat: promtiſſimos alioqui ſecuritate pacta amice decedere, & navigiis acceptis patriam repetere. Hoc intellecto *Pitrachas* atrocibus minis *Fargeſii* conſtantiam expugnare non ſemel conatus, poſteaquam nec Chriſtiani nominis per univerſum regnum excidio, nec obſidum filiorum ſupplicio intentatis, quicquam ſe proficere animadvertit, ad mitiora animum inclinare cœpit conſilia. Ab una enim parte Gallorum obſtinatione, ab altera ancipiti armorum eventu ſibi ob oculos poſitis, ne forte clade aliqua accepta *Siamenſium* furor adverſum *Gallos* concitatus, in ſe autorem converteretur, non vano augurio metuebat: tutiusque omnino habebat, cæde Principum, quorum alterum officii ſpecie in cuſtodia tenebat, alterum varia fraude amicis fidorumque hominum præſidio ſpoliaverat, quam Gallorum ſubverſione in thronum regium eniti.

Coacto itaque procerum regni concilio, de Principibus graviſſime conqueſtus, pro tot tantisque meritis inſidias ab ipſis vitæ ſuæ ſtrui, tanquam rem certiſſime compertam, aſſeverabat, ſimul, quid facto opus eſſet percontabatur: nec difficulter ab univerſis, ſive potentiam *Pitracha* reformidantibus, ſive ſponte partes ejus amplexis, obtinuit, ut mortis ſententiam in Principes ingratitudinis damnatos pronunciarent. Nec mora, ſubmiſſis qui alterum Principem Siami comprehenderent, raptos ambos in delubrum prope *Louveum* deportari, ſupplicioque extremo, quod in regii ſanguinis Principes more gentis

decernitur, affici, hoc eſt ſaccis coccineis incluſos, fuſtibusque ſandalinis cæſos necari curavit.

Sublatos ita Principes, ipſe Rex, morbo ſolutus, poſtridie ſecutus eſt. *Pitrachas* vero jura regia jam non obſcure uſurpans, præcipuis regni muneribus clientes admovit, Mandarinos, quorum fidelem operam expertus fuerat, altius evexit, vinculisque hactenus conſtrictos ſolvit, ſervitiis etiam promiſcuæ multitudini remiſſis, congiarioque eidem præbito: moderationis non minus quam magnificentiæ laude utique captata. Jn regiam porro filiam nihil durius ſtatuit, interfecti ſponſi injuriam connubiali fœdere cum ipſa ineundo, (cujus quidem ſolennia excedente *Fargeſio* nondum celebrata erant,) non inſiqua ratione expiaturus. Rebus ita ex voto partim perfectis, partim diſpoſitis, nihil prius *Pitrachæ* viſum, quam ut *Gallos* æquis conditionibus placatos, cum pace e regno dimitteret. Placuit vero negotium a liberatione filiorum *Fargeſii* auſpicari, quos ad ſe vocatos blande allocutus, excuſata parentis obſtinatione, inque milites ejus rejecta culpa, velut in teſſeram amicitiæ *Bankokum* ultro remiſit, ingenti applauſu & congratulatione ibidem exceptos. Ceſſatum mox utrinque aliquantum ab hoſtilitatibus, variis hinc inde pacis conditionibus propoſitis; marcente ſenſim, ipſo temporis tractu, *Siamenſium* furore, qui primo ſub impetu, ad imbellem usque ſexum tanquam ſerpente, contagio, proceſſerat.

Appellunt interim *Bankokum* binæ naves, in piratas nuper emiſſæ, exponuntque *Gallos* claſſiarios; advolant & *Louvoo* præfecti *Gallorum* libertati redditi, aliique ejus gentis, detinentium manibus furtim elapſi: commemoratisque prolixe adverſis, quibus toto paſſim regno per hos motus expoſiti aut jactabantur aut ſuccumbebant Chriſtiani; & facto *Bruani*, qui cum ſuis in caſtro *Mergui* obſeſſus, aquæ inopia ſuperincumbentibus hoſtium aggeribus compulſus, via per medios hoſtes vi facta, commodumque intercepto navigio regio fuga ſibi ſuisque conſuluerat; ſolicitudinem intendunt *Fargeſii*, ancipiti inſtantium expectatione ſuſpenſi. Nec enim quieta obſeſſis tempora erant, qualicunque hac induciarum ſpecie; vario eoque crebro rumore, ſimulate ſecum agi, ut nec opinantes ſubita fraude opprimantur, non leviter turbatis: accedentibus præcipue quotidianis perfidiæ *Siamenſium* experimentis, pro ſua libidine pacta conventa fingentium

& re-

Digitized by Google

& reſingentium. Dum autem difficultatibus iſtis *Galli* exercentur, confectum prope negotium totum pene irritum reddidit *Conſtantii* vidua, quæ captandæ fugæ occaſionem nacta, cuſtodes ſuos fefellerat, & *Bankokum* ſe receperat. Indigniſſime tulit hoc *Pitrachus*, & ni protinus ea dederetur, nullam compoſitionis ſpem ſuperfore interminabatur. Verebatur enim, ne illa regno digreſſa ſpes ſibi intercideret recuperandæ ingentis pecuniæ, quam *Conſtantium* clam evexiſſe uxore conſcia opinabatur: & jam *Fargeſio* de ſalute miſeræ anxio, ideoque tergiverſante, omnia ad vim denuo ſpectabant, bellumque crudelius exarſurum videbatur, cum *Fargeſius* deditioni annuens, interpoſita tamen novi regis fide impunitatem libertatemque illi, familiæ ejus & neceſſariis pactus, concitam tempeſtatem declinavit.

Tandem ergo poſt abrupta ſemel iterumque pacis negotia, ſequentibus conditionibus inter diſſidentes convenit: *Galli*, nullo munitionibus loci damno illato, militari pompa cum armis & impedimentis excedant; hos tribus navigiis præbitis, commeatu cæteriſque neceſſariis juvent *Siamenſes*, duobus Mandarinis obſidum loco adjunctis, qui abeuntes ad fines usque regni comitentur.

Diſceſſere *Galli* feſto mortualium, altero quam advenere anno. Cæterum *Autor* pene fidem ſuperare contendit, labores a *Siamenſibus* infinitos excitandis tam multiplicibus operibus caſtrenſibus, aggeribus, munitionibusque, quibus vel *Gallos* circumcingere, vel ſuppetias adverſo flumine venturas arcere ſtuduerunt: non diſſimulat tamen, populum artium harum non perinde gnarum, ab hoſpitibus, *Anglis*, *Batavis*, *Luſitanis* ſtrenue adjutum; quibus ſingulis ſuæ in promovenda obſidione vices fuerint & munia. Recenſitos autem hoſce ſuos ſuorumque caſus illuſtri ſibi documento eſſe fatetur, ne in deſperatiſſimis quidem malis, quibusque par nullum remedium videatur, omnem ſpem ab afflictis unquam abjici, ſed ſalutarem a tempore medicinam expectari oportere.

HISTOIRE DE L' ETABLISSEMENT des François Refugiez dans les Etats de S.A.E. de Brandebourg.

id eſt,

Hiſtoria

Digitized by Google

Hiſtoria receptionis Gallorum exulum in ditionem *Sereniſſimi ELECTORIS BRANDEBURGICI.*

Berolini, apud Robertum Rogerum, 1690. in 8. plag. 26.

DUm avide expectamus majora opera Virorum nobiliſſimorum, *Samuelis Pufendorfii* & *Johannis Beſſeri*, quorum is proſa Latina, hic verſa Germanica res geſtas, quibus *FRIDERICUS WILHELMUS, Elector*, dum viveret, *Brandeburgicus*, MAGNI cognomen ex merito obtinuit, a Sereniſſimo hujus Succeſſore, FRIDERICO III, utpote non minus pio tanti Genitoris filio, quam bono Patriæ Patre, juſſus eſt; offertur nobis libellus præſens, quo non tota quidem vita Herois illius incluti enarratur, una tamen illius actio, quæ inter cæteras quam maxime eminet, & ampliſſimam ſcribendi materiam Duumviris ſupra laudatis ſuppeditabit, tanto accuratius memoriæ ſeræ poſteritatis commendatur. Eſt ea benigniſſima receptio Gallorum, qui patriam & bona religioni reformatæ poſthabuerunt, fugaque elapſi novam patriam in Electoratu Brandeburgico repererunt, cum, ut eſt in veteri proverbio, *patria ſit, ubicunque bene eſt.* Felicia iſta fata ac halcyonia exulum quondam miſerorum *Car. Ancillonius*, qui utramque fortunam cum civibus illis ſuis communem habuit, communi quaſi nomine in hoc quadripartito panegyrico meritiſſimis laudibus efferre ſategit. Diſtincte igitur memorat, quanta beneficia optimus Princeps contulerit partim in literatos omne genus, partim in militarem vitam amplexos, partim in mercatores, artificesque, aut ruſticos, partim deniq; in omnes, quotquot nec profeſſione aliqua ſingulari ab aliis diſtingui queunt, nec aliquid bonorum ſecum e Galliis adſportarunt, adeoque, quicquid poſſident, ſoli liberalitati Electoris debent. Longum foret, ire per ſingulos. Sufficiet lectorem harum rerum cupidum de editione libelli monuiſſe, in quo munificentiæ vere regiæ plura, quam putabit, exempla admirabundus reperiet. Nos, miſſis his ob ingentem copiam, memorabilia alia enotabimus, quæ nondum *Novellis publicis* celebrata meminimus. Inter colonias Gallico-Brandeburgenſes, una quoque Regiomontum in Pruſſia deducta eſt, ubi complures Galli, ſed *Romano-Catholici*, jampridem jus civitatis obtinuerant. Decem fere annis, antequam in Reformatos Gallicanos

perſe-

perſecutio decerneretur, eccleſia reformata Gallica Berolini, ſub duorum Miniſtrorum verbi moderamine, coaluerat, *diſciplina ceremoniisque* uſa *iisdem*, quibus illic loci utuntur *Germani*. Anno autem 1685, cum ſeptem alii Concionatores exules eccleſiæ Gallicæ Berolinenſi adderentur, priores non minus quam hi haud alios ritus, indultu Electoris obſervare cœperunt, quam quales in Galliis obſervaverant. Inter ſummos Sereniſſimi Electoris Miniſtros, quibus Gallicarum coloniarum ſalus ac commoda curæ ſunt, *Danckelmanni* quoque celebrantur, de quorum nobiliſſima gente notat Ancillonius, admiratione dignius eſſe, quod ſeptem ex ea uno patre nati, uni Principi omnes aut in aula propria, aut in exterorum aulis, ubi legationibus funguntur, ſerviant, quam quod fratres quinque ex illuſtri *Angennenſi* familia orti, ſuperioribus temporibus primarii Regis Galliarum miniſtri ac ad univerſos pene Europæ Principes legati fuerint. Singulis Jovis diebus Eruditi, quotquot voluerint, in ædibus illuſtriſſimi Viri, *Ezech. Spanhemii*, Berolini conveniunt, & de ſcriptis veterum æque ac modernorum ſermones inter ſe conferunt. Nos heic definimus, id ſolum addentes, noſtro judicio nihil poſſe reipublicæ literariæ gratius utiliusve accidere, quam ſi quis doctorum virorum, quibus tam beatis eſſe licet, ut colloquiis illis interſint, acta Societatis ſuæ evulgaret. Neque enim hujus *Directori* aliquid proletarium excidere poſſe videtur, nec credibile eſt, quemquam collegarum eo præſente aliquid proferre auſurum, quod non tanto judici omni ex parte ſeſe approbare poſſit.

p. 68.

p. 160.

KORT BONDIGE VERKLARING VAN de geſonde en ongeſonde Stand des Menſche, des ſelfs oorſaaken en Geneeſing.

id eſt:

Brevis Explanatio ſani & morbidi hominis ſtatus, utriusque cauſarum & hujus medelæ, Anatomiæ Corporis humani ac veræ Experientiæ ſuperſtructa: autore Gerardo Sermes, Med. D. Amſtel.

Amſtelodami, apud Wilhelmum de Jonge, 1690 in 8. Plag. 12.

Q Artem

ARtem Medicam, Hippocrati quondam longam ſalutatam, Autor hic breviſſime enucleaturus, tres ejusdem partes conſtituit: quarum duabus prioribus ſtatum hominis cum naturalem, tum præternaturalem ſive morboſum, & utriusque cauſſas, ultima vero medelam hujus ac remedia edocet. Statum naturalem ſive ſanum non ſolum quoad corpus ſive partes ſolidas a variis humoribus probe tenſas, qui ortum alimento in ventriculo primum diſſoluto debeant; ſed & quoad ipſam animam perpendit, hominem ſecundum utramque partem ſanum aſſerens, primo, ubi anima clariſſime & efficaciſſime corpus ſuum cognoſcat & regat; deinde, ubi vaſcula ſingula ſufficienter tenſa, bene locata & debite conformata exiſtant; ubi denique humores probe commixti ſint, ac convenienter per vaſcula ſibi proportionata moveantur. Quemadmodum vero homo generationis adminiculo propagatur, hinc in lucem editus a rebus non naturalibus vulgo dictis ſanus conſervatur: ita generationem a ſemine maſculino æque ac fœmineo ſive ovulo, ideam humanam jamjam continente, ſanitatis autem perpetuationem ab aere, cibo & potu, ſomno & vigiliis, motu & quiete, pathematis animi, veſtibus, medicamentis &c. tanquam cauſis dependere indigitat. Nec diſſimili ordine ſtatum morbidum & corporis & animæ, ejusque cauſas evolvit, ac quænam indicationes in medela tum corporis, tum animæ, tum cauſarum attendendæ veniant, una cum remediis reſolventibus, ſudorifera & diuretica comprehendentibus, emollientibus, ſomniferis, adſtringentibus, maturantibus, attrahentibus, veſicantibus, eſcharoticis, digeſtivis, ſarcoticis, abſtergentibus, epuloticis, ſternutatoriis, apophlegmatiſantibus, vomitoriis & purgantibus, ſuccincte ſuggerit.

HET MEDICINALE COLLEGIE OVER de Practyk der Medicinen &c.

hoc eſt:

Collegium Medicum Practicum, cauſas, ſigna & curationes præcipuorum internorum pariter atque nonnullorum externorum morborum comprehendens; una cum brevi deſcriptione Sceleti humani.

Autore L. S. M. D. & P.

Amſtelodami, apud Joh. ten Hoorn, 1690. in 8. Plag. 18.

Autor

Digitized by Google

Autor hic exactiorem Medicinæ theoriam ſupponens, magis de præſcribendis remediis, quam natura, cauſis & prognoſi morborum evolvendis deprehenditur ſolicitus, utpote de quibus integris LXXI capitibus non niſi parciſſime agit. Teſtimonium nobis præbeat Hæmoptyſis, Cap. 31. pertractata; hæc enim adeſſe innuitur, cum ſanguis e pulmonibus expuitur, ob glandulas exulceratas, quæ in pulmonum membranam ferantur, arteriarum oſcula quacunque de cauſa dilatata, vaſcula ſanguifera rupta, vel pravam quoque veſicularum pulmonalium conformationem &c. Eventum vero hujus morbi, ratione neceſſarii pulmonum uſus continui, dubium eſſe ac periculoſum, ac in peripneumoniam, empyema, hydropem pectoris, ſimilesque morbos omnino degenerare poſſe. Tandem curam abſolvi, ſi auxiliatrices ſymptomatis ferantur manus, & venæſectio ſemel iterumque, prout vires ægroti permittunt, adminiſtretur, ſimulque alimenta calida, omnia animi pathemata & Venus interdicantur. Et quamvis eadem medicamina, quæ in narium hæmorrhagia propoſita fuerunt, hic quoque proficua commendentur, plura tamen alia ſuperadduntur tum interna, potiones videlicet ſive mixturæ, pulvis, conditum & linctus, tum externa, aceti ſcilicet roſarum libra dimidia cum opii Thebaici ſcrupulo ſemis vel granis duodecim mixta, & ſcroto nec non pudendis linteorum ope admovenda. Cæterum Collegio huic Practico brevis oſſium humanorum dilucidatio, ſeptem capitibus comprehenſa; Examen Chirurgicum Practicum, contuſiones & fiſſuras capitis, item pectoris & abdominis vulnera concernens; medicamentorum internorum æque ac externorum Catalogus; termini denique artis uſitati Latino ac Belgico idiomate annectuntur.

A SCHOLASTICAL HISTORY OF THE Primitive and General Uſe of Liturgies in the Chriſtian Church, by Th. Comber D.D. Precentor of York. ſive:

Thomæ Comberi, Theol. D. ac Præcentoris Eboracenſis, Hiſtoria Scholaſtica de primitivo ac generali uſu Liturgiarum in Eccleſia Chriſtiana.

Londini, apud Rob. Clavell, 1690. in 8. Plag. 41.

QUum notum ſit, quantis per Angliam diſſidiorum turbis occaſionem dederit factio eorum, qui varios eccleſiarum hujus regni ritus, ac ſpeciatim formulas Liturgicas faſtidiendo, puriorem ac primitivæ Eccleſiæ magis conſonam cultus formam affectant: hinc non parum ad conciliandam inter conterraneos ſuos unionem conferre ſe poſſe credidit Autor, ſi præter generalem Proteſtantium Eccleſiarum hac in re conſenſum, oſtenderet, cunctas objectiones, circa hoc negotium ab adverſa parte motas, infirmas ac nullius momenti eſſe. Præſertim vero ac tantum non unice directus hic Liber eſt adverſus poſthumum *M. Davidis Clarckſoni Diſcurſum de Liturgiis* non ita pridem, Anglico pariter idiomate, publicatum, ac tanto applauſu a ſectæ iſtius aſſeclis exceptum, ut etiam irrefutabilem paſſim jactare non dubitarint. Scilicet compoſuerat Clarkſonus duplex ſcriptum, alterum nempe adverſus Regimen Epiſcopale, alterum contra Liturgiam Angliæ contendens: quod utrumque licet ipſe, dum in vivis fuerat, ſuppresſiſſet; mox tamen poſt ejus obitum, & parum quidem opportune pro præſentium temporum ſtatu, uti noſter judicat, in lucem emittere publicam, incertum cui editori placuerat. Et in poſteriori quidem tractatu (circa hunc enim tantum occupatus eſt noſter) Clarkſonus conatus fuerat, partim uſum precum extemporanearum commendare, & conceptis ac ſolennibus orationum formulis anteferre; partim vero oſtendere, Liturgias nunc vigentes non eſſe niſi recentem & corruptam cultus methodum; præſcriptaſque talismodi verborum conceptiones invaluiſſe durantibus ſeculis ignorantia & ſuperſtitione torpentibus; ac toleratas dein porro fuiſſe per ignaviam cleri ac decrementum veræ devotionis: cæterum ſtatas illas & conceptas formulas impedimento eſſe, quominus aut paſtores dona ſibi concredita debite exerceant, aut populus plenum fructum percipiat ex divinorum officiorum celebratione alioquin expectandum. Hæc omnia vero dum congeſtis magno numero Patrum ſcriptorumque eccleſiaſticorum teſtimoniis comprobare ſategerat, magnumque adeo ex eorum copia pondus cauſæ ſuæ addidiſſe plurimis fuerat viſus: Comberus antequam ad ipſius ſcripti refutationem ſemet accingat, præmonet generatim, non eſſe cur quis numeroſo iſto allegationum cumulo capiatur: cum citationes iſtæ partim præter rem locis diverſis repetitæ compareant in dicto Diſcurſu; partim id modo

Digitized by Google

modo probent, quod nemo inficietur, non autem illud, de quo quæſtio ſit; partim non ſatis fidæ ſint, ſed quandoque textum invertant ejusque ſenſum corrumpant; denique ob accumulationem promiſcuam & nulla cum temporum diſtinctione factam Lectori detinendo potius, quam inſtruendo inſerviant: quæ ſingula deinde in operis progreſſu pluribus deducit. In eo autem non modo confutare adverſarium ejusque hallucinationes oſtendere ſtatuit; ſed & ſimul, quo diſcurſum hunc ſuum magis fructuoſum redderet, quotquot licuit, teſtimonia de Liturgiis earumque antiquitate, origine & uſu colligere, ac ſingula exacto temporis ordine ſub diſtinctis Patrum nominibus diſponere; atque tum diſperſa fragmina, quæ iſte in contrarium allegarat, ad ſuum quodlibet locum reducere & ad ea reſpondere ſategit: unde confidit clariorem hanc & pleniorem Relationem fore de maturo ortu & uſu generali formularum Liturgicarum, quam quidem data hactenus fuerit ab ullo eorum, quotquot hac de materia ſcripſerint. Duabus vero partibus liber hic abſolvitur: quarum prior, quatuor prima Chriſtianiſmi ſecula percurrens alteri ab Autore præmiſſa ac ſeorſim fuerat edita: dum non ita expedite de reliquis ſeculis annotata in ordinem colligere potuerat, & tamen Vindicationis hujus publicationem maturandam duxerat, ob nimiam diſſentientium gloriationem, Clarkſoni argumentis invincibile robur paſſim tribuentium. Tametſi vero potiſſimus noſtri ſcopus ſit, antiquum Liturgiarum in Eccleſia Chriſtiana uſum deducere; utpote quod ad ſtabiliendam earum autoritatem jam ſufficiat: nihilominus, cum Clarkſonus non veritus fuiſſet ſcribere, formularum Liturgicarum patronos earum primordia nequaquam ad ſacram Scripturam referre audere, contentos ad praxin eccleſiaſticam hoc nomine provocaſſe: hinc Autor non abs re fore judicavit, ſi illarum veſtigia in operis ſui frontiſpicio ex ipſo etiam Sacro Codice allegaret. Tametſi vero a Fagio aliisque huc referatur textus *Gen. 4. v. 26.* ubi fertur, Enoſchi tempore cœptum eſſe invocari nomen Jehovæ, quod de ſolenni liturgia exponunt: tamen cum alii verba iſta ſecus intellecta velint, mavult Autor, probaturus populum Dei mox ab antiquiſſimis ſeculis generaliter in cultu ſacro formulas precum laudumque ſtatas adhibuiſſe, primum hujus rei exemplum in epinicio illo feſtivo Iſraelitarum *Exod. 15. v. 1. & 21.* deſcripto quærere; ubi nempe manife-

ſtum eſt, viros atque fœminas alternis ceciniſſe. Similiter allegat ſolennem formulam injunctam Sacerdotibus, cœtui benedictionem impertientibus, *Num. 6. v. 23;* Iſraelitis, primitias ſuas decimasque Domino offerentibus, *Deut. 26. v. 5. & 13;* pœnitentiam agentibus, *Hoſ. 14. v. 2. 3. 4.* Pſalmos præterea Davidis nil aliud fuiſſe arguit, quam verborum conceptiones ipſi a Spiritu Dei non in privatum modo, ſed & publicum Eccleſiæ uſum dictatas. Denique ab Hammondo, Lightfooto aliisque abunde demonſtratum ait, Judæos ad Salvatoris uſque tempora ſolennes publicarum precum formulas adhibuiſſe iis non multum abſimiles, quæ hodienum in Eccleſia Anglicana vigeant. Neque vero hoc ad veteris ſolum teſtamenti tempus reſtringi debere inde evincit, quia nulla ſufficiens dari ratio valeat, cur ſacra hæc officia nunc non ad eundum modum, ut olim peragi debeant, maxime cum Chriſtus & Apoſtoli in templo his ritibus ſemet conformaſſe legantur; neutiquam vero eos taxaſſe aut inter abuſus ejus ævi, alioqui ſatis libere reprehenſos, recenſuiſſe. Quin & Salvatorem a ſtatis precandi formulis non abhorruiſſe, ſed eas potius probaſſe, inde jubet colligere, quod ipſe diſcipulis rogantibus, ut eos orare doceret, præſcripſerit divinam illam Precationis Dominicæ formulam, quam aliis ſibi hactenus uſitatis adderent, in ſignum, quod ipſius eſſent diſcipuli; prout potiores iſtorum temporum Rabbini factitare fuerint ſoliti: præterea annotatum ab eruditis perhibet, ipſum ſingulas imperatæ hujus formulæ ſententias conſulto hauſiſſe ex Judæorum precationibus paſſim tunc uſu receptis. Porro huc refert canticum Chriſti poſt ultimam cœnam dictum, *Matth. 26. v. 30.* quod nempe extemporaneum non fuiſſe inde pateat, quia apoſtoli id una recitare potuerint; item Servatoris preces ad montem olivarum trina vice eodem licet tenore repetitas; nec non verba ex *Pſalm. 22.* in cruce prolata. Cæterum Apoſtolos quoque ſemet accommodaſſe formæ horisque precandi in Judaica Eccleſia receptis, & oratione Dominica uſos, Auguſtino teſte, etiam poſtquam Spiritu Sancto donati fuerint. Licet vero Clarkſonus multis Scriptorum eccleſiaſticorum teſtimoniis comprobare anniſus fuerat, intentionem hujus orationis, a Servatore ſuis dictatæ non fuiſſe, ut formula eſſet; ſed tantum ut norma foret ac directio, quænam ſcilicet res a Deo expeti deberent: attamen nil aliud eum demonſtraſſe noſter largitur, quam quod non modo illi, ſed

Digitized by Google

ſed & huic fini inſervire juſſa fuerit; id quod vero nemo in dubium vocet: imprimis cum ex inſpectione cunctarum Liturgiarum evidens ſit, eas ad exemplar excellentiſſimæ hujus orationis compoſitas eſſe: dum nimirum Collectæ pro impetranda Dei gratia, prioribus tribus petitionibus; preces pro terrenis benedictionibus, quartæ; confeſſiones & Litaniæ peccatorum remiſſionem malorumque depulſionem efflagitantes, tribus poſterioribus; denique grates, hymni atque laudes Doxologiæ tanquam fundamento innitantur. Cum autem Clarkſonus multoties in ſuo Diſcurſu donum illud precandi in Eccleſia Apoſtolica olim vigens urgere & inculcare contendiſſet, paucis noſter quid de eo ſentiendum ſit, exponit. Nimirum innuit, nuſpiam ejus mentionem in Scripturis expreſſe factam reperiri: & quamvis hoc nomine allegentur textus *Matth. 10. v. 19. Rom. 8. v. 26. Eph. 6. v. 18*: nullum tamen ex his donum ejuſmodi preces extemporaneas fundendi diſerte indigitare oſtendit: cum *primus* tantum loquatur de verbis ad perſecutores faciendis pro ſui defenſione; unde ad colloquium cum Deo habendum inferri nihil valeat, utpote coram quo proferri nihil debeat, niſi quod probe prius conſideratum fuerit: *ſecundum* quod attinet, e contextu ſatis evidens eſſe arguit, eum ſolum tractare de infirmitate impatientiæ ſub præſentibus afflictionibus gementis & immediatam liberationem jam tunc efflagitantis, ubi nondum aut Deo viſum ſit, aut nobis proficuum: hac ergo in infirmitate nos a Spiritu ſublevari, docente quidem, quomodo nos Dei arbitrio ſubmittere oporteat & orare, ut ejus voluntas fiat; attamen interim intercedente apud Deum pro noſtri liberatione, & quidem ſuſpiriis inenarrabilibus: *tertium* denique textum de dono linguarum agere, non vero de iſto extemporaneo impetu donoque precandi. Hujus ipſius vero nec apud ullum e Patribus mentionem injectam haberi, putat Comberus, ante Chryſoſtomum: qui & ipſe tamen id neutiquam omnibus fidelibus commune, ſed ſolis Eccleſiæ paſtoribus peculiare fuiſſe innuat, idque non minus miraculoſum fuiſſe, ac linguarum illud, dudumque ante ſuum ævum ceſſaſſe agnoſcat: ſimul tamen inſinuans, formulas tum temporis in ſacris ſolennes originem ſuam fere ducere ex precibus per Viros ſanctos ſic inſpiratos olim fuſis, quorum nempe verba ſcriptis excepta & aſſervata, atque tunc in uſum adhibita fuerint, poſtquam miraculoſum iſthoc donum ceſſaſſet: teſtantibus

Digitized by Google

ſtantibus id Liturgiarum antiquarum formulis, utpote quæ non modo methodo, ſed ſubinde verbis etiam & phraſibus inter ſe mutuo conſonæ deprehendantur: ut adeo donum hoc precandi ſuffragetur potius Liturgiis modernis, earum inſpecta origine, quam uſum earum tollat. His ita prælibatis Autor ordine progreditur, & ſingula ſecula ſingulis capitibus pertractat: in quolibet ſigillatim exhibens, quicquid apud Patres ſcriptoresque eccleſiaſticos ſententiæ ſuæ ſuffragans reperire potuit; ac viciſſim diluens ea, quæ ex iisdem contra Liturgiarum uſum Clarkſonus corraſerat: autorum locis ubique in margine citatis: quo evolvere eos cuique liceret, Anglica translatione non contento, qua ſcilicet eorum fere verba modo exprimere placuit. Quamvis vero Seculi primi, quo nempe Paſtores & Epiſcopi toti in convertendis gentilibus occupati non ita multa literis mandarunt, pauciores extiterint ſcriptores, ac de eorum operibus vix quidquam ad nos pervenerit, unde & Clarkſonus illud plane ſilentio præterierat: non tamen omiſit noſter ex hujus etiam Seculi autoribus nonnulla conquirere, Liturgicarum formularum autoritati antiquitatique faventia. Sic in uſum ſuum vertit, quod Philo & Joſephus de Eſſenis traditum reliquere: nempe inter ritus in divino cultu ab ipſis obſervatos haud poſtremum fuiſſe, quod ante Solis ortum ſurgentes Deum invocarint certis precibus, quas a majoribus accepiſſent, hymnisque alternatim decantatis: jam olim enim ab Euſebio & recentius ab eruditis quibusdam annotatum ait, Eſſenos illos aut reapſe Chriſtianos fuiſſe, aut ſaltem plures ſacrorum ritus cum iis communes habuiſſe. Pariter ex famoſa illa Plinii ad Trajanum epiſtola de Chriſtianis, hæc verba in rem ſuam citat, quod inter alia ſoliti fuerint *carmen Chriſto quaſi Deo dicere invicem:* ubi ſupponit Plinium, ethnicum ſcilicet & phraſi popularibus ſuis conſueta uſum, deſignare voluiſſe preces in ſtata verborum forma factas: ex Livio enim, Briſſonio aliisque ſatis liquere autumat, Romanos id omne *Carmen* vocare ſolitos fuiſſe, quod concepta & ſolenni verborum formula conſtaret: ut adeo non præciſe de hymnis tantum decantatis, ſed & de precibus fuſis commode capere id liceat, maxime cum *dicendi* modo, non *canendi* vocabulo Plinius hic utatur. Denique & ex Clemente Romano, nec non Ignatio unum alterumque locum pro Liturgiis facientem producit: prætereaque ex Socrate de ultimo refert,

Digitized by Google

refert, Ignatium hunc introduxiſſe primum in Eccleſia Antiochena ritum per modum Antiphonæ canendi. Quod porro ad Seculum II & III attinet, monet Autor, tametſi jam plures ea nobis largiantur ſcriptores Eccleſiaſticos, pauca nihilominus in iis veſtigia extare de ſacris ritibus tunc uſitatis; partim quod iſtis perſecutionum temporibus cultus fere intra privatos parietes cohiberetur, curarentque Chriſtiani, ne ejus ceremonias propalando ethnicis irridendi blaſphemandique materiam præberent: partim quod ipſos quoque catechumenos, antequam baptiſmo donati eſſent, myſteria potioresque adeo ſacrorum officiorum formulas celare ſatagerent. His tamen non obſtantibus, varios ex utriuſque ſeculi Patribus textus affert, haud obſcure comprobantes, viguiſſe iſtis temporibus jamjam uſum formularum precandi in publico fidelium cœtu. Quartum porro ſeculum copioſiora jam Noſtro ſuppeditavit teſtimonia pro theſi ſua ſtabilienda: quæ ſola jam ſufficere potuiſſe ad refutandam Clarkſoni aſſertionem judicat; (aſſerentis nempe, Liturgiarum ſtatarumque precandi formularum uſum non niſi ſub finem quinti & initium ſexti ſeculi cœpiſſe:) præſertim cum quartum hocce ſeculum primum ſit, quo Eccleſia ſub Chriſtianis magiſtratibus eſſe, & dona miraculoſa ceſſare cœperint, adeoque ſtatus cum moderna publicorum Sacrorum facie congruere. Inter alia quamplurima hujus ſeculi monumenta, quæ quidem hic enumerare non vacat, allegatur etiam famoſus ille Hymnus, cujus initium *Te Deum laudamus* habet; quem ſcilicet Ambroſio deberi, Noſter contra Clarkſonum ſtrenue contendit: licet non diffiteatur, manuſcripta nonnulla eum tribuere Abundio Epiſcopo Comenſi, qui A. C. 450 vixerit, & in alio quodam exemplari eum audire Hymnum Nicetii, qui Trevirenſium Epiſcopus fuerit circa A. C. 530. Atque hæc de parte priori hujus operis dicta ſufficiant.

In parte poſteriori Comberus telam ſuam pertexere pergit, per ſeculum quintum, ſextum & ſequentia. Licet enim ſatis fuiſſe putaret, antiquitatem Liturgiarum per quatuor priora ſecula deduxiſſe: attamen quia ex ſequioribus etiam argumenta quædam Clarkſonus traxerat, Noſter ea intacta relinquere noluit: maxime cum ille, uti dictum, uno alteroque ſeculo recentiorem Liturgiarum originem facere conatus fuiſſet, imo oſtendere, earum uſum liberum & arbitrarium manſiſſe uſque ad ſeculum nonum. Autor itaque demonſtrare ad-

Digitized by Google

ductis ſcriptorum teſtimoniis allaborat, temporibus ſeculum quartum inſecutis formulas precum liturgicas non modo ulterius injunctas & uſurpatas fuiſſe, ſed & generali conſenſu creditas deſcendere ex traditione Epiſcoporum celeberrimorum ævoque Apoſtolico coætaneorum. Et licet non inficias eat, id quod a Clarkſono objectum fuerat, ſeculis hiſce jam multum corruptionis in Eccleſia invaluiſſe, adeoque unum alterumque in formulas horum temporum irrepſiſſe, quod probari non mereatur: non ideo tamen mox ipſam methodum per certas formulas precandi ait poſſe culpari, ut quæ in ſe innoxia ab additionibus ejusmodi perverſis facile liberari queat, prout etiam poſt Eccleſiæ Anglicæ reformationem factum fuerit. Appendicis loco, poſtquam hæc omnia prolixe executus eſt Autor, duo ſuperaddidit capita: altero in unum breviter collegit argumenta Clarkſoni hinc inde per ejus Diſcurſum diſperſa, nec ad certum aliquod tempus reduci commode valentia, iisque ſuas aptavit reſponſiones: altero, quo nempe ulterius convinceret Clarkſoni partibus ſaventes, & magis completam hanc hiſtoriam redderet, congeſſit teſtimonia famoſiorum recentioris ævi Theologorum Reformatorum, tam utilitatem & antiquitatem Liturgiarum in genere, quam ſpeciatim præſtantiam formularum precandi in Anglicana Eccleſia receptarum reſpicientia. Librum denique claudit indiculus, uno obtutu & ordine exhibens ſeriem temporum, quibus Scriptores per totum hocce ſcriptum citati vixerint: cujus certe univerſa compages de Autoris eruditione multaque lectione abunde teſtatur.

LA VIE DE CHARLES V. DUC DE LORraine & de Bar.

id eſt:

Vita Caroli V. Ducis Lotharingiæ & Barri, exercituum Imperialium Generalisſimi.

Amſtelodami, apud Joh. Garrellum, 1691. in 12. plag. 19.

Hiſtoriam *CAROLI Quarti* Lotharingiæ Ducis, a Marchione *Bellovallenſi* (de *Beauvau*) in literas relatam, fuiſſe, ut par erat, recenſuimus in *Actis Eruditorum* Anno 1687. p. 670-677, & 1688. p. 89-98. Non potuit non crebra illic mentio fieri *CAROLI Quinti*, Lotharingiæ Ducis, *Caroli* illius

illius *Quarti* ex fratre *Franciſco* nepotis & legitimi hæredis. Sed hujus vitam nuper ex profeſſo, ac juſto quidem volumine enarravit anonymus Auctor, quem laboris inſumti, noſtro quidem judicio, nec pudere, nec pœnitere oportet. At quominus æque ampla excerpta ex eo conficiamus, in cauſſa eſt, tum quod ea, quæ *Carolum* nondum viginti annos natum exercuerunt, infortunia maximam partem e *Bellovallio* deſumpta videantur, adeoque in compendio ſatis prolixo legi poſſint locis Actorum noſtrorum ſupra citatis, reliqua autem optimi Principis geſta ex *Novellis* publicis partim, partim ex Actis pacisNeomagenſis aliisq; libellis nota ſint, recentique omnium memoriæ inhæreant, adeoque vereamur, ne ſtrictius paulo pro more noſtro enarrata nauſeam cieant, quæ in ipſius libelli contextu, circumſtantiis ſuis accurate & copioſe digeſtis, non poſſunt non perplacere lectoribus curioſis. Cæterum natus erat *Carolus* 3. Apr. 1643; mortuus catharro ſuffocativo 18. Apr. 1690, poſtquam tot a Gallis æque ac Turcis victorias retuliſſet, ut extra dubium ſit, inter maximos ſeculi noſtri heroas eum nullo non ævo computatum iri. Utut vero in artibus cumprimis militaribus laudem nunquam intermorituram meruerit, eæ tamen haudquaquam, ut alias non raro uſu venit, effecerunt, ut a pietate, hiſtoriarum, politices, linguarumque Latinæ, Germanicæ, Gallicæ, Italicæque peritia, itemque modeſtia atque affabilitate alienus eſſet; quin dum has omnes illis feliciſſimo connubio junxit, utroque nomine dignus eſt æterna ſeræ poſteritatis memoria. Fortuna uſus eſt adverſa modo, modo propitia. Sed quicquid divinæ providentiæ in eum decernere placuit, æquo pertulit animo, ſemper ſibi conſtans. Merito ſibi gratulabatur de affinitate Auguſtiſſimi Imperatoris, utpote qui & fidem ſibi præſtitam viventi infinitis infucati amoris ſignis rependit, & quadruplicem defuncti ſobolem protectioni ſuæ quammaxime commendatam habet.

LETTRES DU CARDINAL MAZARIN.

id eſt;

Epiſtolæ Cardinalis Mazarini.

Amſtelodami apud Andream Pierrot, 1690. in 12. plag. 13½

LOnge meliori fide uſum confidimus editorem anonymum epiſtolarum *Julii Mazarini*, ac qualem in Anecdotis Florentinis cæte-

riſque operibus ſuis adhibuit *Varillaſius*, qui non una principibus illuſtribusque viris monumenta ex proprio cerebro ſuppoſuiſſe, magno eruditorum conſenſu creditur. Epiſtolarum harum aliquæ datæ ſunt ad *Ludovicum XIV*, Galliæ Regem, aliæ ad Regis *Matrem*, cæteræ ad miniſtros regios, *Lionneum* & *Tellerium*. *Prima* exarata eſt 10. Julii 1659; ultima eaque (ſi numerum requiras) *trigeſima ſexta* 4. Sept. ejusdem anni. Hiſtoriam illæ pacis Pyrenææ majorem in modum illuſtrant, nec pauca callidi Cardinalis cogitata & acta, quæ vulgati hiſtorici aut reticuerunt aut ignorarunt, detegunt ac produnt. Tria vero cumprimis notatu videntur digniora. Horum unum eſt affectus, quo Rex amplectebatur *Mariam Mancinam*, Mazarini e ſorore neptem, ac poſtmodum *Laurentii Columnæ*, Principis Palliani, Comeſtabilis Neapolitani conjugem. Id rei tolerare non poterat Cardinalis, cum inter pacis conditiones, quas cum *Ludovico de Haro* paciſci debebat, præcipua fere eſſet Infantis Hiſpanicæ cum Galliarum Monarcha conjugium. Acriter ergo (præſertim epiſtola XXIII.) ab illegitimis amoribus dehortatur Regem, & inter cætera argumenta, quibus illos ei dedecori fore operoſe probat, animum neptis ſuæ levem adeo ac a modeſtia & prudentia alienum repræſentat, ut non ſine ſtupore literæ illæ prolixiſſimæ, ſed magno cum verborum delectu conſcriptæ, perlegi queant.

Alterum, quod notatu dignum putabamus, ſtudium eſt indefeſſum, quo Mazarinus impedivit, quominus Condeo Principi, qui belli Hiſpano-Gallici tempore ab Hiſpanorum partibus ſteterat, αὐτοτελὲς ἂν imperium alicubi terrarum obtingeret, aut Carolo IV. Lotharingo ablata reſtituerentur.

Tertium eſt ars affectus ſuos diſſimulandi, qua Mazarinus terrorem Hiſpanis incuſſit, eosque adegit, ut in pacem conſentirent, etſi non obtinuiſſent, quod in gratiam Condei tantopere ac enixe adeo petierant.

L' HISTOIRE DE DON IEAN D' AUTRIche, fils de l' Empereur Charlequint.

id eſt,

Hiſtoria Joannis Auſtriaci, Caroli V. Imp. filii.

Amſtelod. apud Petrum le Brun, 1690, in 8. plag. 18.

Joannes

Digitized by Google

JOANNES AUSTRIACUS, Caroli V. Imperatoris filius naturalis, natus e matre incomperti nominis 25. Febr. 1546, victoria contra claſſem Turcorum ad Naupactum 7. Oct. 1572 obtenta æternam famam meritus, Belgii dein Gubernator factus, Namurci extinctus eſt Kalendis Octobris 1578. Hujus hiſtoriam condere aggreſſus eſt Auctor anonymus, Pontificiæ religioni tanto fervore addictus, ut legem hiſtoricis fixam, ne ſtudiis partium fidem ſuam ſuſpectam reddant, ſibi quoque latam non putaſſe videatur. In *Carolum* certe, Philippi II. Regis Hiſpani gnatum, Reformatis paulo æquiorem, quam Romano-Catholici volebant, vehementer adeo invehitur, ut, quod p. 30. lin. 12. ei exprobraverat, mox p. 32. lin 17. repetat, nimirum quod, dum puer adhuc eſſet, magnam voluptatem ceperit ex leporum jugulatorum ac inter moriendum palpitantium ſpectaculo. *Famianum Stradam* Jeſuitam ducem ſequitur Noſter utplurimum, utpote quem *tantopere felicem eſſe* prædicat, (in diſcurſu operi præfixo, quem præfationem dixiſſemus, niſi id nominis Auctor ipſe, ſingulari novitatis elegantioris affectatione, deprecatus fuiſſet,) *ut approbationem adeptus ſit omnium nationum, & in his illius quoque, quæ univerſas contemnere, nec niſi ſe ſolam admirari* eidem fertur.

Cæterum ne quis Auctorem *Stradæ* univerſa libelli contenta debere opinetur, in *limine* ſtatim grata mente profitetur, hauſiſſe ſe ſua e ſex hiſtoricis clariſſimi nominis, quorum ætatem & elogia ſuccincte ediſſerit, Guidone nempe *Bentivoglio*, Jacobo Auguſto *Thuano*, Hugone *Grotio*, Famiano *Strada*, Ponto *Heutero*, Ludovico *Guicciardino*. Penultimi obitum refert in 6. Aug. 1611, cum alii & nuperrime *Henningus a Witten* in diario biographico A. jam 1602. d. 6. Aug. illum deceſſiſſe, auctores ſint. Viciſſim vel ex hoc Anonymo ſupplere licebit *diarium* iſtud *biographicum*, ubi nulla facta mentio Guidonis *Bentivoglii* Ferrarienſis. Natus is eſt anno 1579; Cardinalis creatus 28. Jan. 1621; metu Papalis dignitatis, quam poſt exceſſum *Urbani VIII.* in ſe collatum iri timebat, undecim noctibus nihil ſomni capere potuit, eaque de cauſſa febri correptus, ſpiritum reddidit 7. Sept. 1644. Eadem fini in ipſo operis exordio promittit Noſter, *innumera* ſe memoraturum, quorum Strada aut nullo modo, aut vix verbulo meminerit, expeditiones nempe Joannis Auſtriaci, Melitenſem, Tunetanam, Biſertenſem, Granatenſem, prælium ad Naupactum, iter Lauretanum, receptio-

Digitized by Google

nem reginæ Margaritæ Valeſiæ, pacificationem Gandavenſem, rationes adventus Matthiæ Archiducis in Belgium, exilium Soti ſecretarii, Eſcovedi a ſicariis interempti obitum, fontes ſuſpicionum Philippi II. erga fratrem conſanguineum, Mariæ Stuartæ Scotiæ reginæ ac Caroli Infantis Hiſpaniæ fata, & centum curioſa inaudita, *cent curioſitez inouies*. Imo nec ſoli illi hiſtorici ſex Auctori noſtro fuerunt uſui, dum hiſtoriam hanc ſuam conſcriberet. Plures enim ſubinde citat, ac ſigillatim *Memorias Reginæ Margarethæ*, ipſius nomine, opera & ſtudio non *Caroli Vivoni*, Baronis de Chataigneraye, (ceu illarum *editor* autumavit) ſed (ut *Paulus Colomeſius* docuit,) *Petri de Bourdeille*, domini de Brantome, compoſitas. *Antonium* quoque *Varillaſium* allegat Noſter p. 282, queriturque eum, reclamante conſcientia, *T. V. de Revolutionibus* tradidiſſe, a *Joanne* noſtro Caroli conſilia patri hujus Philippo II. prodita eſſe, quod ille per regii hæredis interitum viam ad thronum affectaret. Non autem Auctori probabile videtur, ejusmodi regnandi libidinem Joannis, meri adhuc adoleſcentis, animum inceſſiſſe; quin nec ſuſpicionem id genus cadere poſſe cenſet in eum, qui cum coronæ Tunetanæ, quam judice Papa Romano meruerat, ſpe ex-cidiſſet, id haud invitus pertulit.

FASCICULUS RERUM EXPETENDArum & fugiendarum, prout ab Orthuino Gratio Presbytero Daventrienſi editus eſt Coloniæ A. 1535: una cum appendice ſive Tomo II. ſcriptorum veterum, quorum pars magna nunc primum e MSS. Codicibus in lucem prodit, opera & ſtudio Edvvardi Brovvn, Parochi Sundrigiæ in agro Cantiano.

Londini impenſis Richardi Chiſvvell, 1690. in fol.
Alphab. 16.

CIrca prima, ut videtur, reformatæ religionis initia, incertum quo anno, quo loco, & cujus auſpiciis, opuſcula nonnulla uno volumine comprehenſa in lucem prodierunt, nempe *Æneæ Sylvii* de geſtis Baſileenſis Concilii commentarii; vita Hildebrandi; vita Henrici IV; profeſſio fidei *Waldenſium*; articuli *Johannis Wiclefi*, cum impugnatione *Wodfordi*; aliæ *Wiclefi* propoſitiones ex illius libris excerptæ, damnatæque

tæque tam Londini & Oxoniæ, quam in Concilio Conſtantienſi; fragmentum Æneæ Sylvii; *Aretinus* contra hypocritas; de vocatione *Bohemorum* ad Concilium Baſileenſe, eorumque petitiones; examen *Johannis de Weſalia*, item condemnatio Wiclefi, Huſſi & Hieronymi Pragenſis. Hanc farraginem *Orthuinus Gratius*, reſectis notis marginalibus, quæ hæreſin ſapere ipſi videbantur, multisque aliis tractatibus additis, Coloniæ A. 1535 eum maxime in finem denuo typis imprimi curavit, ut qui generali Concilio, quod a multis deſiderabatur, interfuturi eſſent, ad reformandam eccleſiam ea uti poſſent. Hoc ab Orthuino Gratio collectum Syntagma, quod *faſciculum rerum expetendarum & fugiendarum* inſcripſit, præter tractatus ſupra memoratos complectitur *Juliani* Cardinalis epiſtolas duas ad Eugenium Pontificem Romanum, de diſſolutione Concilii Baſileenſis cogitantem; *Academiæ Pariſienſis* appellationem contra Leonem X ad futurum concilium, in qua plurimi eccleſiæ abuſus perſtringuntur; *auream bullam* Caroli IV; *Conſtantini M. donationem* ex editione *Bartholomæi Picerni*, cum *Laurentii Vallæ* in donationem illam declamatione, & *Ulrici Hutteni* ad Vallæ declamationem præfatione, & aliorum de eadem donatione judiciis; *Poggii Florentini* relationem de obitu & ſupplicio Hieronymi Pragenſis; *Friderici Imperatoris* epiſtolam, in qua Carolum Franciæ Regem Moguntiam ad capienda de rebus quibusdam dubiis conſilia invitat; decretum *Synodi Saligunſtadienſis*, ab Aribone Moguntino Archiepiſcopo coactæ; *Gravamina Germanicæ nationis*, cum remediis & aviſamentis ad Cæſaream Majeſtatem in duos libellos diviſa; *Nicolai de Clamengiis* diſputationem ſuper materia Concilii generalis cum Parienſienſi quodam ſcholaſtico habitam; libellum de emendatione eccleſiæ a *Petro Alliaco* Conſtantienſi Concilio oblatum; *Johannis Franciſci Pici Mirandulani* orationem de reformandis moribus ad Leonem X & Concilium Lateranenſe; conſtitutionem ad removendos abuſus, a *Laurentio Cardinali* Ratisbonæ editam; *Antonii Cornelii Lynnichani* orationem in Colonienſi Synodo habitam; *Eraſmi Roterodami* libellum de ſarcienda Eccleſiæ concordia; *Johannis Fabri* orationem de origine, potentia & tyrannide Turcarum: ut cætera, quæ hoc faſciculo continentur, epiſtolarum aliorumque tractatuum monumenta taceamus. Quamvis autem Gratius ſedulo caverit, ne crabrones irritaret, eumque in finem annatarum taxas centum gravaminibus

minibus Germanicæ nationis ſubjectas omiſerit, quod ſe in honorem ſedis Romanæ, quam Apoſtolicam & ſacroſanctam appellat, feciſſe non diſſimulat: effugere tamen non potuit, quin Romani inquiſitores hunc faſciculum inter libros prohibitos referrent. Et forte non defuerunt, qui ſupprimendis omnibus exemplaribus ſedulam operam navarent. Certe in bibliothecis rariſſime comparent. Quod cum animadvertiſſet *Eduardus Brovvn*, operæ ſe pretium facturum arbitratus eſt, ſi faſciculum hunc iterum in lucem protraheret; quod ita præſtitit, ut non ſolum opuſcula Gratii faſciculo comprehenſa a plurimis mendis repurgarit, & ſcholiis quibusdam marginalibus illuſtriora reddiderit, ſed etiam novam ſimilium tractatuum, in quibus Pontificum Romanorum tyrannis, & varii eccleſiæ Romanæ abuſus accenſantur, appendicem addiderit, quæ duplo ferme major eſt, quam Gratii faſciculus; unde hoc opus jam *faſcis* potius quam *faſciculi* nomine dignum editori Brovvnio videtur.

Inter tractatus in Appendice exhibitos primum locum obtinent *Hildeberti* Cenomanenſis & poſtea Turonenſis Epiſcopi epiſtolæ nonnullæ, ſermo ſynodicus, curiæ Romanæ deſcriptio, quæ in nonnullis MSCis non Hildeberto, ſed Sidonio Apollinari tribuitur, & epitaphium in Berengarium. Hæc Hildeberti Cenomanenſis opuſcula proxime excipit *Antilogia Papæ*, quam *Matthias Flacius*, & *Wolfgangus Wiſſenburgius* junctis operis Baſileæ A. 1555. excudendam curarunt. Continet autem iſta Antilogia Papæ ſcripta quædam veterum de corrupto Eccleſiæ ſtatu, & Cleri Romani perverſitate: nempe ſcriptum Scholæ Pariſienſis de periculis Eccleſiæ anno 1389 compoſitum, cum præfatione *Matthiæ Pariſienſis*; articulos ſcholaſticorum Pariſienſium, & Johannis XXII. contra monachos; duos ſermones *Wilhelmi de S. Amore*; *Marſilii de Padua* tractatum de translatione Imperii; *aureum ſpeculum Papæ* ab Anglo quodam ſcriptum; *Jacobi de Paradiſo* tractatum de ſeptem ſtatibus Eccleſiæ in Apocalypſi myſtice deſcriptis; *Gregorii Heymburgenſis* appellationem primam & ſecundam, & confutationem primatus Papæ, una cum Pii II epiſtola, qua Gregorius Heymburgenſis excommunicatus denuntiatur; Hermanni *Ryd de Reen* tractatum de vita & honeſtate Clericorum; *Volcuini Abbatis*, qui inter alia miracula ranis, quæ fratres æſtivo tempore nimis inquietare ſolebant, perpetuum ſilentium indixiſſe dicitur, homiliam in parabolam de zizaniis,

& *Hul-*

& *Hulderici* Epiſcopi Auguſtani epiſtolam contra Cleri cœlibatum. Hanc Antilogiam papalem ſequitur *Anonymi* cujusdam *Rotomagenſis* tractatus brevis contra Cleri cœlibatum, quem ex bibliotheca Collegii Corporis Chriſti in Academia Cantabrigienſi olim excerpſit, & libro ſuo de Cleri conjugati honore inſeruit *Joſephus Hallus.* Huic ſubjicitur *Gulielmi Grasbavii* epiſtola expoſtulatoria ad *Severinum Binium* Pariſiis A. 1624 edita, in qua Binio exprobrat, quod delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum conſilium de emendanda Eccleſia juſſu Pauli III. conſcriptum, item opuſculum tripartitum ante 400 annos conſcriptum, & epiſtolam Leodienſium ad Paſchalem Papam a *Sigeberto Gemblacenſi* conſcriptam in ſua Conciliorum editione contra conſcientiam omiſerit, quæ *Petrus Grabbius* ſuæ Conciliorum editioni inſeruerat. Hanc epiſtolam comitantur illa ipſa ſcripta, de quorum omiſſione Grashavius cum Binio expoſtulavit, & conſilium quidem delectorum Cardinalium ex editione *Hermanni Conringii* exhibetur, ad cujus calcem Brovvnius lectorem monet, extare *Johannis Sturmii* epiſtolam Cardinalibus illis cæterisque Prælatis miſſam, & editam in libro quodam, qui Francofurti A. 1610 prodiit hoc titulo: *Diſcurſus epiſtolares politico-theologici de ſtatu reipublicæ Chriſtianæ degenerantis, tum de reformandis moribus & abuſibus eccleſiæ &c.* Ad alia monumenta, quæ in hac faſciculi appendice leguntur, pergentibus occurrit *Adriani IV* Pontificis Romani epiſtola ad Fridericum Barbaroſſam, & Imperatoris *Friderici* ad Pontificem reſponſio. Quæ autem has epiſtolas ſequuntur, eccleſiæ Gallicanæ Gravamina accepit Brovvnius a *Thoma Gale*, cui non minus ac Brovvnio ignotum fuit, an hæc Gravamina aliquando typis edita fuerint; interim ea ab utroque digna habita, quæ prælum iterum ſubirent, ſi forte jam olim edita fuerint. Non minoris æſtimandi ſunt ſermones quidam & tractatus *Roberti Groſſeteſt* ſeu *Capitonis*, Epiſcopi Lincolnienſis, quos nunc primum ex MSC. codicibus edidit clariſſimus Brovvnius. Primus ex his ſermonibus habitus eſt coram Papa & Cardinalibus in Conſilio quodam ſeu Conſiſtorio Lugdunenſi, etſi Robertus, dum ſermonem illum habuit, minime palluerit ut *Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram*, ſed magna cum libertate peroraverit. Et hunc ipſum quidem ſermonem jam pridem e tenebris extraxerat *Thomas Jameſius*, ſed neſcio quo fato, inſtar piſcis piſcatoris manibus elapſi, in profundum

Digitized by Google

rediit; unde ſibi Brovvnius gratulatur, quod Capitonem a Jameſio amiſſum iterum ceperit, non dubitans lectori ad palatum fore. Idem Brovvnius notat, ſe ex MSC. quodam codice, quo in edendis his ſermonibus uſus eſt, animadvertiſſe, quod Roberti Groſſeteſt tractatus de ceſſatione legalium, A. C. 1658. Londini a viro quodam docto editus, vix pro tertia parte integri tractatus haberi debeat. Quæ autem Lincolnienſis illius Epiſcopi opuſcula in hac faſciculi appendice leguntur, hæc ſunt: Sermo Lugduni habitus, de quo paulo ante diximus; ſermo de triplici Regis officio; ſermo ad verba Chriſti: *ego ſum paſtor bonus;* ſermo contra paſtores & prælatos malos; ſermo ad ſacerdotes de verbis Geneſ. I, 17. *poſuit ſtellas in firmamento cœli*; ſermo ad verba Lucæ XII, 13. *ſint lumbi veſtri præcincti;* dictum de bono judice, ad verba Pſ. LVIII. *recte judicate filii hominum;* dictum de Prophetis veris & falſis, de fide & ejus articulis, de gratia & juſtificatione hominis, de orando, de ſuperbia, de detractione & ejus malis; ſermones tres de humilitate; dictum de patientia, de miſericordia & juſtitia in omni Dei opere conjuncta; ſermo ad Clerum de verbis Apoſtoli I. Tim. IV, 12. *exemplum eſto fidelium in verbo* &c. & alius ad verba Pſ. CXXXII, 9. *ſacerdotes tui induantur juſtitia;* epiſtolæ variæ ex centum & viginti octo epiſtolarum, quas MSC. codices ſuppeditarunt, numero ſelectæ, quibus ſubjungitur *Innocentii IV.* epiſtola pro inveſtitura impuberis cujusdam adoleſcentis Itali in canonicatum eccleſiæ Lincolnienſis, una cum cordatiſſimo reſcripto Roberti hujus Lincolnienſis, in quo papale fulmen, retorto alio fulmine, brutum reddidit, & Pontifici Antichriſti notam inuſſit, quod reſcriptum etiam apud Matthæum Pariſienſem, & in Annalibus Burtonenſibus legitur. Adduntur denique Roberti hujus conſtitutiones ex Cottoniano codice deſcriptæ, & ad Sidneienſem codicem collatæ. Interſerit his Groſſeteſti opuſculis Cl. Editor diſſertatiunculas nonnullas de fide & doctrina Roberti Lincolnienſis, & *Matthæi Pariſienſis* narrationem de iis, quæ poſt Roberti reſcriptum paulo ante memoratum inter Innocentium IV. & Robertum acta ſunt. Refert etiam hæc, quæ nunc edidit, Groſſeteſti opuſcula vix quinquageſimam Operum illius partem conſtituere, quæ tribus magnæ molis voluminibus collecta *Johannes Williams* dudum in lucem emiſiſſet, niſi bella civilia hoc propoſitum interrupiſſent. Sed ad alia pergendum eſt, ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet ad antiqua regni & eccleſiæ Anglicanæ Gravamina, quæ ex *Matthæo Pariſienſi* recenſentur, variisque obſervationibus interpoſitis illuſtrantur, & Defenſorium *Gulielmi Occami* & fratrum ſuorum ordinis minorum, de paupertate Chriſti & fratrum minorum, ac ſtatu evangelico, contra varios errores Papæ Johannis XXII, per modum epiſtolæ ad univerſos Chriſti fideles conſcriptum, & hic ex Wilhelmi Crashavii apographo expreſſum, & forte etiam antehac typis impreſſum, etſi nihil certi ſe ea de re noviſſe, Brovvnius fateatur; qui inſuper obſervat, primam partem hujus Defenſorii eſſe breviarium quoddam ſeu compendium *operis nonaginta dierum* a Goldaſto aliisque editi, alteram autem partem nihil habere cum aliis illius Autoris operibus in iſtis editionibus commune. Huic Occami Defenſorio aliud jungitur, nempe Defenſorium Curatorum contra eos, qui ſe privilegiatos dicunt, propoſitum in conſiſtorio coram Papa & Prælatis a *Richardo Armachano* Hiberniæ Primate, & a Goldaſto in Monarchia, & aliquoties Pariſiis impreſſum. Hoc Defenſorium excipit *Nicolai Oreſmii* oratio coram Urbano V. & Cardinalibus habita, quam etiam Flacius catalogo teſtium veritatis inſeruit. Quæ ſequitur Prophetia *Johannis de Rupeſciſſa Ord. min. provinciæ Aquitaniæ, cuſtodis Ruthenenſis ac Cauſidici Aureliaci, in Romana curia Avenione capti in carcere Papæ Clementis VI, pontificatus ſui anno 8, qui carcer vocatur Carcer Soldan A. C. 1349*, & ejusdem Autoris liber inſcriptus: *vade mecum in tribulatione*, prodeunt ex faſciculo Crashavii varia ſcripta eccleſiæ Romanæ oppoſita continente, quem manuſcriptum poſſidet Gulielmus Asheton, a quo illum Brovvnius mutuo accepit. Succedunt opuſcula nonnulla *Petri de Alliaco*, nimirum recommendatio Sacræ Scripturæ, & principium in curſum bibliæ præſertim in Evangelium Marci, item quæſtio in veſperiis: utrum Petri eccleſia lege reguletur? & quæſtio de Reſumpta: utrum Petri Eccleſia fide confirmetur? e quibus Petri Alliaceni tractatibus duo poſteriores etiam in Vindiciis doctrinæ majorum ſcholæ Pariſienſis Edmundi Richerii leguntur, priores autem ex editione Pariſienſi A. 1500 exhibentur. His Pariſienſis illius Theologi ſcriptis additur *Determinatio Univerſitatis Pariſienſis* in cauſa diuturni ſchiſmatis ſcripta A. 1397, & ex ſchedis Crashavii depromta. Duæ quæ proximo loco comparent epiſtolæ, una *Alexandri III.* ad Theobaldum Archiepiſcopum Cantuarienſem, altera *Peregrini* Patri-

archæ Aquilejenſis, aliorumque Epiſcoporum de electione & conſecratione Octaviani ſeu Victoris, ex Cottoniano codice MSCo ſunt excerptæ. Utraque etiam apud Radevicum in geſtis Friderici I. extat, verum cum in prædicto Cottoniano codice epiſtolæ illæ multo aliter, quam apud *Radevicum* legantur, & imprimis in poſteriori epiſtola nonnulla Radevicus omiſerit, quæ MSC. codex ille habet, operam rei literariæ non inutilem navavit appendicis hujus editor, quod iſtas in lucem denuo produxit. Ulterius ſequuntur *Nicolai de Clamengiis* liber de corrupto Eccleſiæ ſtatu, a plurimis mendis, quibus *Lydii* editio ſcatet, repurgatus; *Poggii* dialogus contra hypocriſin, juxta editionem Lugdunenſibus typis, ut præ ſe fert, A. 1679. impreſſam; *Matthæi de Cracovia* tractatus de ſqualoribus Romanæ Curiæ, juxta editionem A. C. 1551. Baſileæ factam; epiſtola *quinquaginta quatuor nobilium Moraviæ*, quæ in caſtigationibus Lydii ad hiſtoriam conciliorum Prateoli, item in paralipomenis Abbati Urſpergenſi annexis etiam legitur; *Bullæ* quædam *papales* adverſus Bohemos emiſſæ, & methodus *Cruciatæ* in Anglia inſtitutæ, prout tempore Martini V. Papæ & Henrici Chichele Archiepiſcopi Cantuarienſis geſta eſt, una cum proceſſu contra Henricum Cardinalem, quæ monumenta exſcripta ſunt ex veteri regiſtro, quod eſt penes Reverendiſſimum Archiepiſcopum Cantuarienſem *Wilhelmum Sancroft*; epiſtola *Procopii Smahors*, & *Conradi Samsmolich* Capitaneorum Bohemiæ ad Reges & Principes miſſa, quam itidem ſuppeditavit codex MSC. Wilhelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis; epiſtola *Anonymi* cujusdam Cantuarienſis de miſero eccleſiæ ſtatu circa annum 1520 ſcripta, & in Wilhelmi Crashavii ſchedis reperta; conſilium *quorundam Epiſcoporum Bononiæ congregatorum* de ratione ſtabiliendæ Romanæ eccleſiæ Julio III. datum, quod nunc ex bibliotheca Wilhelmi Crashavii iterum editur; *Gentiani Herveti* oratio, qua ſextum canonem concilii Chalcedonenſis interpretatur, A. 1559 habita, & Pariſiis cum alias, tum A. 1671. impreſſa; *Gulielmi Damaſi Lindani* Ruremundenſis Epiſcopi epiſtola ſeu præfatio ad Principes & Prælatos Germaniæ, de perditiſſimis Cleri moribus & reformationis mediis, ex ſchedis Crashavii expreſſa; *Clementis VII.* ad Carolum V, & duæ *Caroli* V. epiſtolæ ex MSC. Crashavii; *Caroli* V. proteſtatio ad collegium Cardinalium de indictione concilii generalis facienda, & alia proteſtatio adverſus concilium Tridento Bononiam translatum, cum quibus-

quibusdam aliis hujusmodi ſcriptis, ex editione *Hermanni Conringii*; *Georgii Wicelii* via regia, ſeu compendium de ſemitis antiquis eccleſiæ reformandæ, aut potius reſtituendæ, cum appendice abuſuum; ejusdem methodus concordiæ eccleſiaſticæ, & adhortatiuncula ad vocandum concilium, juxta exemplar A. 1533 Lipſiæ excuſum, cum notis marginalibus *Thomæ Jameſii*; doctrina & vita Wicelii ex ejus ſcriptis collecta, cum enumeratione autorum, qui ſcripſerunt contra ſqualores & errores curiæ Romanæ, & elencho omnium operum Wicelii per *Thomam Jameſium*; *Stephani Gardineri* Epiſcopi Wintonienſis oratio de vera obedientia, juxta veterem editionem Londinenſem, cum præfatione *Edmundi Boneri* Archidiaconi Leiceſtrenſis, poſtea Epiſcopi Londinenſis, quæ in Londinenſi Gardineri editione deeſt, juxta editionem Hamburgenſem ex officina Franciſci Rhodi 1536; *Richardi Sampſonis* oratio, qua docet omnes potiſſimum Anglos, ut Regiæ dignitati obediant, nec Epiſcopo Romano audientes ſint, qui nullo jure divino quicquam poteſtatis in eos habeat, etſi poſtea hic Sampſon æque ac Bonerus & Gardinerus palinodiam cecinerint, quibus ad complendas inconſtantiæ quadrigas Brovvnius Æneam Sylvium ſeu Pium II. non incommode jungi poſſe putat, cum bulla retractationum & verbis Virgilii, ſed mutatis: *non ſum pius Æneas*; *Johannis Barneſii* Catholico-Romanus Pacificus ex fide trium exemplarium, quorum unum Gulielmus Archiepiſcopus Cantuarienſis ſubminiſtravit; *Franciſci Broccardi* conſilia Vaticana retecta, ſive de fœdere contra Proteſtantes Romæ inito ſub auſpiciis Clementis VIII, & de duabus congregationibus ad eundem finem ab eodem Pontifice inſtitutis, quarum prima congregatio ſacri fœderis, altera de propaganda fide dicitur, quod opuſculum Amſtelodami A.1679. in calce interpretationis numeri Apocalyptici DCLXVI excuſum, appendicis hujus Autor etiam manuſcriptum ex ſpoliis bibliothecæ cujusdam Anglicæ palam divenditæ nactus eſt; *modus ſolennis & authenticus ad inquirendum & convincendum Lutheranos*, valde neceſſarius ad ſalutem ſanctæ Apoſtolicæ ſedis, & omnium eccleſiaſticorum, A. 1519. compoſitus in Martini Lutheri perditionem & ejus ſequacium, per M. *Sylveſtrum Prieratem*, A. 1553. reviſus, & Romæ per Jordanum excuſus; excerpta ex Bernhardo, Gerſone & aliis, quæ ſunt pars *Specul papiſtici ab Ed. Bulckleio* fabrefacti, & Londini circa præſentis ſeculi initia editi; & denique

Officium Ordalii e textu Roffenſi transſcriptum, & ex eodem codice etiam in Speelmanni gloſſario editum.

Ad pleniorem horum opuſculorum, quæ vel olim a Gratio edita, vel nunc ad Gratii faſciculum addita ſunt, intelligentiam nonnulla monet doctiſſimus Editor in præfatione ad lectorem, in qua Gratium, cum ſyntagmati ſuo nomen *faſciculi rerum expetendarum & fugiendarum* impoſuit, vel ad definitionem prudentiæ reſpexiſſe putat, quæ per rerum expetendarum & fugiendarum ſcientiam definiri ſolet, vel *Georgii Vallæ* Placentini librum Venetiis A. 1501. editum imitari voluiſſe, qui titulo operis de expetendis & fugiendis rebus deſignatur. Non ſolum de tractatibus hactenus recenſitis in præfatione ſua Brovvnius diſſerit, ſed & alios quosdam tractatus addidit, nimirum *Scripta quædam ad Baſileenſis concilii hiſtoriam ſpectantia*, quæ mutuatus eſt e manuſcripto codice, quem ipſi Archiepiſcopus Cantuarienſis indicavit. Sunt autem iſta ſcripta 1. commiſſio *Henrici VI.* Angliæ & Franciæ Regis, data Ambaſiatoribus ſuis ad concilium Baſileenſe ſuo nomine ituris. 2. Ejusdem inſtructio iisdem credita. 3. Propoſitio ejusdem Regis nomine facta coram Papa Martino V. per *Abbatem Urſicampi* ſuper acceleratione concilii. 4. Collatio ejusdem Abbatis ad Collegium Cardinalium. 5. Propoſitio *Wilhelmi Sulburgii* Abbatis Belliloci ad Martinum V. ſuper acceleratione concilii. In eadem præfatione exhibetur etiam reſponſio, quam in Comitiis Auguſtanis A. 1518. Principes Germaniæ Cajetano Cardinali dederunt, cæterisque Oratoribus decimas a ſacerdotibus, a laicis vigeſimas ac quinquageſimas pro bello contra Turcas ſuſcipiendo petentibus aut exigendas ſuadentibus; item epiſtola Decani & Capituli Londinenſis ad Pontificem Romanum, qua canonizatio Roberti Groſſeteſti Lincolnienſis Epiſcopi efflagitatur, A. C. 1307. ſcripta, quam Brovvnio noſtro *Henricus Wharton* communicavit.

COMPENDIUM ANNALIUM ECCLEſiaſticorum regni Hiberniæ, autore Franciſco Portero Ord. Min. S. Theol. Lectore Jubilato.

Romæ typis Nicolai Angeli Tinaſſii impreſſoris Cameralis in 4. 1690. Conſtat plag. 46.

Incipit

INcipit hic tractat9, quem Typographus Alexandro VIII nuperrime defunctoRomanæ Eccleſiæ Pontifici dedicavit, ab epiſtola *Franciſci Eſchinardi* S. J. ad Porterum compendii hujus autorem e de quantitate Hiberniæ & erroribus mapparum hoc regnum repræſentantium, cujus doctiſſimi viri (Eſchinardum puta) induſtriæ novam quoq; Hiberniæ Mappam chorographicam, quæ A.1689 edita tantummodo P. *Auguſtini Lubin* nomen præ ſe fert, debemus. Poſt hanc epiſtolam de Hiberniæ nominibus agitur, & cum generalis totius Hiberniæ, tum ſpecialis ſingularum provinciarum & inſularum minorum adjacentium deſcriptio proponitur; nonnulla, quæ *Giraldus Cambrenſis* & alii quidam Scriptores de Hibernia ejusque incolis retulerunt, falſi arguuntur; promontoria, ſinus & portus hujus regni recenſentur, & catalogus alphabeticus Regum & Monarcharum Hiberniæ veterum exhibetur, quorum primus dicitur fuiſſe Slanius, quem Porterus Moſis & Aaronis ævo anno ante Urbem conditam 700, ante Chriſtum natum 869, Hiberniæ imperio præfuiſſe ſcribit, addita tamen hac limitatione, ſi antiquis Hiberniæ faſtis fides adhibenda ſit. Hinc bella quædam ab antiquis Hiberniæ Regibus geſta referuntur, qui ex Hiberniæ Regibus provinciarumque Regulis pietatis & ſanctimoniæ famam adepti ſunt, commendantur, & quantum Hiberniæ Reges pro fide & patria per plures annos contra Danos & Oſtmannos militaverint, exponitur. Ad antiquitates eccleſiaſticas progrediens Autor, chronotaxin rerum præcipuarum a S. Patricio Hiberniæ Apoſtolo geſtarum ex *Uſſerio* aliisque delineat; ex *Conveo* Sanctos quosdam Hibernos enumerat, qui per varias mundi plagas Chriſtianam fidem diſſeminarunt; faſtos Sanctorum Hiberniæ ab incerto quodam Autore conſcriptos, & alium catalogum Sanctorum Hiberniæ ab *Henrico Dublinenſi* Societatis Jeſu juxta Alphabeti literas digeſtum ex *Suivillano* exſcribit; academias & inſigniores Hiberniæ ſcholas enarrat; epiſcopatus, eccleſias cathedrales, cœnobia, aliaque ad eccleſiaſticum Hiberniæ ſtatum pertinentia, & poſtremo, quanta reverentia Hiberni Romanam ſedem ſemper coluerint, quantaque conſtantia Pontificiorum doctrinæ adhæſerint, ediſſerit. Antequam autem, quantum detrimenti ſub Henrici VIII, Eliſabethæ, & ſequentibus temporibus, & noviſſime ſub præſenti Angliæ Rege Wilhelmo Romana religio paſſa fuerit, deſcribat, multis calumniis in Lutherum, tanquam omnium horum malorum originem debacchatur.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTIANI FUNCCII POSITIVA AD Orbis Imperantis Notitiam Introductio.

Lipſiæ apud hæredes Frid. Lanckiſii, A. 1691. in 8. plag. 18.

PLures jam anni effluxerunt, quod Autor libelli hujus clariſſimus, non ſine orbis eruditi adplauſu, *Orbis hodie imperantis Breviarium*, e celebrioribus ævi noſtri ſcriptoribus concinnatum evulgavit: in quo de Imperiis, Regnis, Ducatibus & Rebuspublicis ἐρωτηματικῶς diſſerit. Huic nuperrime non tantum appendicem, de *Curia Romana*, ſeu *Statu Pontificio*, ſubjunxit; ſed & *Iſagogen* hanc ad lectionem Orbis ſui jam laudati facientem, brevioribus aphoriſmis comprehenſam adornavit. Qua ea, quæ per quæſtiones & ſubjunctas reſponſiones fuſius ante dilucidaverat, breviſſimis poſitionibus, additisque rationibus, in gratiam tyronum ſtudii hiſtorici atque politici comprehendit, ſecutus, ut ipſe fatetur, veſtigia celeberrimi Polyhiſtoris *Schurzfleiſchii*. In Prolegomenis opuſculi hujus de orbis imperantis notitia in genere diſſerit. Inde progreſſus, de præcipuis orbis hodie imperantis Regnis, tum quæ in Europa, tum quæ in Aſia florent, ſimili modo agit. In tertia ſectione præcipuas orbis Respublicas, quæ non ſunt monarchicæ, recenſet. Tandem in poſteriori libelli parte de Principatibus & liberis imperii Germanici Civitatibus tractat: atque adeo velut materiarum illuſtrium in ſtudio hiſtoriæ civilis occurrentium indicem deſignat, unde quis anſam de iis plura in collegiis privatis diſſerendi petere queat.

REFUTATION DES PROPHETIES fauſſement attribuées à S. Malachie ſur les Elections des Papes, par le R. P. Meneſtrier.

ſive

R. P. Franc. Meneſtrerii Soc. J. Refutatio Prophetiarum falſo adſcriptarum S. Malachiæ ſuper Electionibus Pontificum.

Pariſiis, apud R. J. B. de la Caille, 1689. in 4. Plag. 7.

Tanto

Digitized by Google

TAnto libentius nunc ad recenſendum hunc Tractatum nos accingimus, cum novitatis gratia, qua pene exciderat, ſerius ad nos ob intercluſum hactenus cum Galliæ bibliopolis commercium perlatus, ei quadantenus reſtaurata videatur per inſecutam nuperrime mortem Alexandri VIII, renovatamque ſic veluti hujuſce ſcripti cauſam, ſolicitam nempe hominum curioſitatem, præſagia de proximo iſtius ſucceſſore ex famoſo illo, quod de futurorum Pontificum electione circumfertur, Malachiæ vaticinio capere ſatagentium. Scilicet dudum promiſerat amico, quem non nominat, *Meneſtrerius* orbi exponere, quid de jactata illa prophetia ſentire fas eſſet: commoda proinde occaſione uſus, quæ per obitum Innocentii XI. obtigerat, id præſtitit gemina, qua tractatus hic conſtat, epiſtola, quarum altera tempore Sedis tum vacantis, altera mox poſt ſecutam Alexandri VIII electionem edita fuit. Ne quis vero cum ſimplicioribus quibusdam ſibi perſuadeat, de Malachia Propheta hic ſermonem eſſe, qui quingentis ante Chriſtum natum annis vixit, & in quo donum prophetiæ veteris teſtamenti temporibus deſiiſſe putatur: noſter autor nonnulla præmonet, vitam Sancti hujus Malachiæ, de quo in præſens quæſtio eſt, concernentia. Nimirum vixiſſe ipſum circa medium ſeculi XII, non minus vitæ ſanctimonia, quam familiari cum divo Bernhardo amicitia celebrem: & primo quidem fuiſſe Monachum in Abbatia Bencorenſi; hinc factum Archiepiſcopum Ardinacenſem in Hibernia; cui ſedi cum aliquot annis præfuiſſet, abdicato circa annum 1137 illo honore, Dunenſi epiſcopatu contentum reliquo vitæ ſpatio fuiſſe; quam tandem in Clara Valle inter amplexus S. Bernhardi finierit anno 1148: qui & vitæ ejus Elogium poſtea compoſuerit, cujusque præterea ad ipſum exaratæ olim epiſtolæ inter cæteras extent 315, 316, & 317. Hic ergo eſt Malachias, cui vulgo tribuuntur obſcuri illi ac ſymbolici characteres, qui de ſingulis tam præteritis inde a Cæleſtino II, quam futuris Pontificibus, ordine ab illo traditi jactantur: quorum catalogum duplicem Noſter communicat, alterum breviorem magisque conciſum, qualis Latino idiomate a primo horum autore, de quo mox, relictus fuit: alterum, qui paulo pleniorem ſingulorum expoſitionem largitur, lingua Gallica expreſſum. Neutrum huc transſcribere erit opus, cum ſymbola illa prophetica jam paſſim apud varios Autores habeantur: uti apud *Gabr. Bucelinum* in Hiſt. Univ. *Henr.*

Engelgr.ve in Cœleſti Pantheo embl.5.§.1. alioſque. Tametſi vero putativa hæcce vaticinia non exiguo cum applauſu hactenus ab octoginta circiter annis paſſim recepta fuerint, ac pro divinitus inſpiratis fere habita: nihilominus cum videret Autor, ea quam plurimis ineptiis, erroribus atque nugis ſcatere, ſtatuit tandem perſonato huic Vati larvam detrahere, totiusque hujus fabulæ ſcaturiginem aperire. Nimirum primum ejus traditionis fontem non altius quærendum eſſe arguit, quam in Scripto cujusdam *Arnoldi de Wion*, Belgæ Duacenſis, Monachi S. Benedicti, Venetiis anno 1595 edito, cui titulus, *Lignum Vitæ*. Ait vero, opus illud Genealogicum eſſe, Philippo II. Hiſpaniarum Regi dedicatum; ac duobus conſtare voluminibus, quorum alterum perſequatur genealogiam familiæ Aniciorum, e qua nempe Autor velit ortum traxiſſe tam S. Benedictum, ſui Ordinis fundatorem, quam Domum Auſtriacam: alterum complectatur hiſtoriam virorum illuſtrium iſtius Ordinis. In hujus ergo *Lib. II. cap. 40.* ubi de S. Malachia ſermo ſit, potioribus ejus vitæ momentis ſuccincte relatis, hæc verba ſubnecti: *Scripſiſſe fertur & ipſe nonnulla opuſcula, de quibus nihil hactenus vidi, præter quandam Prophetiam de Summis Pontificibus: quæ quia brevis eſt, & nondum, quod ſciam, excuſa, & a multis deſiderata, hic a me appoſita eſt:* his dein ordine ſubjungi iſtos Paparum characteres ſymbolicos, cum annotationibus ſingulos explicantibus & applicantibus; quoad has tamen addita hac monitione: *Quæ ad Pontifices adjecta, non ſunt ipſius Malachiæ, ſed R. P. Fr. Alphonſi Ciaconii Ord. Prædicatorum, hujus Prophetiæ Interpretis.* Suppoſititiam jam horum vaticiniorum falſitatem quo evincat Noſter, conſiderare primo jubet, quod ante Wionum hunc nemo vel minimam eorum mentionem fecerit, adeoque integris quadringentis annis in occulto latuiſſe dicenda ſint. At vero neutiquam probabile videri, Prophetiam hanc, ſi revera edita a Malachia foret, tam longo ſilentio ſepultam fuiſſe manſuram: quandoquidem divus Bernhardus, intimus ſcilicet ejus amicus, quique & vitam ipſius deſcripſerit, & parentatione habita epitaphioque facto eum celebraverit, neque vel minimas prædictiones ab iſto datas, præſertim de loco & tempore ſui obitus, reticuerit, omnino tam notabilem prophetiam ſicco pede præterire haud potuiſſet. Neque porro apparere ait, quænam uſpiam Malachiæ occaſio data fuerit vaticinium hoc edendi; ut qui non niſi ſemel Romam adierit,

Digitized by Google

adierit,idq; ſub Pontificatu Innocentii II, cum pallium pro duabus Hiberniæ eccleſiis metropolitanis peteret. Urget ulterius, quod nec ullus Scriptorum ejus ævi, puta Otto Friſingenſis, Johannes Sarisberienſis, Petrus Abbas Cluniacenſis, aliive vel verbulo hujus rei meminiſſe reperiantur: neque unus ex tot autoribus, qui Vitas Pontificum literis conſignaverint, (uti ſunt Continuator Mariani Scoti, Bordinus, Platina, Papirius Maſſonius, Onuphrius Panvinius, Franciſcus Joannellus) Annaleſve Eccleſiaſticos compoſuerint (uti Baronius, Spondanus, Bzovius, Raynaldus) eandem tetigerit; nec denique Hiberni, tam ſolliciti alioquin in deprædicandis miraculis, viſionibus ac revelationibus Sanctorum ſuorum, S. nempe Patricii, S. Columbi Abbatis, nec non S. Brigittæ, vel minimo verbo hanc prophetiam commemoraverint. Non diffitetur quidem, vaticinia iſta recenſeri tam a *Thoma Meſſinghamo* in libro, quem inſcripſit *Florilegium Inſulæ Sanctorum Hiberniæ*, Pariſiis anno 1624 edito; quam a *Rob. Ruſca*, qui illuſtres viros Ordinis Ciſtertienſis deſcripſerit, & in eorum numerum quoque Malachiam retulerit: ſed utrumque ait ea ex Wionio hauſta fateri; ac ultimum inſuper hoc nomine reprehenſum ab *Angelo Manrico*, Annalium ejusdem Ordinis ſcriptore, qui his verbis uti non fuerit veritus: *Robertus Ruſca Sanctum Pontificem* (Malachiam puta) *ſcriptoribus annumerat ob oracula quadam ſeu prædictiones, de ſummis Pontificibus ad finem uſque mundi ſucceſſuris, quas ab Arnoldo Wionio vulgatas eſſe tranſcribit; ſed apocryphas, ut conjectare licet, nec ſatis ſapientes gravitatem viri ſanctiſſimi.* Alphonſum vero Ciaconium quod attinet, cui nempe explicationem oraculorum iſtorum ſymbolicorum tribuit Wionius, ante omnia quærit Noſter, ſiquidem ita ſe res habeat, quisnam, poſtquam ea tanto tempore & ſine interpretatione delituerint, aut Ciaconio, aut Wionio revelarit, ea Malachiæ eſſe, nec non unde & quo fato theſaurus hicce tandem in lucem protractus fuerit. Præterea vero valde in dubium vocat, num omnino Ciaconius pro interprete haberi queat. Scilicet cum Vitæ Pontificum & Cardinalium ab Autore hoc compoſitæ jam trina editione in lucem prodierint (prima nempe A. 1601, & ſecunda 1630. duobus, tertia vero 1677. quatuor voluminibus) in nulla tamen harum vel verbulo iſtius prophetiæ mentionem injici: ut adeo dicendum ſit, Ciaconium, qui Romæ fuerit anno 1595, quo tempore *Lignum Vitæ* Wionius Venetiis inprimi fecerat, ſi maxime ſymbolis illis interpreta-

tionem dediſſet, poſtmodo perſpecta eorum falſitate abſtinuiſſe ab illis in opere ſuo allegandis. Suſpicionem vero inde non parum augeri, quod nec apud *Nicolaum Antonium*, Bibliothecæ Scriptorum Hiſpanorum concinnatorem, nec apud *P. Ambroſium de Altamura*, qui Scriptores ex Ordine S. Dominici, cujus nempe Ciaconius fuit, congeſſit, vel minimum veſtigium hujuſce prophetiæ aut ejus interpretationis appareat: cum tamen eorum uterque exactam communicarit enumerationem omnium hujus autoris operum, ad ipſas uſque ſchedas ac tractatus nunquam typis impreſſos. Everſis ita fundamentis, & refutata antiquitate jactata hujus Prophetiæ, porro Meneſtrerius exponit, quid ſibi de vera ejus origine videatur. Autumat vero eam, quando a Wionio primum adoptata fuerit, ſatis recentem adhuc fuiſſe, nec niſi quinquennio ante compoſitam, tempore ſcilicet ſedis poſt mortem Urbani VII. vacantis, a clientum aliquo Cardinalis Simoncelli, poſt Gregorii XIV, ad perſuadendum nempe hominibus per ſuppoſititium hoc vaticinium, jam ab antiquo per ipſum Spiritus S. ſuffragium eum ſucceſſorem deſtinatum eſſe; hunc enim deſignari per ſymbolum *Ex Antiquitate Urbis:* nempe ex civitate *Orvieto* oriundum, quæ Latino nomine *Urbs Vetus* vocetur. Non abſimilem fraudem, licet non eodem ſucceſſu, recentius tentatam narrat a clientibus Cardinalis Bonæ, poſt obitum Clementis IX: qui nempe ad vota patrono ſuo concilianda, non modo per ora vulgi varia ominoſa dicteria ſpargere ſategerint, v. g. verba *Eccleſiaſtici 15. Qui timet Deum faciet Bona;* item Diſtichon:

Grammaticæ leges plerumque Eccleſia ſpernit;
Eſſet Papa bonus, ſi Bona Papa forèt:

ſed & conductos clam mendicos magno numero inſtigaverint, ut ſubinde ad portam Baſilicæ S. Petri & proxime ſub feneſtris Cardinalitii conclavis vociferarentur: *Fate Papa Bona.* Tanto facilius vero taliſmodi commentis confingendis occaſionem fuiſſe Noſter exiſtimat iſto tempore, quod quinquaginta fere diebus tum duraverit Conclave electionem novi Pontificis parturiens, adeoque ſatis otii fuerit ad cudendas tales fabulas; cujuſmodi nempe nunquam non tempore ſedis vacantis, a concurrente undique otioſorum hominum turba haud exigua copia excogitari ac publicari conſueverint. Tametſi vero hac ratione omnia illa oracula, Pontificibus Gregorium XIV antegreſſis ex poſtfacto accommodata fuerint, perſonatoq; adeo prophetæ

facile

Digitized by Google

facile fuiſſe videatur de præteritis vaticinari: nihilominus & eorum intuitu quamplurima ſemet abſurda prodere, Meneſtrerius deducit: uti primo, quod in vaticiniis hiſce, legitimis Pontificibus admixti compareant octo Antipapæ, puta Victor IV, Calixtus III, Paſchalis III, Nicolaus V, Clemens VII, Benedictus XIII, Clemens VIII & Felix V, adeoque, ſi fides huic prophetiæ foret, eccleſia duo habuerit iisdem temporibus capita, pariter a viro θεοπνεύστῳ deſignata; maxime cum non ſatis e ſymbolis iſtis eluceſcat, quinam pro ſchiſmaticis habendi: porro quod anachroniſmi aliquot egregii ex ordine ſymbolorum iſtorum, iisque applicatæ interpretationis, oriantur minime tolerabiles; quos & ſpeciatim oſtendere occupatus eſt Autor. Ulterius non ſatis patere arguit, quis interpreti revelaverit, ut Prophetiæ hujus initium in applicatione caperet potius a Cæleſtino II, quam ab Innocentio II ejus prædeceſſore, vel ſucceſſoribus Lucio II aut Eugenio III, quandoquidem horum omnium ſub regimine Malachias vixerit: maxime cum characteres illis adſignati, ſatis nempe incerti, id non clare determinent; Denique & illud urget, quod Chriſtus prædixerit, mortalium nemini datum eſſe ſcire finem ſeculi ac tempus judicii extremi; quæ tamen, ſi genuina hæc prophetia foret, haud obſcure paterent: dum conſtanter dicere poſſemus, tot & non plures Pontifices ante ſeculi conſummationem expectandos eſſe; quandoquidem Prophetiæ hujus clauſula ita habet: *In perſecutione extrema Sacra Romana Eccleſia ſedebit Petrus Romanus, qui paſcet oves in multis tribulationibus, quibus tranſactis civitas ſepticollis diruetur & Judex tremendus judicabit populum ſuum.* Cæterum notat Autor, inventionem univerſorum iſtorum characterum ſymbolicorum ad ſeptem aut octo circiter fontes ſeu capita generalia reduci poſſe: dum nempe alii deſumti ſint a nomine perſonæ deſignatæ; alii ab ejus patria; alii a ſtatu ſeu conditione; alii ab officiis aut titulis geſti olim Cardinalatus; alii ab armis gentilitiis; alii denique ex uno & altero horum conjunctis. Atque hæc fere ſunt, quæ in prima hujus tractatus parte propoſuit Noſter.

In altera ſemet accingit ad examinationem ſingulorum iſtorum epithetorum propheticorum, & hiſtoricæ explicationis cuilibet eorum accommodari ſolitæ; ſigillatim demonſtrans, quot modis larvatus iſte vates impegerit & quam inepte hac in re ſuam egerit perſonam. Sic aliquos horum characterum cum expoſitione ſua collatorum arguit

Digitized by Google

incertitudinis aut falſitatis hiſtoricæ: alios taxat ob inſulſam & alienam expreſſionem, quæ ſcilicet nil minus ſapiat, quam propheticam inſpirationem: in aliis ignorantiam inventoris circa ſcientiam heraldicam & genealogicam deridet: alios tandem ita eſſe comparatos ait, ut in hunc uſque diem commodus ſenſus ex iis exſculpi haud valuerit: quales nominatim allegat ſequentes, nempe Innocentii IX, antea Fachinetti, *Via civitas in bello;* Clementis VIII, Aldobrandini, *Crux Romulea;* Leonis XI, *Undoſus Vir;* Pauli V, *Gens perverſa;* Gregorii XV, *In tribulatione pacis*; nec non Urbani VIII, *Lilium & roſa.* Et quamvis ſymbolis tribus ſequentibus aliqualis interpretatio adinventa fuerit: nempe Innocentii X, die Exaltationis Crucis electi, quod eſt, *Jucunditas Crucis;* Alexandri VII, Montes in ſcuto gentilitio geſtantis, quod habetur, *Cuſtos montium,* & Clementis IX. in conclavi Cardinalium cameram per ſortem nacti, quæ depictam repræſentavit Cygni conſtellationem, adeoque indicati per *Sidus Olorum*: tamen in ſequentibus duobus, *de Flumine magno* & *Bellua inſatiabilis,* Clementi nempe X & Innocentio XI competentibus, rurſus vacillare ait interpretationem: dum ratione prioris falſo allegetur inundatio Tiberis, cujus tempore Clemens natus feratur: cum illa demum anno 1598 contigerit, ipſo jam aliquot annis ante in lucem edito; & *Altieri* non niſi coacte ex Hiſpanorum *Alto rio* derivari queat: ratione alterius vero appellatio lupo melius congrueret, quam leoni Innocentii XI. Quod ſupereſt, ut jactatæ hujus prophetiæ vanitatem magis adhuc ob oculos poneret, oſtendere conatus eſt, ex ænigmaticis iſtis epithetis facili opera ſyſtema aliud Pontificum exſculpi poſſe, commodiori etiam ſenſu ad alios applicatis, quam quibus a Wionio ea fuerant attributa. Ita loco Cæleſtini II, initio facto ab Innocentio II, huic congrue ſatis accommodat illius ſymbolum *Ex caſtro Tiberis:* Anacleto II. Antipapæ ſymbolum vulgo adſcriptum Lucio II, *Inimicus expulſus:* huic viciſſim ſymbolum Eugenii III, *Ex magnitudine montis:* atque ſic per aliquot ſequentia exempla ſimiliter pergens evincit, quam incerta & verſatilis talismodi ænigmatum explicatio ſit. Devenit tandem ad Alexandrum VIII, tum noviter electum, ejusque vitæ potioribus momentis breviter excuſſis, nihil in eo occurrere autumat, quod quadrare poſſit ad characterem ei in Prophetia Malachiæ adſignatum, *Pœnitentiæ* nempe *glorioſæ:* niſi forte ejus interpretationem extorquere placeat, aut a die factæ promotionis,

Digitized by Google

motionis, S. Brunoni ſacra, aut ab antiquo ejus nomine, quo Petrus audierit, cum hujus nominis Apoſtolus æque ac S. Bruno pœnitentia ſua celebrentur: quæ tamen omnia Noſtro nimis longe videntur eſſe petita. Quamvis vero ſic eo tempore non ſatis Meneſtrerio judice apparuerit, qua ratione character ille ſymbolicus huic Papæ congrueret; attamen, uti dies diem docet, non deſunt hodie, qui ejus omen eventu neutiquam deſtitutum dicant: quando nempe Alexander VIII. *pœnitentia glorioſa* ductus, & blandæ tandem indulgentiæ, qua erga primogenitum Eccleſiæ filium, Regem Chriſtianiſſimum, Clerumque Gallicanum uſus hactenus fuerat, pertæſus, Bullam, quæcunque in comitiis Cleri Gallicani Pariſiis A. 1682. congregati peracta erant jurisdictioni Romanæ Eccleſiæ præjudicialia, ipſo jure nulla irritaque declarantem, & jam die 4 Aug. A. 1690 datam, paulo ante obitum, die nempe 30 Jan. A. 1691, ſolenniter promulgavit. Quid de cætero *Raſtrum in porta*, qui futuri proxime Pontificis character eſt, Sedi Romanæ portendat, id curioſioribus, quos fere futurorum eventus anxios tenet, ſpeculandum relinquimus: quibus fortaſſis non ignota erit *Diſſertatio* Marburgi anno 1677. ſub præſidio *Sam. Andreæ*, S. Theol. D. ac P. P. a *Joh. Pet. Graffio* habita *de Succeſſionibus Pontificum Romanorum ſecundum prænotationem Malachiæ Hiberno adſcriptam:* ubi & argumenta propheticorum iſtorum characterum latius exponuntur, & contra *Franciſcum Carriere* Aptenſem Minoritam defenduntur; qui & ipſe ſcilicet ſub finem *Hiſtoriæ Chronologicæ Pontificum Romanorum, Lugduni 1663.* denuo editæ, eorum autoritatem, licet ſibi ipſi non ſatis conſtans, elevare anniſus fuerat.

NOVA LITERARIA EX ANGLIA.

OXonii ex Theatro Sheldoniano proditurum proxime eſt volumen tertium Scriptorum Rerum Anglicarum. Conſimilis argumenti volumen unum aut alterum jam Londini ſub prælo habet D. *Wartbonus.* Quin & *Thomas Gale* XV Scriptores veteres Britannicos edit, quos inter maxime meretur memorari liber, quem Angli *Domes-day* vocant, in quo terrarum fundorumque in Anglia diſtributio, Gulielmi Conqueſtoris temporibus conſignata reperitur: unde & antiquum MStum in theſauro regio hactenus aſſervatum ac care habitum fuit. Idem perſtat in propoſito librum *Porphyrii* de abſtinentia carnium edendi.

Thomas Hyde Protobibliothecarius Oxonienſis Librum Rabbinicum

nicum *Itinera mundi* vocatum, ſeu Coſmographiam Abrahami Periſol, Judæi, Latinitate donavit, inque calce Turcarum Liturgiam, Peregrinationem Meccanam, ægrotorum viſitationem atque alia expoſuit. Idem Maimonidis librum *More Nebochim* ſeu Doctorem perplexorum Arabico ſermone, quo ab auctore ipſo conſcriptus olim fuit, editurus eſt, prolixisque notis illuſtraturus. *Eduardus Pocockius* annum nuper octogeſimum ſeptimum ingreſſus eſt, quæ tamen ipſi vegeta adeo ætas contingit, ut elaborandis poliendisque utiliſſimis in Prophetas commentariis manum admovere queat, notas in Joelem ſub prælo jam ſudantes propediem editurus. *Eduardus Bernardus* in Tabula quadam omnium pene ætatum characteres Græcos Syrosque, Æthiopicos item ac Latinos in MStis nummisque repertos ſic delineavit, orbisque eruditi literaturam a charactere Samaritano ita deduxit, ut jam facili opera ad MSta quis accingatur. De Joſepho autem edendo ſpem plane omnem cuncti depoſuerunt, cum ipſummet Auctorem nauſea vaſti operis cepiſſe videatur. Optat ille, ut *Joh. Andreas Danzius* Alcorano ſuo, quem Jenæ edit, Maſoram quoque Turcicam, quæ Oxonii in MSS. nonnullis exemplaribus Collegii D. Johannis comparet, adjungat. *Johannes Mill's* Doctor Theologus & Aulæ S. Edmundi Præfectus accuratiſſimam eamque longe pulcherrimam Novi Teſtamenti editionem prælo jamdudum ſubjecit, ubi textus primo ſacer exhibetur, loca deinde parallela magno numero indicantur, tandemque lectiones variantes ex univerſi pene orbis eruditi MSStis melioribus, Laudiano inprimis, Alexandrino ſeu Theclæano, atque Coveliano (quem nempe ex monte Sinai Covellus Theologus hodie Cantabrigienſis attulit) codicibus, ipſis denique SS. PP. copioſe ſubjunguntur. Magnum profecto ac Herculei laboris opus, jamque ad Primam ad Timotheum Epiſtolam deductum. *Joannis Malelæ* Chronicon Græco-Latinum e Theatro Sheldoniano nondum prodiit. *Antonius Wood* prælo ſubjecturus eſt, ſed lingua Anglica, Athenas & Faſtos Oxonienſes. *Thomas Smith* Epiſtolas Camdenianas edet.

Wilhelmus Lloyd S. Aſaphi Epiſcopus, Regisque ac Reginæ ſupremus Eleemoſynarius, ingens opus Chronologicum molitur. *Wilhelmus Sherlock* Theologus Londinenſis, poſtquam diu juramentum præſtare Regi Wilhelmo renuit, mutata tandem ſententia & præſtitit illud ipſe, & præſtandum omnibus illud eſſe, ſcripto publicò aſſeruit; multis ob id aculeatis libellis petitus.

❧ (o) ❧

N. IV.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno M DC XCI.

MEMOIRES DE L' EGLISE.

id eſt,

Memoriæ eccleſiaſticæ, quicquid conſideratione dignum quolibet die toto paſſim orbe accidit, complexæ; auctore Abbate *de la Roque*, Protonotario S. Sedis Apoſtolicæ. *Tomus I.*

Pariſiis apud Jo. Guignardum, A. 1690. in 4. Plag. 102.

OPtimum omnino inſtitutum eſt, quod voluminibus quamplurimis exequi conſtituit clariſſimus Auctor, quodque nec Proteſtantibus, hiſtoriæ univerſalis ſtudioſis, improbatum iri putamus. Utut enim is zelo, quo Romanam religionem amplectitur, abreptus, gratiamque *Franciſci Harlai* Archiepiſcopi Pariſienſis, (cui opus ſuum inſcripſit,) imo ipſius Galliarum Monarchæ *Ludovici XIV* mereri cupiens, non ubivis æque modeſte de *Lutheranis Calvinianisque* & ſigillatim *Wilhelmo* III, Rege Magnæ Britanniæ, lo- p. 226.
quatur, ac hiſtoricum a ſtudio partium alienum decuiſſet; id tamen non magnopere bilem his movebit, qui cauſſam ſuam ejus arbitrio nec ſtare, nec cadere exiſtimant, optabuntque modo, ut de rebus eccleſiæ ſuæ acturus, tanto majori ſtudio veritati litare nitatur. Cæterum jam pridem *Diarium* ejusmodi *eccleſiaſticum* molitus fuerat: ſed ſpecimen, quod ediderat, tantopere diſplicuerat *Petro Seguierio*, Duci de Vilamor, Pari & Cancellario Franciæ, ut hic mox auctoritate ſua omnia illius cœpta diſturbarit ac ſufflaminaverit. Ex quo vero is ad plures abiit, (quod 28. Januarii A. 1672. contigit,) Abbati noſtro nemo obſtitit, quin, indultu Regis obtento, opus illud olim adumbratum denuo aggrederetur. Novum ergo ſpecimen compoſuit decem abhinc annis, quod Pariſiis *Johanne Cuſſonio* bibliopola obſtetricante, lucem

 adſpexit,

adſpexit, hoc titulo inſignitum: *Journal Eccleſiaſtique, ou Memoires de l' Egliſe, par M. l' Abbé de la Rocque;* ipſo *Roquio* teſte in *Ephemeridibus Eruditorum Pariſienſibus*, 20. Jan. 1681. a ſe publicatis. Verum nec hi doctiſſimi Viri conatus feliciores eo tempore fuere prioribus. Non multo tamen poſt Archiepiſcopus Pariſienſis & univerſus Clerus Gallicanus menſe Majo A. 1685. Lutetiæ congregatus facile ei perſuaſerunt, ut *Memorias* id genus in uſum eorum, qui futuris ſeculis hiſtoriam eccleſiaſticam conſcribere vellent, in literas referret. Orditus igitur eas eſt, non quidem ab annis illis, quibus olim ad ſcribendum appulit animum, ſed ab anno demum 1685 atque ea tantum, quæ hoc ſecutoque anno 1686 evenerunt, *ſex* librorum, (quibus tomus hic *primus* abſolvitur,) argumentum eſſe voluit.

Memorantur hiſce hypomnematibus, ut eſt in præfatione: (1.) *Converſiones illuſtrium hominum ab infidelitate, hæreſi aut ſchiſmate;* (2.) *Miſſionariorum geſta toto paſſim orbe Chriſtiano;* (3.) *Templa ſimiliaque pietatis monumenta recens extructa;* (4.) *Miracula;* (5.) *Sepulcra aliaque loca a devotis frequentari ſolita;* (6.) *Reliquiæ ſanctorum nuperius repertæ;* (7.) *Canonizationes ſanctorum;* (8.) *Intentio Eruditorum de aliqua re eccleſiaſtica aliquid commentari cupientium, eaque propter aliorum ſymbolis egentium;* (9.) *Intentio illorum, qui bonum aliquod opus in Chriſtianæ pietatis emolumentum facere apud animum ſuum conſtituerunt;* (10.) *Erectio novorum Seminariorum, fundatioque aut reformatio familiarum monaſticarum;* (11.) *Colloquia ſolenniora de rebus ſacris;* (12.) *Vita obitusque virorum virtute, ſanctitate munereve eccleſiaſtico eminentiori conſpicuorum;* (13.) *Exempla ſingularia bonorum operum a Regibus Principibusve viris patratorum;* (14.) *Exempla vindictæ divinæ adverſus populorum aut privatorum hominum impietatem;* (15.) *Promotiones ad primarias eccleſiæ dignitates, qua occaſione tum ortus, munera, dotes, actiones notabiliores ac ſcripta Promoti, tum fundatio, privilegia diverſaque fata ſingularum eccleſiarum particularium breviter recenſentur;* (16.) *Molimina Infidelium, Hæreticorum & Schiſmaticorum contra Eccleſiam; libellis tamen, quibus veritas dogmatum Romano-catholicorum impugnatur ac virorum eccleſiaſticorum fama læditur, ea ratione confutatis, ut æquum ſit ſperare, nec ipſos eorum auctores ægre id laturos;* (17.) *Sententiæ aut ſtatuta celebriora de cauſis eccleſiaſticis in Conciliis aut Synodis, in Cleri Gallicani convocationibus, in Congregationibus Romanis, in Curiis epiſcopalibus,*

Digitized by Google

palibus, in Officio Inquiſitionis, in Parlamentis aut ſanctioribus Regum Senatibus pronuntiata ac ſancita; (18.) *Statuæ, numi, picturæ ad pietatis incrementum facientes*; (19.) *Marmora, numiſmata aliaque profanæ eruditionis reliquiæ, quatenus aut articulum fidei confirmare, aut lucis aliquid Hiſtorico alicui eccleſiaſtico ſanctove Patri fœnerari poterunt.* Hæc ex præfatione excerpſimus. Nunc de ſingulis libris ſigillatim.

LIBRO PRIMO ſtatum eccleſiarum extra Europam ordine Geographico indagat Roquius, initio a regnis *Chinenſi*, *Japonenſi*, *Tunquinenſi* & *Cochinchinenſi* facto. Refert itaque inter alia, perſecutiones rigidiores illic locorum ceſſaſſe, multaque millia hominum Chriſto fidem dediſſe. Inter *Tunquinenſes* ſane centena millia Chriſtianorum dari, & in his centum fere moniales, *Crucis amaſias* ſeſe appellitantes. *Cochinchinenſem* Regem non averſari Chriſti fidem, bisque baptiſmum petere voluiſſe; ſed quo minus id fecerit, in cauſſa fuiſſe polygamiam, quemadmodum multi e plebe Chriſtianis ſeſe acc enſeri cupiant, modo iis integrum eſſet, uxori repudium remittere aliamque in ejus locum ducere. *Siamenſium* dein theologiam idololatricam breviter perſtringit, ac ſpeciatim fabulam de *Thevahat* apud Inferos ob peccata ſua juſſu ſummi Dei Sommokodoni crucifixo, fraude diaboli ad ſimilitudinem hiſtoriæ paſſionis Chriſti effictam, qua Siamenſes faſcinati nolint Jeſum crucifixum Deum agnoſcere, veriti, ne ſub ejus nomine Thevahatus ſuus lateat. Addit, Chriſtianos paucos hodie in *Tennaſſerim*, *Cyampa*, *Golconda*, itemque regnis *magni Mogolis* exiſtere, in *Macaçar* nullos. *Madurenſes* fere univerſos, Jeſuitarum Brachmanum more veſtitorum miniſterio converſos eſſe. Hinc *Pegu*, *Bengalam*, *Goam*, *Moluccas*, *Philippinas*, *Maldivas*, *Ceylanum*, *Tanorum* percurrit Roquius. Chriſtianos *S. Thomæ* tantum non omnes, ex *Armeniis* & *Meſopotamienſibus* multos Eccleſiæ Romanæ reconciliatos ait. *Syros* eccleſiæ Latinæ placita amplexos *Patriarcham* habere *Antiochenum* Alepi habitantem, cui nomen ſit *Petri Gregorii*. Huic Innocentium XI. *pallium* tranſmiſiſſe. *Jacobitas* omnes, ſive Armenii ſint, ſive Cophti, ſive Abyſſini, Monophyſitas eſſe. *Melchitas* (quos etymologiæ argumento Latine *Regios* diceres) id nominis adſciviſſe, quod religionem *Regis* ſive Imperatoris Romani, in ſynodo *Chalcedonenſi* decretis firmatam, amplecti ſeſe teſtari voluerint.

p. 14. p. 19. p. 25. p. 31. p. 43. p. 38. p. 57

Digitized by Google

Maronitas univerſos eccleſiæ caput agnoſcere Romanum Papam, qui
viciſſim conniveat ad conjugium clericorum, & euchariſtiam ſub utra-
p. 63. que ſpecie, inter illos priſtinis abhinc ſæculis uſitatam: attamen non
paucos Syrorum, qui Romæ in collegio Maronitico, a Gregorio XIII,
inſtituto, aliquo temporis tractu vixere, in patriam reverſos more
Latinorum & a *conjugio* & ab *altera ſpecie* in ſacramento altaris ſibi
temperare cœpiſſe. Luſtratis cæteris eccleſiis, quarum nomina re-
petere nimis longum foret, vela orationis contrahit, ac appellit ſub
p. 87. finem libri ad *Californiam*, quam anno demum 1683 ſub Chriſti &
Monarchæ Hiſpani obedientiam redegit Marchio de *Laguna*, Prorex
Mexicanus, miſſis illuc navibus duabus bellicis ſub imperio Iſidori de
Arondo ſummi præfecti claſſis Novæ Hiſpaniæ, totidemque Patribus
Jeſuitis, Matthia *Gogni* & Euſebio Franciſco *Quino*, quos multas Bar-
barorum animas in ſuas pertraxiſſe partes fama tulit.

LIBRO SECUNDO recenſus eccleſiarum Europæarum inſtitui-
tur. Non paucæ heic earum antiquitates indigitantur, quas ab aliis
fuſius jam dum pertractatas ſilentio prætervehimur. E recentio-
ribus, quas Roquius tradit, rebus pleraque memoria lectoris benevoli
nondum excidiſſe arbitramur. Lubet tamen & hinc & illinc excerpta
p. 97. nonnulla in medium proferre. Meminit igitur diei natalis Alexan-
dri VIII. R. P. (nuperis Kalendis Februariis defuncti,) qui fuit 19. Apr.
p. 98. A. 1610. Adjicit catalogum Cardinalium ſuperioris anni menſe Februario
p. 125. ſuperſtitum. Ad *Genuenſes* delatus refert, propria auctoritate eos
res ſuas eccleſiaſticas coram duplici tribunali, Papis licet plus ſimplici
vice contra nitentibus, expedire, ac quid in iis faciendum omittendumve
ſit, pro lubitu decernere, privilegio etiam Innocentii IV. nunquam
Sedis Pontificiæ excommunicationem incurrere. In rebus *Germa-
nicis* paroramata quædam notabimus, bona, ut ſperamus, Clariſſimi
Auctoris cum venia, qui eruditionis famam & exiſtimationem præ-
claris in rempublicam litterariam meritis dudum partam facile tuebi-
tur, etſi in his exoticis alicubi fortaſſe ceſpitaverit. Lib. II. pag. 145.
ait, Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Colonienſis ex ſexaginta Cano-
nicis, iisque nonniſi Principibus & Comitibus componi. Sed alii
quinquaginta tantum numerant, atque inter hos locum quoque habent
octo privatæ ſortis viri, juris tamen Doctores aut Licentiati. Pag. 148.
Gebhardus Truchſeſius, cum Auguſtanæ Confeſſioni ſe addixiſſet, credi-

tus

Digitized by Google

tus dicitur excidiſſe Colonienſi, quem obtinuerat, Archiepiſcopatu, vi decretorum *Paſſavienſis* atque Auguſtani. Et decreto quidem Comitiorum Auguſtanorum A. 1555. famoſum illud Reſervatum Catholicum, ad quod haud dubie Auctor reſpexit, invitis licet Proteſtantibus, fuit inſertum, cautumque, ut Epiſcopus ad Proteſtantes tranſiturus Epiſcopatu ſuo decederet: aſt pacto Paſſavienſi, quod triennio ante concluſum erat, hac de re nihil fuit conſtitutum. Pag. 150. Magdeburgenſem Archiepiſcopatum A. 1648. tenuiſſe dicitur Auguſtus, Electoris Saxoniæ *frater*. Erat vero is Electoris tum regnantis Joh. Georgii I. glor. record. non frater, ſed filius ſecundo-genitus. Pag. 152. memoratur, Epiſcopum Hildeſianum pacto cum Domo Brunſvicenſi A. 1643 inito conſenſiſſe, ut Duces ditionibus, quas eorum Majores Epiſcopatui quondam eripuerant, quiete fruerentur, atque ſic totum prope territorium Hildeſiani Epiſcopatus Brunſvicenſi Ducatui incorporatum fuiſſe. Sed longe aliter ſe res habet. Nam per illam transactionem a Ducibus potius Epiſcopatui reſtituta fuere, certis tamen legibus, quæ eorum Majores ultra ſeculum poſſederant. Pag. 156. conſtitutum dicitur in Inſtrumento Pacis Oſnabrugenſis, ut Epiſcopatum Oſnabrugenſem alternis vicibus Princeps aliquis Romano-Catholicus ex Domo Brunſvicenſi, & Princeps Lutheranus ex eadem Domo obtineret. Hæc talia legenti Sereniſſima illa Domus videri poſſet partim Romanis ſacris addicta, partim Evangelica. Sed per Dei gratiam nullum hoc tempore Principem illius Familiæ novimus, Romano-Catholicam religionem profeſſum. Dein alternativa ſucceſſio admittenda expreſſe in Inſtrumento Pacis dicitur inter Catholicos Epiſcopos *ex gremio Capituli electos vel aliunde poſtulatos*, atque Auguſtanæ Confeſſioni addictos ex familia Brunſvico-Luneburgica Principes. Quemadmodum & hodiernum Reverendiſſimum Epiſcopum Dn. *Erneſtum Auguſtum*, Evangelicum hujus Domus Principem, non ex eadem Catholicus alius, ſed *Franciſcus Wilhelmus* Comes Wartenbergicus præceſſit. Pag. 159. Epiſcopus Conſtantienſis dicitur ſuprematum, ſeu ſuperioritatem territorialem (*Souveraineté*) obtinere in Diœceſi ſua, excepta Imperiali urbe Conſtantia. Sed primum urbs Conſtantia non Imperialis ſeu Libera hoc tempore eſt, ſed juris Auſtriaci, circa medium ſuperioris ſeculi in Domus Auſtriacæ poteſtatem redacta.

 Dein

Digitized by Google

Dein non per univerſam Diœceſin reliquam, quæ utiq; latiſſime patet, ſed in ſuo tantum territorio, quod anguſtioribus limitibus circumſcribitur, ſuprematum obtinet Epiſcopus. Diœceſin enim Epiſcoporum Germaniæ cum eorundem territorio confundi non debere, rerum harum
p. 157. periti norunt. De Epiſcopatibus Bambergenſi & Herbipolitano inquit Auctor: *Impræſentiarum ambo tenentur, aut nuperius certe tenebantur a Petro Philippo de Dernbach.* Verum non ſuccurrit hæc ſcribenti, Dernbachium noctu inter 22. & 23. Apr. 1683. mortuum ſucceſſores habuiſſe in Bambergenſi *Marquardum Sebaſtianum Schenckium de Stauffenberg*, (cujus, ceu Epiſcopi *Aichſtetenſis*, obitum lib. V. pag. 594. ad 17. Jan. 1685. ipſemet refert,) in Herbipolitano *Conradum Wilhelmum de Werdnau*, ac (cum & hic fato eſſet functus) *Joannem Godofredum a*
p. 164. *Guttenberg*. Ultimum *Magnum Magiſtrum Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani* Roquius vocat Cardinalem *Fridericum, Landgravium Haſſiæ*, Uratislaviæ epiſcopum. Sed hic non fuit ultimus (*le dernier qui poſſedoit cette dignité*). Huic enim 19. Febr. 1682. mortuo ſurrogatus fuit *Franciſcus a Sonneberg* Helvetus, qui obitu ſuo locum vacuum reliquit, quem Eques Weſtphalus e Baronum *Droſte de Fiſcheringen* ſtirpe prognatus totius Ordinis ſuffragiis occupavit, paulo tamen poſt mortalitate poſita, ceſſit *Hermanno a Wachtendonck* Nobili Weſtphalo; quæ univerſa Auctor noſter diſcere potuiſſet e nobiliſſimi *Imhofii* Notitia Procerum S. R. J. A. 1684. primitus emiſſa, A. 1687. cum non magno eoque fere tumultuario augmento recuſa, propediem vero cum accu-
p. 180-193. ratiſſimo ac ad noſtra tempora pertingente ſupplemento typis tertium ſubjicienda. Inter Archiepiſcopatus *Gallicanos*, ut ad hos pergamus, recentiſſimus eſt Albienſis, auctoritate demum Innocentii XI. R. P. 3. Oct. 1678. ex epiſcopatu Archiepiſcopatui Bituricenſi ſuffragante ad axioma metropoleos evectus. Nota eſt cõtroverſia de *primatu Luſitaniæ*, quem in concilio Tridentino tanto conamine affectavit Archiepiſcopus Bracarenſis, *Bartholomæus de Martyribus*, ac, utut ringentibus Olyſſiponenſi & Eborenſi Metropolitanis, *Philippi II.* Hiſpaniæ Regis indultu obtinuit. Neque hoc ſuo jure, poſt translatum Luſitaniæ imperium in Familiam Bragantinam, exciderunt ejus ſucceſſores, quin, quocunque iter faciant, per totum regnum *crucem Primatis* præferri ſibi curant. *Cameracenſem* epiſcopatum Paulus Papa IV *Rhemenſis* Archiepiſcopi jurisdictione exemit, & in metropolim erexit; Gallis nunquam

Digitized by Google

quam non fruſtra proteſtantibus. Cum igitur Rex Galliæ Cameracum jure belli in ſuam ditionem redegiſſet 17. Apr. 1677, Archiepiſcopus *Rhemenſis* proteſtatione ſolemni 14. Febr. 1678. jus ſuum in epiſcopatum Cameracenſem urſit, illis dubio procul argumentis uſus, quæ hanc in rem pleno modio admetitur Roquius. Nondum autem ſententiam deciſivam Rex tuliſſe videtur. E *Poloniæ* epiſcopatibus non unos indicat Roquius, qui duos ſimul præſules, unum Romano-Catholicum, alterum Græco-Schiſmaticum alant. Imo *Leopolis*, Ruſſiæ Nigræ metropolis, utpote civibus triplicis religionis habitata, ſedes eſt tum Archiepiſcopi Latini Romano-Catholici, tum Archiepiſcopi Armenorum Romano-Catholici, tum denique Epiſcopi Ruſſici Græci ſchiſmatici. Libri hujus ſecundi extrema occupant partim digreſſio de variis generibus ac mutationibus *Liturgiæ* in Sacramento altaris, partim duplex catalogus omnium totius orbis Chriſtiani *epiſcopatuum.* p. 227-232. p. 238. p. 255. p. 266-277.

Præmiſſis libris illis duobus ad inſtar propylæi, Auctor opus ipſum auſpicatur, & inter ea, quæ A. 1685. contigerunt, primo loco enarrandam ducit *converſionem Reformatorum Gallorum.* Integro igitur libro TERTIO deſcribit, quibus gradibus quibusque de cauſſis Rex ad tantæ molis opus proceſſerit. Et quemadmodum heic exulum de perſecutione exantlata querimoniæ calumniarum poſtulantur: ita tum exemplis, tum rationibus, toto libro QUARTO defendere nititur Roquius, quicquid Proteſtantibus in abolitione Edicti Nannetenſis ac cæteris id genus Ludovici XIV. geſtis iniquum viſum fuit.

Libro QUINTO cætera, ordine iterum Geographico, exiguntur, quæ annum 1685 in eccleſia Romana notatu dignum reddiderunt. Legi heic meretur bulla Innocentii XI data Romæ 10. Maji 1685. qua Superiori Ciſtercienſium generali abſoluta poteſtas fit convocandi ſynodum, id quod non niſi ſuo conſenſu prius obtento fieri debere voluerant quatuor Abbates monaſteriorum Ciſtercienſium, de Firmitate, (*de la Ferté,*) de Pontigniaco (*de Pontigny,*) de Claravalle (*de Clairvaux*) & de Morimundo (*de Morimond*). Ubi dein *Fulgentii Travelloni* Generalis Ordinis D. Auguſtini d. 2. Junii electi mentio injicienda fuit, anſam arripit Noſter in hiſtoriam totius illius Ordinis excurrendi. Subjungit dein Michaelis de Molinos dogmata & ſiniſtra facta, obitum Cardinalium *Carraccioli, Caſtaldi, Homodei, Savelli* atque *Grimaldi*, promotiones *Nerlii* aliorumque ad beneficia eccleſiaſtica, p. 515-520. p. 530. 541.

digreſſio-

p. 544. digreſſionem de *pallio* epiſcopali, itemque de Sede *Beneventana*, quam
547. morte *Caſtaldi* vacuefactam conſcendit Cardinalis *Urſinus*; porro legata
p. 548. ad pias cauſſas *Maffæi Barbarini* Principis Paleſtrinæ, & *anuarii Capuani*,
p. 549. fratris Ducis *Termoli*; translationem denique corporis S. Zenobii epiſcopi & patroni Florentini. Rebus *Italicis* expeditis, ad *Gallicas* re-
p. 550. vertitur Roquius, multaque de iis commentatur. Heic tamen oculos
p. 551. præ cæteris feriunt digreſſiones de Ordine *Minimorum* a *Franciſco de*
p. 553. *Paula* inſtituto, & de Abbatiæ Cluniacenſis fundatione ac reſtauratione, quarum illa A. 910, hæc A. 1676. contigit. Ubi notatu non indignum videtur, Abbatem, Priores, Officiales, cæterosque illius Abbatiæ Monachos (etſi non-conſecrantes) Euchariſtiam accipere *ſub utraque*. In Regis deinde laudes effunditur Auctor, quod Legatorum ſuorum
p. 555. precibus, tum apud Perſarum Monarcham *Armeniis orthodoxis* libertatem ab exactionibus & perſecutionibus Proregis Nakchavanienſis,
p. 557. tum apud Turcorum Imperatorem *Monachis Latinis* cuſtodiam ſacri
565. ſepulchri procuraverit. Notat quoque dies emortuales *Caroli Bur-*
p. 566. *lonii* Epiſcopi *Sueſſionenſis*. (cui ſucceſſor datus *Petrus Daniel Huetius*,) d. 26. Oct. *Joannis de Montpeſat de Carbon* Archiepiſcopi *Senonenſis*, d. 5. Oct. *Theodori Alardi* Epiſcopi *Vincienſis* d. 13. Nov. *Piqueti* Epiſcopi *Cæſaropolitani* in Perſia, d. 25. Auguſti; annexis excurſionibus de ori-
p. 570. ginibus Abbatiæ *S. Genovefæ* Pariſienſis, epiſcopatus *Rhegienſis* in Pro-
p. 572. vincia, *Aturenſis* in Vaſconibus, ut & Archiepiſcopatus *Aquarum Sexti-*
p. 575. *arum*, hujusque æmuli *Senonenſis* Archiepiſcopatus. Nec reticet pro-
p. 576. motiones *Fleſcherii*, (qui variis parentationibus, vita Theodoſii Magni, vitaque Commendoni Cardinalis a Gratiano Latine conſcripta, a ſe vero Gallice reddita, inclaruit,) ad epiſcopatum *Vaurienſem* in Occitania, itemque aliorum ad alia beneficia Eccleſiæ Gallicanæ. Hinc
p. 594. ad Germanos pergit, refertque jacturam eos feciſſe hoc anno 1685. *Marquardi* Epiſcopi *Aichſtetenſis* d. 17. Jan. *Georgii Szelephani*, Archiepiſcopi *Strigonienſis*, eodem menſe, *Emerici* Cappuccini Epiſcopi *Viennenſis* menſe Februario, *Marci Renati Franciſci Sluſii*, Canonici Leodienſis, Polyhiſtoris, ſed Geometricis potiſſimum ſcriptis clariſſimi d. 19. ejusdem menſis, *Alberti Sigiſmundi* Bavariæ Ducis Epiſcopi Friſingenſis & Ratiſponenſis menſe Decembri juxta Roquium, aut potius d. 4. Nov. Narrat dehinc *Colonitſchium* in Arrabonis ſedem epiſcopalem, Comitem *Trautſonium* in Viennenſem, aliosque in alias,

auſpiciis

auſpiciis Imperatoris Auguſti, nec non Ducem *Neoburgicum* Romano-Catholicum in Electoralem Palatinam collocatos. Neque ſilentio preſſit, quid armis Germanorum, Polonorum atque Venetorum contra Turcas effectum fuerit. E rebus Hiſpanicis potiores ſunt mors *Joannis Alphonſi Salizanes*, Cordubenſis epiſcopi, & promotiones *Monroji* ad Archiepiſcopatum Compoſtellanum, *Franciſci Alvari* ad Meſſanenſem, *Ferdinandi Baſſani* ad Panormitanum, &c. nec non Decretum Inquiſitionis Leridenſis in Arragonia contra *Michaelis de Molinos* Manuductionem ſpiritualem, datum 24. Nov. 1685. Anglicam deinceps hiſtoriam a *Titi Oates* contra *Jacobum II.* machinationibus ad decollationem uſque Ducis *Montmuthenſis* continuo orationis filo pertexit Roquius, finemque imponit libro quinto ablegatione Equitis *Chaumont* & Abbatis *Choiſy* in regnum Siamenſe. p. 605. p. 610. 625. p. 626.

Hactenus ordine *geographico* memorias anni 1685 non incommode diſpoſuerat; nunc LIBRO VI. in geſtis anno 1686 ordinem chronologicum obſervat, & a lectoribus conſilium expectat, utrum priori, an poſteriori modo ſequentium annorum memorabilia in ordinem redigi expediat. Extantiora hujus libri contenta ſunt ea, quæ ſequuntur: Die 7. *Jan.* Rex Galliæ, declaratione edita, prohibuit, ne filii familias, tyrones mechanici, itemque conjugati, ſub ſpecie *peregrinationis* ad D. Jacobi in Gallicia aut ad D. Mariæ Virginis Lauretanæ, extra regni fines evagarentur. *Kalendis Februarii* Dux Sabaudiæ *Waldenſibus* optionem dedit, aut religionem mutandi, aut patriam linquendi. *D. 2. Maji* Cardinalis *Eſtræus* Romæ memoriam converſionis Reformatorum Gallorum feſtivitate ſolemni celebravit, in templo S. Trinitatis de monte, cujus *decorationes* emblematicæ a Roquio exactius repræſentantur. *D. 6. Junii* obiit Zvvollæ in Tranſiſulania *Joannes Neercaſſel* Gorcomio Batavus, ex Oratorii D. Jeſu presbytero epiſcopus Caſtorienſis ac per Belgium fœderatum Vicarius Apoſtolicus, ætatis LX, Epiſcopatus XXIV anno. Ejusdem menſis *die 27.* in Parlamento Pariſienſi lis inter Epiſcopum Cenomanenſem, *Ludovicum de Lavergne-Montenard de Treſſant*, & Capitulum eccleſiæ cathedralis *Cenomanenſis* multis annis agitata, ita deciſa eſt, ut Canonici cauſſa ceciderint, & nullam ab epiſcopali jurisdictione exemptionem affectare juſſi ſint. *Die 6. Auguſti* epiſcopus Capuanus *Melzius* vita exceſſit. *Vigeſimo Maji* Innocentius XI. duplici diplomate indulſit Regi Galliæ p. 662. 668. p. 704-710.

X nomi-

nominare candidatos ad epiſcopatus *Audomarenſem* & *Yprenſem*, ut & ad omnia Comitatus *Burgundiæ* beneficia, quæ jure pacis Neomagenſis ex Hiſpanorum ditione in Gallorum poteſtatem venerant. Idem 2. *Septembris* Cardinales creavit viginti ſeptem, e quibus jamjam obierunt *Maximilianus Gandolphus* Archiepiſcopus Salisburgenſis, *Angelus Ranuzzi*, Archiepiſcopus Bononienſis, *Horatius Matthai*, Archiepiſcopus Damaſcenus, *Joannes Sluſius*, Secretarius Brevium. Sub calcem voluminis rejecta eſt narratio de Patre *Lacoſta* Dominicano, quem *Galibes* barbaros ad fidem magna ex parte convertiſſe dicit Roquius; queritur tamen, vicinos Belgas, qui coloniæ Surinamenſis nomen obtinent, pios ipſius conatus, crudeliſſima perſecutione excitata, evertiſſe; unde ille in Europam reverſus, Romæ rationem a ſe actorum Papæ redditurus, in itinere, mœrore forſan confectus, obierit. Cæterum libro hoc ſexto bella Hungarica, res Jacobi II. Regis Angliæ variæ, calamitates Waldenſium, aliaque id genus memoriæ produntur, quæ enumerare ſupervacaneum videtur, cum talia haud omiſſa fuiſſe conjectu cuivis facile ſit. Immiſcentur inſuper digreſ-
p. 645. ſiones de *expectativis* beneficiorum obtentis a Rege ex *jure*, quo is pol-
p. 650. let, *primariarum precum*; de Conventu *Mathurinorum* Pariſienſi; de Or-
p. 666. dine equitum *D. Stephani* Magni Ducis Hetruriæ; de ſede Pontificum
p. 669. Romanorum *Avenionenſi*, (e qua poſt LXX. annorum intervallum Romam, ad inſtar Iſraelitarum poſt tantum temporis ſpatium ex Ba-
p. 685. f. bylonica captivitate reducum, reverſi ſunt;) de archiepiſcopatu *Auxitanenſi*, &c. Operi tum *ſummaria*, tum *index rerum* accedunt.

DEFENSE DU TEXTE HEBREU ET DE la Verſion Vulgate, &c.

id eſt,

R. P. Michaelis Lequien Defenſio Textus Hebræi & Verſionis Vulgatæ, reſponſionis loco futura ad librum, cui titulus: *Antiquitas Temporum*, &c.

Pariſiis, apud Amabilem Auroy, 1690. in 12. plagul. 21.

P*Auli Pezronii*, Bernhardinorum Prioris Pariſienſis, *Antiquitatem temporum reſtitutam* kalendis Septembris atque Octobris A. 1687. ad

Digitized by Google

ad Acta Eruditorum retulimus, ſpe freti, fore, ut *Matthias Waſmuthus*, Profeſſor Kilonienſis, judicium de illa ſuum cum literato orbe communicaret. *Annalibus* enim *cœli & temporum*, quos tum moliebatur, non poterant non e diametro adverſa eſſe novi illius Chronographi paradoxa. Verum ſpes iſta decollavit, ex quo hic $\frac{1}{1}\frac{8}{8}$ Nov. 1688. tempori valedixit, beatæque æternitatis compos factus eſt. Utinam autem non ſimul illa quoque decollaſſet ſpes, quam orbi erudito de Annalibus ſuis fecerat! Nam licet clariſſimum *Samuelem Reyherum*, eorum quondam encomiaſten, obſtetricantes manus fœtui illi poſthumo adhibiturum, non pauci crediderint, parum tamen abeſt, quin hodie ab omnibus de editione operis laborioſiſſimi conclametur. Interea non defuere, qui virgula cenſoria in Pezronii hypotheſes animadvertendum ſibi arbitrarentur. Ex his prior vocitatur Domnus *Martianay* Benedictinus, cujus labores nondum vidimus. Alter eſt *Michael Lequien*, Bononienſis Gallus, monachus Ordinis Prædicatorum Pariſienſis, præſentis libelli auctor. Duabus hic partibus abſolvitur, quarum *priori* Hebræi textus auctoritas, infra ſeptuagintaviralem verſionem non deprimenda, *poſteriori* integritas fontium Ebræorum & verſionis Vulgatæ in rebus Chronologicis vindicatur.

Parte igitur *priori* ante omnia negatur, ſeptuagintaviralem verſionem a Chriſto & Apoſtolis pro authentica agnitam, non item Ebræum textum. Contrarium probatur ex *Matth. II. 15. Joh. XIX. 37. Matth. XII. 18. Rom. IX. 17. I. Cor. XV. 54.* ubi loca *Hoſ. XI. 1. Zach. XII. 10. Eſai. XLII. 1. Exod. IX. 16. Jſai. XXV. 7.* citantur ad mentem Ebræi textus, a quo maximopere Interpretes Græci illic diſſident. Urgetur e Lightfooto, Judæos in Palæſtina Græcæ linguæ utplurimum imperitos, adeoque non fuiſſe cauſſam, cur Servator ejusque diſcipuli in allegationibus ſuis ſeptuaginta ſenes ſequerentur. Aliter ſe rem habere cum Luca, qui pro Græcis ſcribens, citationes ab iſtis viva voce ex Hebræo (vel potius Chaldæo paraphraſte) factas Græce ita reddiderit, ut verſioni illi reſponderent, cui aſſueti erant Helleniſtæ. Certe ſi Judæi textum ſuum corrupiſſent, uti voluit Pezronius, indubium eſt, Chriſtum illud eis exprobraturum fuiſſe. Hæc aliaque (a noſtratibus Theologis contra antiquiores quosdam Pontificios ſæpius prolata) cum dixiſſet *Lequienus*, auctoritate *Origenis*, *Hieronymi*, itemque qui Septuaginta interpretes ad ductum Hebræi codicis emendare auſi ſunt,

C. 1.

C. 2.

Digitized by Google

Luciani ac *Heſychii* probat, nec prioribus ſeculis a nato Chriſto Græcos rivulos Hebræis fontibus præferri ſueviſſe apud Patres doctiores.
c. 3. Imo ex quo Hieronymi verſio Latina applauſum eccleſiarum occidentalium obtinuit, certatim Patres Pontificesque Romanos, ſigillatim *Gregorium Magnum*, & approbatores *Decreti* a Gratiano ex Hieronymi quoque dictis compilati, obſervat in id eniſos eſſe, ut quotiescunque Græci ab illa diſſentirent, ad Ebræi fontis authentiam recurrendum dictitarent.

c. 4. 5. Reſpondet dein ad tritiſſima SS. Patrum loca, ubi Judæi textum ſuum corrupiſſe feruntur; & cum Richardo Simone ſtatuere videtur, ea maximam partem aut non ſatis intellecta nobis, aut potius non ſatis intellexiſſe ipſosmet Patres, quid de hoc argumento dici par eſſet.
c. 6. Præcipue vero provocaverat Pezronius ad *Geneſ. XVII. 14.* ubi τὰ *octavo die* ſuſtuliſſe Judæos, conſuetudini ſuæ, circumciſionem ultra octavum diem quandoque differendi, velificaturos, ſuſpicatus fuerat. Aſt hoc merito improbabile videtur *Lequieno*, cum ex v. 12. ejusdem capitis, nec non ex Lev. XII. 3. pateat affatim, Judæos noluiſſe e bibliis ſuis tollere verba illa, quibus ad circumcidendum infantes octo præciſe dierum obligabantur. Septuaginta itaque ſenes illa τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ *Gen. XVII. 14.* adjeciſſe, non quod inveniſſent in Ebræo, ſed ut paraphraſtice pro more ſuo textum illuſtrarent. Vocem כארי *Pſ. XXII.* in mendo cubare concedit Adverſario, negat autem id fraude accidiſſe Judæorum, quos potius laudat, ob alteram variantem lectionem כארו in plerisque codicibus una cum iſta annotatam; itemque ob ſingulare
c. 7. ſtudium S. Biblia intemerata aſſervandi. Hinc reſpondet ad dictum Talmudicum ab *Iſaaco Voſſio* & *Pezronio* in ſequiorem ſenſum, (ut Noſter putat) detortum: *Bonum eſt, ut litera evellatur e lege, ut nomen Dei ſanctificetur.* Neque enim aliud quid hoc axiomate ſuaderi monet, quam ut codicum privatorum exſcriptores nomen τετραγράμματον non perfecte exarent, ſed pro יהוה aut ידוד aut יי aut ה ponant, ne forte illi in terram delabantur profaniusve tractentur, ac hoc pacto profanetur ipſummet ineffabile ac ſacroſanctum nomen Dei. Urget viciſſim πολυθρύλλητον iſtud Rabbinicum: *Non eſt litera in lege,*
c. 8. *a qua non magni montes pendeant.* Mox varias detegit cauſſas, cur ſæpenumero ab archetypo Ebræo ectypon Græcum diſcrepet, easque
c. 9. in vulgus notas; quibus addit loca prophetica V. T. non pauca, neque

ignotiora

ignotiora de Chriſto juxta Ebræum textum & allegationes in N. T. factas agentia, a ſeptuaginta autem interpretibus in ſenſum plane alienum raptata atque deflexa.

Initio *Partis ſecundæ* Lequienus reſpondet ad dictum, quod apud Judæos circumferri non ſemel inculcaverat Pezronius, de ſex millenariis mundi, quorum ſub finem Meſſiæ adventus expectandus ſit. Negat probabile eſſe, numeros annorum patriarchalium a Judæis corruptos, ne millenarius VI, adeoque & tempus, quo Meſſias venire debuit, præterfluxiſſe credatur. Namque Talmudiſtas in *Sanhedrin, Abboda Sara* & *Schabbath* effatum illud Domus Elianæ ita referre, ut tradant, duobus millenariis ſubſtitiſſe mundum absque lege, duobus legis tempus fuiſſe, duobus dies Meſſiæ fore. Accedere R. Salomonem Jarchi aliosque interpretes, qui multum temporis elapſum jam eſſe fatentur eo abhinc termino, quo Meſſiæ adventus juxta hanc traditionem expectandus erat. Non immerito igitur concludit Auctor, Judæos non corrupiſſe chronologiam Moſaicam, cum hæc ea, qua ſe hodie habet, ratione, ſententiæ noſtræ, quod Jeſus Nazarenus exeunte quarto millenario venerit adeoque Meſſias ſit, admiſſa illa Elianorum traditione, faveat magis, quam adverſetur. Probari cupit, apud Judæos πατροπαράδοσιν haberi, quod Meſſias ſub finem millenarii VI. venire debeat. Utut enim tale quid apud *Julianum* Toletanum Archiepiſcopum in libris *contra Judæos* legatur, (ubi & his dica impingitur, ac ſi temporum patriarchalium ſeriem contractiorem reddidiſſent,) *Lequienus* nihilominus pluribus monſtrat exemplis, bonum illum virum multoties dormitaſſe, dum veterum Chriſtianorum, *Epiphanii, Auguſtini, Hieronymique* ſententias refert, ex fide nimirum aliena, aut absque contextus conſideratione attentiore, adeoque nec hanc controverſiam ejus arbitrio dirimendam. *Abulpharajum*, ſeculi XIII. ſcriptorem Arabem, absque Veterum auctoritate Judæis eandem corruptorum bibliorum actionem intentantem, contemnit, ac ceu teſtem ob ætatem & rerum harum imperitiam inidoneum rejicit. Explodit deinceps Pezronii conjecturam, R. *Akibam*, Ælii Hadriani Imperatoris coætaneum & Aquilæ Apoſtatæ magiſtrum, manum intuliſſe criticam Geneſi Moſaicæ, ut ægre Chriſtianis faceret. Namque uti hæc nullo prorſus teſtimonio ſuffulcitur, ſic vel hoc dilemmate haud difficulter ſubruitur: Aquila aut *ante* aut *poſt* cladem *Bar Chochbæ* id c. I.

 facinoris

facinoris perpetravit. Non *ante*. Namque ab omnibus credi volebat, Barchochbam eſſe Meſſiam, adeoque non expunxiſſet ſecula quindecim e chronologia Moſaica, ea tantum ratione inductus, ut demonſtraret Jeſum Nazarenum non poſſe eſſe Meſſiam, eo quod ad terminum adventui illius in prophetarum ſcriptis fixum plures mille annis reſtarent. Eadem quippe opera adverſariis ſuis argumenta firmiſſima miniſtraſſet, *Barchochbam*, utpote non niſi ſeculo uno ab ætate Jeſu diſtantem, repudiandi. Neque vero *poſt* impoſtoris illius mortem integrum fuit Akibæ, ſacrilegium iſtud committere. Paulo enim poſt *Betheræ* captus interiit, aut certe a Romanis miſerum in modum extarnificatus non diu ſupervixit. Sed ut magis liqueat, Septuagintaviralem chronographiam nullo modo meliorem eſſe Ebraica, urget Lequienus, quod juxta verſionis illius probatiſſimos codices Mathuſala ultra diluvium ſuperſtes fuerit. Et cum in his aliisque rebus id genus Pezronius Ebræorum bibliorum lectionem verſioni Græcæ prætulerit, nihil cauſſæ fuiſſe ait, quominus & in cæteris Ebræos ſequeretur, nullius adhuc parachroniſmi convictos.

c. 4.

c. 5. Agit dehinc de *Fl. Joſepho*, eumque ad ductum bibliorum Septuagintaviralium a ſciolis librariis perperam correctum probat ſatis eviden-
p. 317-337. ter; qui Noſtri locus uti prolixior paulo eſt, quam ut in compendium redigi queat, ita in toto opuſculo omnium maxime notabilis ac lectu
c. 6. dignus videtur. Nonnullas porro Pezronii conjecturas impugnat Lequienus, aut eadem potius facilitate, qua allatæ fuerant, rejicit, curatius vero agit de *Cainane* ſecundo, *Uſſerii* de eo placita potiſſimum amplectens. Neque *Chaldæorum* & *Arabum* Reges, Nimrodum proxime inſequentes, *Ægyptiorum* Dynaſtas aut Reges ac *Chinenſium* Monarchas antiquiores mitius tractat; adeoque e fabuloſis horum chrono-
c. 8. logiis negotium Judæis faceſſi vetat. *Romanæ* etiam *Eccleſiæ* auctoritate pugnat contra Pezronium, utque Vulgatæ, Ebræam chronologiam exactius referentis, Græcam poſthabeat verſionem, eundem obteſtatur. Coronidis loco *anarchias* illas prolixiores, quas *Judicum* Ebræorum regiminibus & populi *ſervitutibus* ex liberrima conjectura interjecit Pezronius, confutat. Sed non eſt, ut his immoremur; quin
p. 92. 345. potius, cum *Samaritanorum* calculum una alteraque vice reprobarit Noſter, occaſione hac commoda illecti, Lectori benevolo invidere noluimus *chronologiæ Samaritanæ laterculos binos*, e MSCtis excerptos, aut Latine verſos, nobisq; per epiſtolã nuper cõmunicatos a clariſſimo Oxonien-
ſium

ſium Profeſſore *Edvardo Bernardo*. In tanta enim memoriarum Samaritanarum penuria vel hæc breviaria theſauri inſtar habebuntur rerum orientalium cupidis.

CHRONOLOGIÆ SAMARITANÆ SYNopſis a Cl. Edvardo Bernardo ex Manuſcriptis eruta & Oxonio transmiſſa.

Pinacion primum.

Anni ante Chriſtum	Mundi	
4425.	1.	Rerum conditus.
3118.	1307.	Diluvium Noe.
2176.	2249.	942 diluvii, natalis Abrahami.
2101.	2324.	1017 diluvii, exiit e Charrane Abrahamus, natus annos LXXV.
1671.	2754.	1447 diluvii, 595 Abrahami nati, Exodus Hebræorum abs Ægypto.
1631.	2794.	40 Exodi. Obierunt Aaron ſacerdos & frater ejus Moſes Legumlator annos natus CXX. Finis Pentateuchi Sacri. Initium Joſue Principis & ſimul annorum Redvan, quod eſt gratiæ aut faventis Numinis. Statim ab ingreſſu terræ Canaan, menſe Niſane, nubis prodigium a Tabernaculo Dei receſſit. In culmine Garizim bis ſex lapides Jordanii & Scena ſacra reponuntur.
1625.	2800.	46 Exodi, anno ſeptimo imperii ſui terram Canaan in Iſraelitas diſtribuit Joſue. Anno eodem ſacro, ſed civili ſequente, abs initio menſis ſeptimi, qui & Tiſris vocatur, proceſſit *Semita* omnium prima, quæ eſt primi ſeptennii σεισάχθεια apud Hebræos.
1612.	2813.	59 Exodi, 13 poſſesſionis terræ Canaan, ego Abiſua filius Pinchaſi filii Eleazari, filii Aaronis ſacerdotis, exemplar iſtud legis cõſcripſi pro foribus tabernaculi Conventus in Hargarizim. Anno eodem diei naturalis modum horis 24 (31112) determinavit Pinchaſus.

1606.

1606. 2819. 65 Exodi, moritur Joſue Dux, cum imperaſſet annos XXV & menſes aliquot, vixiſſetque annos CXX. Sepultus autem eſt in Temna, quæ & Gaureta.

1371. 3054. 300 Exodi; Subinde a nece Somſonis, qui & Samſon vocatur, cum disſidentibus inter ſe Aaronis nepotibus Deos alienos populus quæreret, exierunt bona tempora, Gratiæ anni CCLX. Imo vero denſisſimis tenebris oppreſſum ſubſedit ipſum Tabernaculum Hargarizim & evanuit, Ozi Pontifice multum obſtupeſcente. Tum Pontificatum uſurpavit in Silunte annos L Elis filius Jophni e domo Ithamari,

708. 3717. Decem tribus Iſraelitarum in Edeſſam, Charranem & Ninum captivas abduxit Aſſyrius cum Acbia Pontifice: qui vaſis ſacris in monte Garizim prius defosſis legis volumen in Ninum ſecum detulit.

1190. 3235. moritur David, Rex Hebræorum, cum regnaſſet annos XLVII, vixiſſetque annos LXV, a die primo Scenopegiorum anni ipſius *Semitæ*.

1186. 3239. Salomon Rex Hebræorum Templum Deo in Jeroſolymis, quæ & Ælia, & Cuds, & Beitmæctas, anno Regni ſui quarto extruere cœpit, cum Jair Pontifex cultoribus Hargarizim præſidebat.

1149. 3276. Initio Roboami fatui Principis in factiones quatuor abierunt Hebræi. Familiæ enim Pinchaſi & Joſephi tenebant montem benedictum Garizim: atque domum Mæktas, *diruendam* illam ædem Solomonis, frequentabant Judæi. Pars autem tertia Jeroboamum ſecuta eſt in Sebaſten & Dan: & ad ritus gentium defecit reliqua. Hoc tempore miraculis claruit Elias Propheta, ſicut poſteris temporibus Elis Eſcanida, & Abdelus, & Sedecias, & Eliſemas, & Apollonius.

520. 3905. A. 35 Abdeli Pontificis Samaritani, in terram ſanctam redeunt ab exilio, volente Rege Sauredio (Dario) tercenties mille Iſraelitæ cum familiis, duce Adi filio Simeonis. Alphabethum Hebraicum ſeptem & viginti literis, quarum quinque erant finales, ſcribit Ezra.

Ann.

Anni ante natũ Christum | Anni Mundi

331. 4094. Alexandro Magno, cum per Neapolin Samariæ in Ægyptũ contenderet, in genua decumbenti benedixit Hezechia, Pontificatus ſui anno 15: qualem hominem habitu ſacerdotali per quietem nuper viderat Macedo, de bello Perſico proſpera ei quæque promittentem. Hunc ergo antiſtitem & gentem Samaritarum donis magnis cumulavit Alexander; item hoc elogio: Jam certe novi, Deum veſtrum Diis cunctis eſſe majorem. Idem Hezechia hymnos ſacros compoſuit, & Hoſanna.

330. 4095. Alexandriam in Ægypto condit magnus Macedo. Dein eidem per Samariam redeunti non imprudenter profeſſus eſt Hezekia Pontifex, ſe ſtatuis omnib9 (quas Moſes jam olim fieri vetuerat) monumentum melius nomini illius dedicaturum, & natos adeo omnes Samaritas eo anno Alexandros nuncupaturum. Mox Alexander in monte Garizim Deum adoravit.

325. 4100. 1046 (4100 minus 3054.) Phanutæ aut recedentis Dei moritur Hezekia anno XXI Pontificatus, non ſine luctu Alexandri M. Succeſſit autem filius ejus Dalia, Ptolemæo Lagi nulla gratia notus.

324. 4101. Obiit Alexander M. a. æt. 31, regni vero 18.

321. 4104. Anno tertio Philippi Aridæi aut anno eodem Ptolemæi Lagi, Orodes ipſo jubente ædem Garizenam ſpoliavit, tributumque grave a Neapolitis exegit.

275. 4150. Anno decimo Ptolemæi Philadelphi, egregii literarorum fautoris, accitis Alexandriam Aarone & lectiſſimis Samaritarum, nec non Doctoribus Judæorum ſub Eleazaro ſuo, Legem Moſaicam in Græcorum dialectum translatum ex Hebraico: cum de monte locoque electo templi & in Deut. 32, 35. *in die retributionis* (in Græco & Samaritico, pro *ἐμοὶ ἐκδίκησις* Pauli Apoſtoli & Maſoretharum) aliisque

in verſubus verſiones iſtæ variarent, Rex approbavit magis Samaritarum interpretationem, hosque ſplendidis muneribus donavit: Imo vero Judæos ille monte benedicto Garizim, reſcripto omnino arcuit. Referunt autem triduanas tenebras paſſum fuiſſe mundum, cum Judæi in Græcum Moſis libros verterent. Hoc autem tempore inter Judæos exortæ ſunt tres ſectæ, Phariſæi, quaſi nomine ſuo Schiſmatici, patres equidem traditionum; & Sadducæi, qui rationi amant tribuere quantum Legi Moſis: & tertia portio Haſidæi, quod eſt Viri probi & ſani. Hi ſunt Philoſophorum Samaritanorum adfines, & prope Hargarizim ultro habitant.

30. 4395. Cæſare Auguſto Alexandriam ingreſſo, necem ſibi invenit Cleopatra Regina, fautrix Samaritarum, cum regnaſſet annos 22. Condidit illa Nilometrum in Chemmi. Herodes Rex Samaritas Judæosque plurimos occidit.

1. 4425. 1371. (425 minus 3054) non 1300 Phanutæ aut averſi Numinis. Chriſtus e Maria natus vulgo creditur, anno 25. Johiami Pontificis Samaritani.

1. 4426. Chriſti circumciſi Epocha vulgaris, anno 16 Johiami Pontificis Hargarizim.

30. 4455. Sub Tiberio cruci affixus eſt Jeſus Meſſias apud Jeroſolyma anno XXI Jehunein ſive Joannis Pontif. Samaritani.

132. 4557. A. 16 Acbonis Pontif. Samaritani, Hadrianus Imperator ex Ægypto reverſus, ubi complures Chriſtianos interfici juſſerat, Judæos adfligere cœpit, & obſidione Jeroſolyma premere; neque pepercit Samaritanis, quanquam uxorem habuerit Samaritidem ex Jaſuph.

135. 4560. A. 19 Acbonis Pontificis, Hadrianus uſus conſilio Ephræmi & Menaſſis profugorum e Samaritis, urbem Jeroſolyma expugnat & delet ignibus, Judæis omnibus pœna capitis loco iſto prohibitis, imo & agro Samaritano ad bis duodecim paraſangas. Idem Impe-

Anni
Domini | Mundi

Imperator poſt hæc Samaritis beneficia & honores eximios contulit, erectis etiam ſtatuis profugorum, quos dixi, ſuper tetraſtylo in Neapoli. Fanum etiam extruxit in Hargarizim juxta Templum Samaritarum, idque januis Jeroſolymitanis ex ære Hiſpanico munivit exornavitque.

138. 4563. A. 22 Acbonis, Hadriano Imperatori, anno Imperii XLI demortuo ſucceſſit Antoninus Samaritarum amicus. Is legem Moſis addidicit, & ſecundum illam vitam ac regimen ſibi inſtituit. Florebant ſane ſub illo Principe res Samaritanæ, velut jampridem virtute & auſpiciis Joſue Nunidæ. Imperavit autem Antoninus annos XXXII, & cum illo ſimul interiit gloria & felicitas Samaritarum.

183. 4608. Confeſtim ab altercatione Levi Pontificis & Alexandri Philoſophi Aphrodiſienſis de novitate mundi, in Samaritas enſe, flammis, crucibus & omni genere mortis ſæviit Commodus Imperator. Idem etiam ſuaſu Galeni medici & domos, & Synagogas Samaritarum, carne porcina & idolis polluebat.

222. 4647. Alexander Imperator Samaritas pretio XX follium æreorum paſſim occidi jubet.

233. 4658. 545 Anno Græcorum a Seleuco, quod eſt annorum 312 & 233, Perſarum dominium inſtaurat Ardaſir Babecida, anno 20 Acbonis Pontif. Samaritani, 12 Alexandri Severi Imp. Rom. qui Natheneelem aut Parentem ejus Acbonem a cultu unici Dei minis nullis potuit deterrere.

622. 5047. Hegiræ 1. 1993 (5047 minus 3054) poſt elapſos annos gratiæ divinæ, anno 12 Pontificatus Eleazari Samaritæ Nathanaele geniti, evenit Hegira Mohammedis, annorum Arabicorum origo.

1187. 5630. 583. Samariam occupat Saladinus.

1492. 5945. 898. Deſinit Chronicon Samaritanū Abulphetachi

Digitized by Google

Daneſæi. Conſiunt autem anni 5945 orbis conditi ex annis Julianis 5047 & Arabicis 898, qui conſtituunt annos 28 ſupra Julianos 870, propter modum anni Lunaris

1596. 1005. die 3 Dulhagæ, qui eſt dies 2 AbiSyrogræcanici, antigraphum Chronici Abulphetachi, quod nunc ſervat Bibliotheca Huntingtonia, abſolutum eſt.

1672. 6111. 1083. (1625 & 1672, cum exceſſu Lunari annorum 14) a poſſeſſione Palæſtinæ, die 15 menſis ſexti Samaritarum, aut die 15 menſis quinti ſive Gomadæ prioris Arabum, quibus annum aperit vagabundus menſis Moharramus: pariterque Abi Syrogræcorum aut Auguſti menſis Romanorum die 27, anno ſecundo a *Semita*, id eſt, a præcedenti Sabbato annali, ad Huntingtonum noſtrum epiſtolarum ſuarum priorem ſcribebant Cultores Hargarizim. Cœpit autem annus mundi Samariticus 611 die 18 Adari aut Martii.

1685. 6125. 1097. die 13 menſis ſeptimi Samaritarum, nec non Tiſris prioris Syrogræcanici & Octobris Romani, qui fuit dies primus Dulhagii ſuperioris, anni Arabici, manu eadem Merchabi Ephræmitæ ad Jobum Ludolfum ſcribunt Cives iidem Sichimorum.

Pinacion ſecundum.

Pontifices Samaritani.

1. Aaron.	ann. 39		
		1. Joſue Dux (aliis 45)	25
2. Eleazar	50	2. Nathaneel, natus fratre Calebi	9
		3. Jaot, Ehud	18
3. Pinchas	60	4. Hamar, Samgar	20
		5. Parac, Barac	30
4. Abiſua	40	6. Gedeon	7
		7. Abimelech (aliis 30)	3
5. Siſi	50	8. Thola	23
		9 Jair	22
6. Boaci	35	10. Jophtach, Jephtae	7
		11. Abidom, Abdon	18
		12. Nathaneel Ephræmita	18
7. Oci	25	13. Nathaneel e Juda	40
		14. Somſom	20
Gratiæ anni ab exceſſu Aaronis	260	Deſinunt gratiæ anni	260

Ponti-

Pontifices Samaritani

Vacat Pontificatus		Hillel	45	Acob Jacob	9
Hargariſim annos	39	Seraja	40	Amram	11
Siſi filius Boaci	23	Levi	50	Acbon	30
Safet	28	Nethaneel	52	Pinchas	40
Salom	25	Azaria	35	Levi	25
Hezekia	20	Abdel	40	Eleazar	32
Jehunein	28	Hezekia	48	Neba	28
Jair	22	Hebabiah	24	Eleazar	41
Sedekia	18	Amram	32	Acbon	23
Ahid	20	Haban	25	Nathaneel	32
Machir	21	Hezekia	21	Baba raba, Rex & ſa-	
Joſed	25	Dalja	42	cerdos durante vita	
Dalja	25	Acbon	40	Levi filius Babæ.	
Jair	19	Acbia	35	Acbon	20
Jehunein	28	Levi	41	Nathaneel	40
Iſmael	26	Eleazer	44	Nathaneel	31
Tobia	28	Nathaneel	38	Eleazar	25
Sadoc	20	Johiam	32	Nathaneel	20
Amram	28	Jehanein	27	Eleazar	18
Tobia	24	Eliſema	33	Anni ab Aarone con-	
Amram	38	Semaja	10	ſecrato (anno Do-	
Acbon	36	Tobia	8	mini 628, Hegiræ	
Acbia	39	Amram	9	7.) 2038. ſi hiatus	

ſuppleantur. In annalibus enim cum Judæorum Rabinis Samaritæ videntur contendere, quinam turpius delinquerent.

JO. HEINRICI MAJI DISSERTATIONES Sacræ, in quibus V. T. Oracula ſecundum ſeriem locorum Theologicorum explicantur.

Francofurti & Wezlariæ, impenſis Chriſtophori Olffen 1690. in 8.

Conſtant plagulis 38.

Cum anni præteriti menſe Decembri in Actis noſtris p. 590. *ſelectiores Diſſertationes quatuor*, Richardo *Simoni* ejusque adverſariis, *Theologis Batavis* imprimis, a *Johanne Heinrico Majo*, SS. Theologiæ

Doctore ejusdemque ut & linguarum orientalium Profeſſore Gieſſenſi, oppoſitas recenſeremus, non tantum aliarum *diſſertationum ſacrarum* in dicta Scripturæ claſſica, auctore eodem concinnatarum, mentionem, ſed & ſpem faciebamus, nos de ipſis tempore plura dicturos eſſe. Quare ut datam fidem liberemus, pauca quædam pro inſtituti ratione ex utiliſſimo libro nunc ſubjiciemus. Et anni quidem amplius elapſi ſunt viginti, cum venerandus ſenex, *Sebaſtianus Schmidius*, duo *Collegia Biblica* publicæ utilitati conſecraret, in quibus juxta ordinem Locorum Theologicorum extantiora Scripturæ ſacræ tum veteris tum novi Teſtamenti dicta nervoſe explicaverat: iſtud igitur inſtitutum, ut videtur, imitatus *Auctor*, itidem ſecundum ſeriem, qua Loci alias Theologici, ut vocantur, inſequi ſe invicem jubentur, interpretationem dictorum claſſicorum aggreditur; ſed in hoc ab ipſo diverſus, quod de ſingulis oraculis duobus agat capitibus, quorum primo, philologia ſacra in ſubſidium vocata, in genuinum dicti ſenſum inquirat, altero demum Locum aliquem Theologicum ſive articulum fidei exinde pluribus ulteriusque deducat. Ut autem ratio hujus methodi tanto magis pateat, libet, quæ ad dictum ſtatim primum ex *Pſal. XL. 8. In capite libri ſcriptum eſt de me*, plurimum reverendus *Majus* commentatus eſt, ſpeciminis loco excerpere.

In capite igitur *primo*, quæ circa vocis מגלה originem & ſignificationem moneri ſolent, diligenter affert, morem antiquorum fuiſſe obſervans, in membranis & chartis plicabilibus ſcribere, quas ſuper cylindrum ſeu axem ligneum in orbem circumvolverint, unde & Latina formula *evolvere librum* ſine dubio enata ſit. Qua occaſione obiter diſquirit, quid veteres *umbilicum voluminis*, qui & proverbio locum dederit, appellaverint, non ſane, qua in opinione hucusque fuerint eruditi, cornua quædam ex oſſe, ære, ebore ſimilive materia confecta, quæ caudici ſeu ligno, circa quod membranas volvebant, impoſita fuerint; ſed funiculum, quo circumligata fuerint volumina, ut aptius clauſa, nitidius poſſent a ſordibus conſervari, commodiusque ſeponi. Annotat hic etiam, Hebræos volumina ſua ſcripſiſſe lineis non per longitudinem totius membranæ ſeu chartæ deductis, ſed multis ſpatiis & columnis, veluti totidem areolis, diſtinctis, ut paginas noſtras, non autem folia referrent, hucque reſpici *Jer. XXXVI. 23.* ubi דלתות *Januæ* dicantur. Ipſa illa volumina interdum latitudine in decem, longi-

longitudine in viginti ulnas & ultra excurriſſe, id quod contra *Iſaacum Voſſium*, abſurditates hic multas necquicquam fingentem, prolixius adſtruit; *Richardum* poſthæc *Simonem* ejusdem erroris arguens, qui nullo idoneo argumento, ſed ſola conjectura ductus, Hebræorum libros comminiſcitur in parvis membranis ſcribi ſolitos, quæ aliæ ſuper alias circa lignum aliquod convolutæ cauſam præbuerint, ut non ſatis accurate voluminum illorum ordine ſervato, ipſarum quoque rerum ordo in pluribus locis Scripturæ ſacræ fuerit turbatus; neque ſine cenſura *Marcum Meibomium* dimittendum opinatur, qui aliam adhuc transpoſitionis cauſam in *Job. XXXI. 32. usque ad finem*, a novo quodam librariis uſitato ſcribendi modo temere invenerit. Sed cum מגלה & epiſtolam notet, & integrum aliquod volumen, quin ſtylo etiam Talmudicorum totum ſacrum codicem, in id nunc inquirit, qua acceptione hoc loco vox iſta ſumenda ſit, quam in rem confert allegationem Pauli *Ebr. X, 7.* ad quem locum obſervat, κεφαλίδα minus commode reddi per *caput* vel *ſummam*, quum & LXX. interpretes per illud non caput, ſed volumen integrum ſignificarint. Totum igitur codicem ſacrum intelligi, quia ſingula volumina aliquid de Meſſia tradant, ad eumque ſcopum tendant omnia, quæ viri divino afflatu excitati literis conſignaverint; quo ſenſu & Talmudicos doctores aſſerant, *omnes vates in univerſum non niſi de Rege Meſſia eſſe vaticinatos*, nempe *inde a Moſe*, ſecundum explicationem Maimonidis, *uſque ad Malachiam.* Similiter quoad vocem ספר procedit; ipſius enim cum origines explicaſſet, varie eam accipi annotat, hoc in loco tamen integrum canonis volumen denotare, ſynonymaque duo conjungi, quod admodum in ſacris frequens ſit, & recte adeo *Lutherum* noſtrum in Germanica verſione per unicum ſaltem vocabulum duo iſta expreſſiſſe. Circa vocabulum כתוב, evoluta prius radice, ſacras literas hoc nomine venire obſervat, partitionemque veterem Scripturæ in *Legem*, *Prophetas*, & *Cethubim*, quam ex *Luc. XXIV, 44.* conſtare ait, admitti poſſe, cum haud negatur, hagiographos etiam eſſe propheticos. Denique ultima voce עלי, poſt ſententiam *Judæorum*, *Calvini*, *Marlorati* & *Buceri*, quorum illi (recutiti) vel de Davide vel de populo Iſraelitico; hi autem (Chriſtiani) de quibusvis electis eam exaudiant, excuſſam & refutatam, ex communi noſtratium explicatione, ſolum hic Meſſiam intelligi, auctoritate Pauli, ad Chriſtum verba hæc referentis, tum ex ipſis textus

viſceribus

Digitized by Google

viſceribus evincit, & Chriſtum totius Scripturæ ſcopum eſſe exinde concludit.

Poſtquam iſthæc veluti fundamenti loco præmiſiſſet, jam cap. II. ad ipſum Articulum de *Scriptura ſacra* ulterius explanandum pergit, expoſitaque Scripturæ origine & dignitate, de ſanctitate ejus prolixius agit, quam ab Auctore ſancto & argumento ibi pertractato proficiſci, neque adeo libris apocryphis ait, ſed canonicis tantum competere, qui quales ſint, exactius docet, refutato *Huetio* & *Simone*, Judæorum Eccleſiæ canonem concinnare licuiſſe ſtatuentibus. Eam de cætero verbum Dei eſſe proprie ſic dictum, & frivolam diſtinctionem Pontificiorum inter verbum Dei ſcriptum & non ſcriptum. Inſpirationem divinam non ad res ſolummodo, ſed ad verba etiam pertinere; Scriptores ſacros nulli errori fuiſſe obnoxios, eorumque in ſtylo formando diverſitatem ex peculiari Spiritus Sancti in ipſos συγκαταβάσει exortam fuiſſe, unde pateat, male concludere inde *Huetium* & *anonymum Theologum in Batavis* (*Joannem Clericum* ſine dubio innuit, in *judicio de hiſtoria critica V.T. Richardi Simonis*) verba non eſſe θεόπνευςα; quos ubi ſolidis argumentis refellerat, Richardi Simonis de ſcribis publicis hypotheſin, itemque *Theologi* illius *Batavi* periculoſam de inſpiratione divina ſententiam prætextuſque ejuſdem vanos, cum duabus objectionibus ſpecioſis profligat. Poſthæc de Scripturæ *materia* agit, *formaque* tum *interna*, conciliatis variorum ſententiis, tum *externa*, ubi contra *Capellum* & *Waltonum* etiam puncta, vocales & accentus eo pertinere propugnat, & ex eo, quod vetus Teſtamentum lingua Ebraica perſcriptum ſit, recte omnino colligi ait, *Ebraicum textum ſolum eſſe authenticum* excluſa Vulgata, de qua varias Pontificiorum affert opiniones, *Simonem*que, nullius momenti illam eſſe controverſiam & decidi facile poſſe exiſtimantem, refutat. Denique cum de *fine* Scripturæ quædam ſubjunxiſſet, lectionem veteris Teſtamenti utilem eſſe & neceſſariam, contra Socinianos adſtruit. Ultimo demum loco de *affectionibus* Scripturæ diſſerit, eidemque *divinam auctoritatem* ex teſtimonio ipſius Scripturæ, ex vaticiniorum certitudine, ex harmonia ſingulari, ex doctrinæ genere cœleſti, ex teſtimonio veritatis hoſtium, & martyrum, ex antiquitate, conſervatione miraculoſa, (refutato hic obiter Simone omnem divinam providentiam circa Scripturam ſacram tollente, & Pontificiis, auctoritatem Scripturæ ab auctori-

Digitized by Google

auctoritate Eccleſiæ dependere ſtatuentibus fuſius vindicat. Vindicat eidem etiam veritatem infallibilem, quam in naturalibus Carteſius & Wittichius perperam ipſi detrahant. Ubi *perfectionem* & *integritatem* ſacro codici aſſertum it, traditiones ait a Simone propugnatas incertas, in Scripturas injurioſas, a Chriſto & Apoſtolis rejectas, Judaicis denique ſimiles eſſe. Contra eundem & *perſpicuitatem* ejus probat, eandemque ſe ipſam interpretari poſſe evincit. Denique eam eſſe normam controverſiarum, ejusque lectionem omnibus eſſe concedendam, contra Papiſtas id negantes vel fuco utentes evincit.

Ex quo ſpecimine, ut arbitramur, pateſcet, libellum hunc iis vel maxime, qui Theologiæ ſacris operantur, apprime utilem, & inde optandum eſſe, ut quoniam *plurimum reverendus Auctor* ad *octavum* ſaltem *Articulum*, qui *de lege ceremoniali* agit, ſacrum hunc laborem perduxit, reliquos locos eadem diligentia illuſtret, ad quod opus, ut & ad *Examen Hiſtoriæ Criticæ Novi Teſtamenti Richardi Simonis*, quod in præfatione promittit, feliciter perficiendum, animi corporisque idoneas vires eidem apprecamur.

O. V. E. ADDITIO AD SCHEDIASMA DE Medii Reſiſtentia publicatum in Actis menſis Febr. 1689.

POſtquam Meditationes quasdam de Medii reſiſtentia in his Actis publicavi, venere in manus meas, quæ Viri in Mathematica naturæ cognitione præcellentiſſimi *Hugenius* & *Newtonus* in noviſſimis operibus de eodem argumento ſunt commentati. Animadverti autem eos reſpectivam tantum (quam voco) reſiſtentiam attigiſſe, qualem ſcilicet ſentit corpus in liquido tenacitate notabili carente, velut in aere; non vero abſolutam, quæ oritur a tenacitate medii, aut aſperitate ſuperficiei contactus attritum efficiente, inter quas multum intereſſe jam tum oſtendi; cum reſpectiva habeat reſpectum ad celeritatem mobilis, eaque aucta creſcat, abſoluta non item. Circa reſpectivam video nos iisdem fundamentis inædificaſſe, etſi prima fronte aliud videri poſſit. Ipſi enim ſtatuunt reſiſtentias in duplicata ratione velocitatum; ego vero abſolute loquendo reſiſtentias (quas decrementis velocitatis a medii denſitate ortis exiſtimo) eſſe dixi in ratione com-

poſita velocitatum & elementorum ſpatii, quæ ſcilicet velocitatibus reſpondentibus decurri inchoantur, unde jam elementis temporis ſumtis æqualibus (quo caſu elementa ſpatii decurrenda velocitatibus proportionalia ſunt) utique reſiſtentiæ erunt in duplicata ratione velocitatum; quod etiam annotaveram ſub Artic. 5, prop. 3. Nec diſſentit concluſio circa relationem inter tempora & velocitates in gravi per medium deſcendente. Hanc enim ad ſectorem hyperbolicum reduxit *Newtonus*, ad ſeriem infinitam *Hugenius*, quam invenit pendere a quadratura hyperbolæ, nos ad logarithmos artic. 5, prop. 4, tanquam perfectiſſimum talia exprimendi modum præbentes. Nempe ſit velocitas **maxima** a, præſens b, tempus t fie $t = \int, dv.\ aa : \overline{aa - vv}$ quo poſito, t ſunt ut Logarithmi rationum $a + v$ ad $a - v$, fit etiam $t = \frac{1}{1}v + \frac{1}{3}v^3 + \frac{1}{5}v^5 + \frac{1}{7}v^7$ &c. poſita a unitate. Circa compoſitionem motus in medio reſiſtente rectiſſime monuit Celeberrimus *Hugenius*, eam non ita ſimpliciter locum habere, ut in motu libero, itaque ea quam expoſui Articulo 3 & 6 ita accipienda eſt verbi gratia, ac ſi corpus aliquod moveatur in medio ſecundum unam legem motus compoſiti, & huic ipſi corpori (veluti navi) ſit incluſum medium ejusdem cum priori naturæ in quo iterum aliud corpus feratur, cujus jam motus ex communi navis motu, & ipſius proprio, velut projectionem faciet, ita ſe habentem ut deſcripſimus.

O. V. E. QUADRATURA ARITHMETICA ***communis Sectionum Conicarum quæ centrum habent, indeque ducta Trigonometria Canonica ad quantamcunque in numeris exactitudinem a Tabularum neceſsitate liberata: cum uſu ſpeciali ad lineam Rhomborum nauticam, aptatumque illi planiſphærium.***

JAm anno 1675 compoſitum habebam Opuſculum Quadraturæ Arithmeticæ amicis ab illo tempore lectum, ſed quod materia ſub manibus creſcente limare ad editionem non vacavit, poſtquam aliæ occupationes ſupervenere: præſertim cum nunc prolixius exponere vulgari more, quæ Analyſis noſtra nova paucis exhibet, non ſatis pretium operæ videatur. Interim inſignes quidam Mathematici, quibus veritas primariæ noſtræ propoſitionis dudum in his Actis publicatæ innotuit, pro humanitate ſua noſtri qualiscunque inventi candide meminere

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. IV. ad A. 1691. pag. 179.

Quadratura Generalis Sectoris Conici ex Centro.

Autore G. G. L.

Fig: III.




Fig: I.





Fig: II.



BC, 1. AT, t.

Sector CAFE æquatur rectangulo sub AC, et recta cujus longitudo est:

$$\frac{t}{1} \pm \frac{t^3}{3} + \frac{t^5}{5} \pm \frac{t^7}{7} + \frac{t^9}{9} \text{ etc.}$$

Digitized by Google

minere. Quos inter Il[l]. *Hugenius* etiam analogum aliquid in Hyperbola elegãter adjecit, a noſtri olim ſchediaſmatis analogia diverſum. Ut enim nos dederamus ſeriem $\frac{1}{1}t - \frac{1}{3}t^3 + \frac{1}{5}t^5$ &c. per circulum; ita ipſe $\frac{1}{1}t + \frac{1}{3}t^3 + \frac{1}{5}t^5$ &c. per hyperbolã primariam exhiberi notavit, de quo adde dicta ad ſchediaſma hic præcedens. Et ſane etiam in Opuſculo noſtro inedito nec ipſi viſo, inter alias propoſitiones una continebatur ſatis memorabilis ob generalitatem, ambasque illas & plura complexa: *Sectorem, curva conica a vertice incipiente, & radiis ex centro eductis, comprehenſum, arithmetice quadrare.* A T, portio rectæ in vertice tangentis, comprehenſa inter verticem A, & T occurſum tangentis alterius extremi vocetur t, & CB ſemiaxis conjugatus (ſeu recta, quæ poteſt rectangulum ſub dimidiis lateribus recto & transverſo) ſit unitas, erit ſector CAFEC æqualis rectangulo comprehenſo ſub AC ſemilatere transverſo, & recta, cujus longitudo ſit $\frac{1}{1}t + \frac{1}{3}t^3 + \frac{1}{5}t^5 + \frac{1}{7}t^7$. Ita exprimitur non ſolum area ſectoris Circularis aut ſectoris Hyperbolæ primariæ æquilateræ cum angulus Aſymptotarum eſt rectus, ſed & alterius ſectoris Elliptici aut Hyperbolici cujuscunque. Cæterum ex ſeriebus infinitis a me aliisque ut *Mercatore, Newtono, Gregorio* exhibitis, ſequitur Trigonometriæ Canonicæ ſine Tabulis praxis quantum libet exacta. Neque enim ſemper Tabulas per maria & terras circumferre in poteſtate eſt. Nempe ſit radius unitas, arcus a tangens t, ſinus rectus *ſ*, ſinus verſus v, logarithmus l, numerus $1 + n$ (logarithmo ipſius unitatis ſeu l exiſtente 0), fiet TAB. IV. Fig. I.

(1)

$$a = \frac{1}{1}t - \frac{1}{3}t^3 + \frac{1}{5}t^5 - \frac{1}{7}t^7 + \frac{1}{9}t^9 \text{ \&c.}$$

(2)

$$\text{ſ} = a - \frac{a^3}{1.2.3.} + \frac{a^5}{1.2.3.4.5.} - \frac{a^7}{1.2.3.4.5.6.7.} \text{ \&c.}$$

id eſt, $a - \frac{1}{6}a^3 + \frac{1}{120}a^5$ &c.

(3)

$$v = \frac{a^2}{1.2.} - \frac{a^4}{1.2.3.4.} + \frac{a^6}{1.2.3.4.5.6.} - \frac{a^8}{1.2.3.4.5.6.7.8.} \text{ \&c.}$$

(4)

$$l = \frac{1}{1}n - \frac{1}{2}n^2 + \frac{1}{3}n^3 - \frac{1}{4}n^4 + \frac{1}{5}n^5. \text{ \&c.}$$

(5)

$$n = \frac{l}{1} + \frac{l^2}{1.2.} + \frac{l^3}{1.2.3.} + \frac{l^4}{1.2.3.4.} + \frac{l^5}{1.2.3.4.5.} \text{ \&c.}$$

Digitized by Google

Semper autem quantitas, cujus potentiæ in ſerie infinita adhibentur, debet eſſe minor unitate, ut in progreſſu fiant quantumvis parvæ. Hujusmodi ſeries dari poſſunt plures, & efficere etiam per ſeries licet, ut ex arcu dentur ſinus & tangentes artificiales, ſeu logarithmici (non ſuppoſitis naturalibus) & viciſſim arcus ex ipſis: Sed placuit eas tantum adſcribere ſeries, quæ tam ſimplicis ſunt compoſitionis, ut facillime memoria retineri, & ubivis defectum librorum ac tabularum ſupplere poſſint: Itaque unam tantum ob ſuam ſimplicitatem, & quia hujus ſchediaſmatis occaſionem præbuit, addo, ſi ſinus complementi ſint c, logarithmos ſinuum rectorum, vel potius (quod eodem redit) reciprocorum ab his ſinubus, fore $\overset{(6)}{=}$ ut $\frac{1}{2}c^2 + \frac{1}{4}c^4 + \frac{1}{6}c^6 + \frac{1}{8}c^8$ &c. Quemadmodum ſequitur ex his quæ innuimus in ſchediaſmate de Reſiſtentia Med. *Act. Januarii 1689, pag. 4, artic. 2, prop. 6.* Unde rurſus patet, etiam pendere a quadratura Hyperbolæ. Nec abludunt quæ dederat *Nic. Mercator*, unde ad meum Circuli Tetragoniſmum ſecundo menſe primi anni horum Actorum editam, duxerā Analogiam cum Hyperbola non inelegantem. Inveneram ſcilicet circulum eſſe ad quadratum circumſcriptum ut $\frac{1}{1} - \frac{1}{3} + \frac{1}{5} - \frac{1}{7}$ &c. ad unitatem; ſeu circulum eſſe ad quadratum inſcriptum ut $\frac{1}{4-1} + \frac{1}{36-1} + \frac{1}{100-1}$ &c. ad $\frac{1}{4}$; ubi numeri 4, 36, 100, &c. ſunt quadrati a paribus quaternario differentibus 2, 6, 10, &c. Similiter ex ſupradictis, cum Numerus cujus logarithmus quæritur, $1 + x$ eſt 2, tunc x eſt 1, adeoque $\frac{1}{1} - \frac{1}{2} + \frac{1}{3} - \frac{1}{4}$ &c. eſt Logarithmus Hyperbolicus binarii. Eadem ſeries facit $\frac{4}{9-1} + \frac{4}{49-1} + \frac{4}{121-1}$ &c. (nam $\frac{4}{9-1}$ eſt æqu. $\frac{1}{1} - \frac{1}{2}$, & $\frac{4}{49-1}$ eſt æqu. $\frac{1}{3} - \frac{1}{4}$, & ita porro) ergo Logarithmus Hyperbolicus binarii eſt ad unitatem, ut $\frac{1}{9-1} + \frac{1}{49-1}$ &c. eſt ad $\frac{1}{4}$. Ubi Numeri 9, 49, 121 &c. ſunt quadrati a 3, 7, 11, &c. qui ſunt impares unitate excedentes ſupra dictos pares quaternario differentes; unde origo patet analogiæ olim a nobis exhibitæ in his Actis, ut dictum eſt. Eſſe autem $\frac{1}{2}cc + \frac{1}{4}c^4 + \frac{1}{6}c^6$ &c. log. de $1 : \sqrt{1-cc}$ ſic demonſtratur: log. de $1 + c, = \frac{1}{1}c - \frac{1}{2}cc + \frac{1}{3}c^3$ &c. & log. de $1 - c = -\frac{1}{1}c - \frac{1}{2}cc - \frac{1}{3}c^3$ &c. Utrumque per æqu. 4. Ergo log. $1 + c$ + log. $1 - c$ id eſt log. $\overline{1-cc} = -\frac{2}{2}cc - \frac{2}{4}c^4 - \frac{2}{6}c^6$ &c. & proinde $\frac{1}{2}$ log. $\overline{1-cc}$, id eſt log. $\sqrt{1-cc} = -\frac{1}{2}c^2 - \frac{1}{4}c^4 - \frac{1}{6}c^6$ &c.

Sed

Digitized by Google

Sed quo magis horum uſus appareat, oſtendere operæ pretium erit, eundem calculum prodeſſe ad lineam Rhombicam in ſuperficie ſphærica a navigantibus deſcriptam recte æſtimandam atque in plano projiciendam, quæ vulgo parum accurate tractantur, rem uſu ampliſſimam paucis explicemus. Sit Polus P, Æquator Aqq, Meridiani PA, PQ, &c. Fig. II. Linea Rhombica, A 1 *l* 2 *l* 3 *l* &c. quæ deſcribitur quamdiu eadem plaga ſeu venti rhombus tenetur. Per puncta *l*, *l* ducantur paralleli Hl, nempe 1 H 1 *l*, 2 H 1 *d* 2 *l*, 3 H 2 *d* 3 *l*, &c. Quod ſi jam punctorum *q*, *q* intervalla ſint incomparabiliter parva, portiones arcuum quippe inaſſignabiles erunt pro rectis, & triangula 1 *l* 1 *d* 2 *l*, 2 *l* 2 *d* 3 *l*, &c. erunt ſimilia, ob angulum lineæ Rhombicæ ſemper eundem ad loci meridianum. Ergo 1 *l* 2 *l quantitas Rhombicæ percurſæ ſeu itineris in eodem rhombo, eſt ad 1 H 3 H, differentiam latitudinis extremorum, ut ſinus totus ad anguli rhombici ſinum.* Itaque ex dato angulo rhombico & differentia latitudinum datur quantitas itineris, vel contra. Huc usque res pervulgata eſt, ſed ut ex iisdem differentia longitudinum calculo æſtimetur, negotium eſt Geometriæ tranſcendentis, quam pauci recte tractaverunt. Id ergo ſupplere noſtræ methodi eſt. Radius ſeu ſinus totus ſit unitas, & tangens anguli rhombici conſtantis ſit *b*: patet eſſe 1 *d* 2 *l* ad 1 *l* 2 *l* ſeu ad 1 H 2 H, vel 2 *d* 3 *l* ad 2 *l* 2 *d* ſeu ad 2 H 3 H ut *b* ad 1. Sed 2 *q* 3 *q* eſt ad 2 *d* 3 *l*, ut AC (ſinus totus ſeu Fig. III. ſphæræ radius) ad 3 H M, ſinum anguli 3 H C P cujus arcus 3 H P eſt latitudinis A 3 H complementum, ſeu 2 *q* 3 *q* ad 2 *d* 3 *l*, ut C 3 H ad 3 H M, ſeu ut CE ſecans anguli latitudinis ad AC ſinum totum. Latitudo ſeu arcus meridiani AH ſit *b*, & 2 H 3 H erit *db*. Jam CE ſecans ſit *n*, & 1 *d* 3 *l* erit *b db*, & 2 *q* 3 *q* erit *bn db*, & portio tota æquatoris A 3 *q* erit *b* $\int n\,db$, et $\int n\,db$ eſt area ſecantium arcui applicatorum. Jam angulo CEN recto educta EN ipſi CA occurrat in N, ſumtaque 3 HQ particula ipſius 3 HM & normaliter ex Q educta ad circulum QF ob triangula ſimilia, nempe ordinarium NEC & characteriſticum inaſſignabile 3 HQF erit rectangulum CE in 3 HF ſeu *ndb* æquale rectangulo CN in QF. Si jam CM ſinus latitudinis ſit *e*, QF erit *de*, & CN vel MV (ſumta in M 3 H continuata) reperietur eſſe $1:\overline{1-ee}$ ductaque linea *per* AVV, erit $\int n\,db$ ſeu area ACMVA æqu. $\int, de:\overline{1-ee}$; & $b.\int, de:\overline{1-ee}$, ſeu $\frac{b.e}{1}+\frac{b.e^3}{3}+\frac{b.e^5}{5}$ &c. erit A 3 *q*, arcus æquatoris inter A (initium lineæ rhombicæ A 3 *l* in æquatore) & meridianum P 3 *l* 3 *q* ad quem pervenit, interceptus:

Digitized by Google

poſito e eſſe ſinum latitudinis extremi $3l$; & b eſſe numerum qui ſit ad unitatem, ut tangens Conſtantis anguli Rhombicæ cum meridiano eſt ad ſinum totum. Unde ſi quæratur $1q3q$, differentia longitudinis duorum rhombicæ lineæ $1l2l3l$ punctorum $1l$ & $3l$, ex data, $1H\,3H$, differentia latitudinis eorundem; oportet tantum invenire $A1q$, & $A3q$, eritque differentia $1q3q$; adeoque ſi ſinus latitudinis puncti $3l$ ſit e, & puncti $1l$ ſit (e) tantum opus $\frac{e-(e)}{1} + \frac{e^3-(e)^3}{3} + \frac{e^5-(e)^5}{5}$ &c. multiplicare per b tangentem anguli Rhombici ad meridianum, poſito ſinum totum eſſe unitatem: & productum erit differentia longitudinis quæſita. Denique ex ſuperioribus re ad logarithmos redacta ad modum *artic. 5, prop. 4 noſtri ſchediaſmatis de Reſiſtentia Medii*, erunt differentiæ longitudinum, punctorum $3l$ & $1l$, ut logarithmi rationis $\overline{1+e} : \overline{1-e}$ ad $\overline{1+(e)} : \overline{1-(e)}$ Poſito radium ſphæræ eſſe unitatem, & ſinus latitudinum dictorum punctorum reſpective eſſe e, & (e). Ex his jam canones practicos facile ducet peritus. Veluti ſi data differentia longitudinis & latitudinis locorum quæras rhombum ſeu angulum rhombicæ lineæ ab uno ad alium ducentis: Nam *tangens anguli quem Rhombus quæſitus facit ad meridianum eſt ad ſinum totum, ut arcus differentiæ longitudinum eſt ad Logarithmum hyperbolicum dictæ rationis, ſeu ad* $\frac{e}{1} + \frac{e^3}{3} + \frac{e^5}{5}$ &c. Quod ſi meridiani in planiſphærio projiciantur rectis parallelis, quod cautionibus debitis adhibitis plerumque commode ſatis fieri poteſt ſalva exactitudine, tunc etiam lineæ Rhombicæ erunt rectæ. Si jam gradus longitudinis horumque partes projiciamus æqualibus intervallis, oportet gradus latitudinis aſſumi inæquales; & ſic quidem, ad mappam Geometrice conſtruendam, ut ducta ad libitum recta omnes meridianos oblique ſecante, latitudines punctorum interſectionis habeant, ut ex dictis patet, numeros, qualis eſt, $\overline{1+e} : \overline{1-e}$ geometrica progreſſione incedentes; id enim ſi una recta præſtet, præſtabunt omnes. Unde comparando cum numeris ſcalæ latitudinis facillimum erit in ipſa mappa menſurare ex vero rectam quamvis in ea ducibilem, ſeu quantitatem Rhombicæ datæ. His mappis ſi alias jungas, ubi ſphæricæ ſuperficiei partes projiciuntur ex centro in plana tangentia omnesque arcus circulorum magnorum, adeoque viæ breviſſimæ exhibentur rectis, pleraque in praxi probe ſatis præſtari poſſunt.

ANI-

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES SUPER RESOlutione Geometrica duarum mediarum continue proportionalium D. Nicolai Coppolæ I.V. D. Panormitani, Sereniſſima Celſitudine Franciſci ſecundi Eſtenſis, Mutinæ, Regii &c. Ducis, annuente, edita a Joh. Bapt. Boccabadato I.V.D. Mutinenſi, ejusdem Celſ. Sereniſſimæ Mathematico.

Mutinæ 1690. in 4. plag. 2.

JUſſerat Sereniſſimus Dux, petente Reſolutionis autore, ut non minus reſolutio, quam examen ejus a D. Didaco Merino de Rojas Equite S. Jacobi ſcriptum, ambo Madriti A. 1690 edita ſub novum examen vocarentur. Hoc fecit auctor animadverſionum doctiſſimus, nec minus in his quæ profitetur ſtudiis quam theatrica poeſi egregius, & pro indubitato habet, calculoque analytico adhibito ſub oculos ponit, primo auctoris conſtructionem non eſſe demonſtratam, deinde abſolute, non eſſe veram. Transferri eam huc non putamus neceſſarium: dudum enim pro demonſtrato habent Analyſeos interioris periti, Meſolabum ſolis circulis rectisque in plano ductis obtineri non poſſe, ſed alias altioris gradus lineas veterum exemplo eum in finem deſcribi oportere, idque jam ita præſtitum eſſe, ut in ea re nihil amplius a Geometris deſideretur.

CINQVIEME DENONCIATION DU Philoſophiſme.

id eſt,

Denuntiatio quinta Philoſophiſmi ſive Hæreſeos novæ de Peccato Philoſophico.

Coloniæ apud Nic. Schoutem 1690. in 8. plagul. 9.

QUinta hæc denuntiatio peccati philoſophici ab *Antonio Arnaldo* opponitur cumprimis *theſibus* menſe Auguſto ſuperioris anni *Antverpiæ* in diſputationis publicæ argumentū propoſitis, *de ignorantia & inadvertentia, quibus peccatum excuſabile redditur.* His namque acceſſerat *appendix de peccato philoſophico*, qua Profeſſor Antverpienſis, (cujus nomen adverſarius reticuit,) ad exemplum Bouhurſii, ART. I.

aſſe-

affirmaverat, Jeſuitas nunquam peccatum theologicum a philoſophico ita diſtinxiſſe, ut reipſa a ſe invicem ſeparari poſſe totove genere differre crediderint, ſed de utroque *præciſione* tantum *Metaphyſica* loqui, ac unum eundemque actum pravum *philoſophicum* appellare, *quatenus* rectæ rationi, *theologicum* autem, *quatenus* voluntati Dei revelatæ contrarietur. Nulla vero ratione docuiſſe, peccatum *philoſophicum*, quod non eſſet theologicum, unquam extitiſſe.

ART. II. Urget ex adverſo *Arnaldus* (præter alia in prioribus quoque *Denuntiationibus* notata) *Diſputationem* a *Pugeano* Claromonti in Arvernia habitam A. 1688, hujusque præſertim trigeſimam theſin: *Peccatum etiam grave philoſophicum SINE ADVERTENTIA AD DEUM non meretur pœnam æternam.* Huic præmittit locum parallelum *Jacobi Platelii*, Jeſuitæ Duacenſis, in *Synopſi Curſus Theologici* recognita ac recuſa

ART. III. Duaci A. 1679. Subjungit exemplum *Mutii* cujusdam monachi Trappenſis in Gallia, nuper defuncti, qui priorem vitæ partem in concatenatis iisque maximopere horrendis criminibus *absque ulla de Deo cogitatione* tranſegerit, tandem vero pœnitentiam ſeram quidem at ſeriam egerit. Hinc ergo patere ait, dari reapſe actus, qui etiam SINE ADVERTENTIA AD DEUM theologice peccaminoſi ac damnabiles ſint, niſi forte Jeſuitæ dicere vellent, *Mutium* illum homicidia, adulteria, & id genus ſcelera absque peccato commiſiſſe, nullumve contraxiſſe

ART. V. pœnæ æternæ reatum. Provocat quoque ad exempla Romanorum & Græcorum, qui vel ex ſuperſtitione Deos ſuos æmulaturi ac cultori, vel ex Epicuræorum placitis perſuaſi, res ſuas Superis curæ non eſſe, ſcortati ac mœchati ſint, iisdemq; jungit Chinenſium literatos atheos & exterius tantum cultum aliquem Deorum profeſſos, adeoque omni Numinis metu ſolutos, quicquid libuerit, perpetrantes. Ex his omnibus neminem peccare obſervat cum ADVERTENTIA, actione ſua verum Deum offendi. Ideoque concludit, neceſſitatem incumbere Jeſuitis, ut ſtatuant, aut actus illos Gentilium pœnam æternam non mereri, quod eſt hæreticum, aut nullum dari actum materialiter malum, qui formaliter malus eſſe deſinat ob inadvertentiam peccatoris ad legem Dei.

ART. IV. VI. VII. VIII. IX. X. Excerpit itidem propoſitiones non unas ex ipſis theſibus *Pugeani* Antverpienſibus, inſimulatque eum de *inadvertentia*, ob quam peccatum aliquod *materiale*, (quod *formale* fieret in volente offendere verum

Digitized by Google

verum Deum,) excuſationem admittat & impunitate dignum evadat, ita loqui, ut dum nomen peccati mere philoſophici averſatur, ejusdem fundamenta jaciat.

Longe autem liquidiora, de peccato philoſophico revera dabili neque tamen damnabili, ſunt ea, quæ producuntur ex MSCtis dictatis a PP. *Beccaferro* (Bechefer,) *Beguino* & *Audrio*, Theologiæ Profeſſoribus in Collegio Jeſuitarum Rhemenſi, a *P. Sanligeriano* (St. Ligier) Lugdunenſi, a P. quodam *anonymo* Camberiacenſi, a P. denique *Beone* Maſſilienſi. Plura de ſingulis afferre non difficile foret; ſed fortaſſis non ſine nauſea lectoris id fieret, quum de iſta controverſia hoc ac nuper elapſis annis prolixe ſatis diſſeruerimus. Ultimi ergo tantummodo verba exſcribenda ducimus. Unum enim ſi audias, omnes fere audiveris. Hic itaque Maſſilienſium Profeſſor adhuc ſuperſtes, ſequentibus omnino verbis A. 1689. mentis ſuæ ſenſa diſcipulis explicavit: *Dico 1.) In omni peccato, etiam materiali, reperitur offenſa Dei, quæ in eo eſt, quod fiat actio diſplicens Deo, quæ offenſa ſi advertitur, evadit formalis. Hic jam quæritur, utrum aliquando offenſa non fiat formalis, ſeu utrum detur de facto aliquando peccatum philoſophicum, hoc eſt, actus pravus & de ſe diſplicens Deo, ita tamen ut diſplicentia ignoretur; ſive quia ignoratur Deus, ſive quia ignoratur, quod peccatum ei diſpliceat, ſive denique, quod non attendatur & ipſa diſplicentia. Quocirca alii alia reſpondent. Ego dico, poſſe contingere ex triplici illo capite, ut non evadat offenſa formalis, fiatque tantum peccatum philoſophicum non pertingens ad malitiam theologici.* (2.) *Inter Chriſtianos adultos reipſa non dari philoſophicum tantum: non eſſe tamen, cur negetur, dari in aliquibus hominibus, puta pueris, rudibus, ſilvicolis, barbaris*, &c.

Libello adjecta eſt *bulla*, feria V. die 24. Auguſti A. 1690. ab *Alexandro VIII.* R. P. edita, adverſus duplicem illam propoſitionem de *non obligatis hominibus ad amandum Deum*, & *de peccato philoſophico*, Eccleſiæ Romanæ ab *Arnaldo* denuntiatam.

DE CONSTITUTIONE ANNI M. DC. LXXXX, ac de Rurali Epidemia, quæ Mutinenſis Agri & vicinarum regionum colonos graviter afflixit, Diſſertatio BERNARDINI RAMAZZINI in Mutinenſi Lycæo Medicinæ Profeſſoris.

Mutinæ, typis Hæredum Juliani Caſſiani, 1691. in 4. plagul. $6\frac{1}{2}$.

 Cl. Au-

COnſtitutum eſt Clariſſimo huic Autori, poſt finem cujusque anni publico enarrare ſcripto, quæ temperies iſto anno in Mutinenſi vicinaque regione fuerit, qui graſſati fuerint morbi, quæque remedia profligandis illis deprehenderit ſalutaria aut noxia. Hujus ergo utiliſſimi inſtituti ſpecimen primum circa annum proxime elapſum in Diſſertatione præſenti exhibet, celebratiſſimo *Maliabechii* nomini inſcripta, a cujus liberaliori & nos eam manu accepimus. Præmittuntur vero temporum ante actorum conſtitutiones, ceu a quibus variæ & inſolentes aëris alterationes, fœcundæ illæ epidemicorum affectuum genetrices, ſoleant dependere. Scilicet, uti quatuor aut quinque anni in tota pene Italia ſicciſſimi, perquam fertiles tamen & ſaluberrimi, præceſſerant; ita e diverſo annus ultimus, octogeſimus nempe nonus integer fere, ſi duos poſtremos menſes excipias, copioſis pluviis moleſtus, fruges & triticea maxime ſeges rubigine corræptæ, morbi vero non niſi ſporadici & minus periculoſi fuerunt obſervati. Hinc ipſius anni nonageſimi temperies maximam partem pariter pluvioſa, toto veris tempore & per totam fere æſtatem, commemoratur: ubi circa Æquinoctium vernale imprimis imbres unius diei naturalis ſpatio Mutinenſem, Finalenſem, Mirandulanum & Ferrarienſem agros adeo inundarunt, ut plures veluti inſulæ ad longum tempus apparuerint. Quamobrem in Climate illo, cum pluviis Borea utplurimum flante, nulla tum æſtas extitit, cicadis ut plurimum aphonis, ranis vero per totam æſtatem coaxantibus, ut fruges non niſi ſero admodum ad maturitatem pervenerint, meſſisque Julio demum menſe utcunque perageretur. Rubigo hoc itidem anno in morum, frumenta & omnia legumina, præſertim fabas, nec non uvas, atque olera in ipſis hortis, quos erucæ deſuper & bruchi devaſtabant, nucibus tantum intactis, multum ſævivit, frugesque non rubro colore, quemadmodum anno ſuperiori, ſed inſigni potius atredine infecit. Interim cum hic annus in iis regionibus piſculentus admodum eſſet, piſcesque vel in agris facile caperentur, hi plebi urbanæ, multoque magis agreſti, familiarem præbebant victum, donec ſuper eodem ruſticanus ſtomachus nauſeans, cum Hebræis quondam in deſerto allia potius & cepas appeteret, quæ coctæ ipſis quoque ruſticis febricitantibus primum pro ferculo, poſtmodum vero remedii loco, æque ac Elixir proprietatis, paſſim inſerviebant. Morbum namq; Epidemicū, qui

hyberno

Digitized by Google

hyberno tempore deprehenſus non erat, quod concernit, ineunte vere febris tertiana intermittens omnes primo ſine diſcrimine ruricolas, cujuscunque ſexus, ætatis ac temperamenti, mox oppidanos quoque, inferiori tamen numero, cum magno horrore, frigore & tremore, interdum etiam vomitu, tam pertinaciter corripiebat, ut pauciores, ſudoribus copioſis morbi progreſſu remittentibus, perfecte reconvaleſcerent, ſed omnes fere, qui evaſiſſe videbantur, recidivas absque vitæ nihilominus diſpendio experirentur, multi quoque ſanguinem intermiſſionis die mittentes tertianam duplicem incurrerent. Accedente autem æſtate omnes febres tertianæ duplicis typum aſſumebant, ad paucas ſaltem horas remittentis & veſperi ut plurimum magna ſymptomatum ferocia, veluti vomitione, anxietate, cephalalgia, vertigine, ſtupiditate, aliquando mentis emotione, affligentis: & quamvis magna virium noctu eſſet proſtratio, interdum cum aſphyxia ſociata, mane tamen cuncta hæc remittebant, ipſique ægri lectulos tunc deſerentes & ad matutinos Solis radios ſub porticibus ſe exponentes, commode ſatis cibum appetebant, febribus ejusmodi magis famelicis, quam ſiticuloſis exiſtentibus, atque copioſiori vermium proventu non ſolum in pueris, ſed & provectioris ætatis hominibus, ſtipatis. Sanguis e ſecta vena eductus utplurimum craſſus & ſubpallidus; nonnunquam icterodes, licet in corporis habitu ſimilis color haud floreret; alvi excrementa compacta; urinæ craſſæ & turbidæ, multum lateritii ſedimenti habentes; hypochondria dura ac diſtenta, & quæ ore rejiciebantur, ſubacida deprehendebantur. Nonnullis poſt multos febriles inſultus erumpebant parotides, plerumque ad ſuppurationem tendentes; at neque hoc pacto contumaciſſimæ febres & ad recidivandum pronæ ceſſabant, multo minus phlebotomiis, purgationibus & alexipharmacis, nec decantato Cortici Peruviano, qui ſæpius in extremum vitæ diſcrimen ægros conjiciebat, aut ſaltem non tam ad febrim extirpandã, quam vermes inſignis amaroris ratione necandos proficiebat, cedebant. Quin citius ac tutius reſtituebantur, qui omne remedii genus ſusque deque habebant, ac unice vinum generoſum, aquæ uſu ablegato, potus vice ſeligebant; adeo omnia artis Medicæ hic ſilebant oracula. Equidem autumno Quartanam ſperabant ægri, ſed fruſtra, dum parcior hoc anno Quartana, nulla ardens febris, tantummodo Tertiana obſervaretur, ſub finem autumni & prima hyemis

parte rarior quidem, gravior tamen & demum in continuam ac lentam degenerans, qua ægri cum ſolita periodo circa veſperam fere horreſcebant. Multi alias morbi ſporadici, v. g. diarrhœa, dyſenteria præ illa mitior, icterus, hydrops, catarrhus ſuffocativus, aliique febrili huic exercitui comites adſociabantur, inter Padum ſaltem & Viam Æmiliam, pueris potiſſimum infra trimatum ſubſiſtentibus, cladem inferenti; quemadmodum in ſolo Finalis oppido plures quam tercentum pueri extincti perhibentur, ictero & paulo poſt epilepſia ſupervenientibus: cum e diverſo pauciores adulti, nec niſi ob morbi diuturnitatem & frequentiam recidivarum expirarent, plurimi tamen reconvaleſcentes icterici, lienoſi & cachectici evaderent. Ut ſtragem copioſam, quam pecudes pariter, ſues, apes & bombyces hoc quoque anno experiebantur, nunc prætereamus, cauſas tantummodo brevibus adhuc indigitabimus, a quibus tam febris epidemia, quam ſingula phænomena hactenus enarrata, prolixius & diſtinctius deducuntur. Cauſas inter externas atque communes omnium primo Aer inſimulatur, a copioſis imbribus & ventis borealibus utrumque vitium, defectus non minus volatilium & ſpirituoſarum particularum a ventis disjectarum, quam exceſſus corpuſculorum acidorum e terra lutulenta ac veluti fermentata elevatorum, contrahens, & febribus tertianis æque producendis, atque adeo pertinacibus reddendis, fomitem continuum ſubminiſtrando, appropriatus. Hinc & culpa in prava alimenta ingeſta, qualia fructus ſunt horæi a rubigine corrupti, & piſces præter conſuetudinem ac in nimia quantitate ingurgitati, facillime in ſtomacho putredinem ſive acorem contrahentes, nec non in puteales aquas ex nimia illuvie cænoſas ac ſemiputridas rejicitur. Contagium hic plane negligitur, cum, quod uno in aliqua familia a febre correpto reliqui paulo poſt ex eadem quoque febri decumberent, communi potius diatheſi eodem tempore ad maturitatem evectæ adjudicetur. Interna vero cauſa fermentum acidum pituitæ craſſæ ac viſcidæ commixtum, vel in ventriculo ad mentem Ettmulleri, vel in pancreate juxta Sylvium ſubſiſtens, aſſeritur, quod bile inerti ſimul exiſtente, in venas transfuſum & ſpirituoſis ſanguinis partibus permixtum febrilem orgaſmum concitarit. Etenim diſcraſiam acidam, non bilioſam ſive alcalicam hic prævaluiſſe, partim ex febris ſynochæ ac ardentis abſentia, partim ex præſentia famis, (forſan in vermes quoque referendæ,) colligitur

Digitized by Google

colligitur; prout in rubigine præpollens itidem acida roris acrimonia aquis ſtygiis ſimilis evincitur, tum quod calores adeo remiſſi ſali alcaliſato producendo minus proportionati videantur; tum quod foliis v. g. fabarum, lactucæ & braſſicæ, a ſpiritu acido vitrioli vel nitri adſperſo, a nullo autem alcali ſive volatili ſive fixo, flavedinis nota inuratur; tum denique quod ea, quæ in brutorum ſtrage evenerunt, in rubiginis acido demonſtrando conſpirent. Solas autem nuces a rubigine integras perſtitiſſe, vel ob duplex quo cinguntur involucrum, vel ſalis volatilis ratione in cortice viridi multum abundantis, ceu cujus intuitu & Decoctum ex hoc expertæ virtutis ad luem Gallicam perdomandam in Anglia, ex D. Nathan Lacy Medici cujusdam Angli communicatione, paretur.

ODORICI RAYNALDI TARVISINI, Congregat. Orat. Presbyteri, Annalium Eccleſiaſticorum ab A. 1189, ubi Cardinalis Baronius deſinit, Tomi XXI

Pars I. Romæ 1676. Pars. II. ibidem 1677. in fol.

PErvenit tandem ad nos, poſt longas moras, *Tomus* hic Annalium, quem poſt octo alios diverſis temporibus editos (quorum & Synopſis Romæ A. 1667. hoc titulo prodiit: *Annales Eccleſiaſtici ex tomis octo ad unum pluribus auctum redacti*) *Odoricus Raynaldus*, ſenio gravis, & operi, quod in continuandis Baronii Annalibus ſuſceperat, immoriturus, utcunque elaboravit. Ejus pars prima editionis annum 1676, altera 1677 præfert: ſed utraque, etſi typis exſcripta eo jam tempore fuerit, non ita pridem demum ex tenebrarum carceribus, quibus tantum non damnatum opus videri potuit, in publicam lucem erupit. Cauſas, cur ſuppreſſus tanto tempore tomus hic fuerit, aliis perſcrutandas relinquimus. Munitus quidem eſt liber conſuetis approbationibus, ſed anno demum 1685 & 1686 impetratis: neque tamen celare lectorem voluerunt editores fatum libri, quod non ſolum Autoris, morte præventi, limam ultimam non ſubierit, ſed nec melius ab eo tractatus fuerit, cui emendatio commiſſa erat. Fatentur itaque, *opus innumeris pene errorum ſcatere fœditatibus*, longumque erratorum indicem ſubjiciunt, ſed præcipuorum tantum, multo pluribus neglectis, quam indicatis. De erratis in ſtylo vel orthographia; maxime autem

Digitized by Google

in nominibus hominum & locorum loquimur: nam de aliis alii viderint. Hanc nimirum legem ſibi jam dudum conſtituiſſe videtur Autor, ut majeſtatem Pontificiam omnibus modis adſtrueret, omnes autem, qui illi detrahunt, ut hæreticos, Satanæ filios, æternæque damnationis reos, totique Orbi Chriſtiano execrabiles ſiſteret: his enim elogiis illos paſſim perſequitur. Majori autem id cum acerbitate facere cœpit, poſtquam *Tomo Operis* XX (qui anno 1663 Romæ, non multo quam hic correctior, prodiit) ad hiſtoriam cœptæ a Luthero anno 1517 diſputationis pervenit. Nulla enim tam falſa atque inepta de moribus & actionibus Lutheri fabula fuit a perfrictæ frontis hominibus diſſeminata, licet a modeſtioribus inter ipſos adverſarios ſpreta aut rejecta, quam Raynaldus libris ſuis non inſeruerit, ipſis verbis autorum, qui infenſiſſimi Luthero fuerunt, liberaliter deſcriptis. Quapropter ubi de rebus Proteſtantium agit, (facit autem id maxima operis parte) omnes prope paginæ floſculis *Eccii*, *Cochlei*, *Surii*, *Remondi*, *Roſſæi*, *Belcarii*, *Sanderi* & ſimilium reſperſæ ſunt. Idem hoc *Volumine XXI* præſtitit, quod in duas partes diſtributum eſt. Prima incipit ab anno 1534, & finitur anno 1549: altera, quæ ab anno 1550 uſque ad annum 1565 geſta ſunt, perſequitur. Compilationem Bullarum & Diplomatum aut Brevium, quæ vocant, Pontificiorum, eodem, quo in prioribus Tomis, modo continuavit, *Bullaria* & *Regeſta Brevium* typis publicata exſcribens; aliquando manuſcripta allegans, ſed ſæpe verbis tantum initialibus documentorum recitatis, ex quibus contenta percipi non poſſunt. Prolixus eſt in actis Concilii Tridentini, neque tamen ſolertiam Pallavicini æquat, nec judicari, niſi poſt diligentem collationem poteſt, an ſemper conſentientia cum illo tradat. Opus hoc ſummatim conſiderantes minimam ejus partem Raynaldo tribuendam eſſe deprehendent, & quæ ipſius ſunt, fere in convitiis & rigidis cenſuris conſiſtere. Noſtrates tamen ex venenis etiam his medicamenta colligent, quibus in veritatis agnitione confirmari poterunt. Prodidit etiam Autor, ſive odio cæcus, ſive lapſus judicio, quæ cautiores ſiluiſſent. Ex his, ut & aliis, ſpeciminis ſaltem cauſa quædam indicabimus, cum compendium tot rerum & hiſtoriarum exhiberi non poſſit.

Ad annum 1536. n. 37. integer exhibetur libellus in 72. paragraphos diſtinctus, a *Johanne Fabro* Epiſcopo Viennenſi d. 4. d. Julii A. 1536 ad Pontificem Paulū III. transmiſſus hoc titulo: *Præparatoria futuri univerſalis*

nuper

Digitized by Google

nuper indicti concilii &c. Summa nimirum *Fabri*, velut omniũ Lutheri hoſtium primicerii, ſolicitudo & cura erat, ut Lutheri dogmata in Concilio cõdemnarentur. Suadet vero, ut vaſta Lutheri volumina, quæ in Concilio perlegi minime poſſint, doctis quibusdam viris a Pontifice tradantur, qui errores ex iis excerpant; exempli cauſa, quod a Luthero ſtatuatur, omnia ex abſoluta neceſſitate evenire, & nullum plane eſſe liberum arbitrium. *Ea omnia*, ait §. *14, ex libris editis expiſcari & emulgere & trahere oportet*, (quod profecto diligenter factum eſſe, oſtendi poſſet.) Addit §. 18, *quia angelus Satanæ ita pulchre ſeſe transfiguravit in angelum lucis, formidandum eſſe, ſi totos libros hæreticorum legerent in Concilio nationes, ut non modo illos non impugnarent, verum potius inde Lutherani & hæretici redderentur. Nam in his*, ait, *reperies non niſi mellita & (ut eſt in Iſaia) placentia quæque; totus enim ad hoc intendit Lutherus, ut rejiciat ac damnet bona opera, conſuat (ut eſt in Ezechiele) pulvillos ſub omni cubito manus, & faciat cervicalia ſub capita univerſæ ætatis, ad capiendas animas. Proinde tutum non erit, omnibus omnium hæreticorum libros, ſed tantum conſtantiſſimis & probatiſſimis viris communicare. Alioqui ſi inciderit quiſpiam vel ſciolus, qui prurientes aures habet, facile illicietur, ut malo adhæreat. Proinde ad lucrandum tempus & animas multorum Chriſti fidelium, ſaltem propoſitiones intolerabiles, pugnantes, & quæ prima facie quibusvis bonis abominabiles & explodendæ videbuntur, ſunt excerpendæ ac extrahendæ, quibus oblatis & ſimul originali, ad verificationis reviſionem procedendum.* Monet porro §. 27. *Biblicos* ac in *Biblicis Scripturis bene armatos* eſſe oportere, qui cum Lutheranis diſputare velint; argumenta enim ſcholaſtica ab illis pro ſophiſticis haberi & irrideri. Addit: *exempla ſunt odioſa; alias hoc longius deducere poſſem:* neque enim ignarus erat, qua cum confuſione ſæpe iſtiusmodi ſophiſtæ ex diſputationibus cum Evangelicis diſceſſerint. Urget §. 37. Bibliorum Latinorum reformationem, *quia per ignorantiam linguarum & impiiſſimam injuriam* (legendum forte *incuriam*) *multæ intolerabiles irrepſerint mendæ.* Exempla allegat ex Matthæo, *lignum* fumigans pro *linum*, & ex Johanne, *ſic* volo eum manere, pro *ſi* volo. Excerpi etiam jubet errores ex verſione Lutheri & Zvinglii, quorum plus quam tria millia eſſe opinatur, & ut contradictiones ex ſcriptis Lutheri colligantur, (emulgendo nempe & expiſcando, ut ſupra ſuaſerat.) Commendat tractatus ſuos de Miſſa & primatu Petri, optatque ut acta Conciliorum & editiones veterum ſcriptorum in Con-

cilio

Digitized by Google

cilio præſto ſint; talia enim a Lutheranis allegari, & fortaſſe non ſatis nota Romæ eſſe. Accuſat tamen *Capitonem* & *Oecolampadium*, quod loca quædam Patrum in verſionibus ſuis omiſerint, aut corruperint. Audet etiam Pontifici diſtinctionem *Curiæ & Eccleſiæ Romanæ* §. 54. proponere, & flagitare, ut *abuſiones, maculas, rugas & nævos, quibus magna ex parte Eccleſiæ facies defœdata ſit, deleat*, & inprimis *centum* illa *gravamina nationis Germanicæ moderetur & mitiget*, quod fieri poſſe ſperat, ſine magno Pontificis incommodo; conſultius vero eſſe dicit Sedi Romanæ, *ultro in abuſionibus, quæ irrepſerunt, cedere, quam tandem cadere*. Sic caveri poſſe ait §. 56. opprobria a Lutheranis, qui dicturi ſint: *Medice, cura teipſum*, & alia ex Rom. II. 21. 22. 23. & Pſ. L. 16. *Hæc* (ſcribit) *ſumma neceſſitate adactus dico, bono zelo ac animo; ita me Deus amet*. Suggerit poſtea §. 60. Pontifici, ut viatica doctis Catholicis, qui plerumque Codro pauperiores ſint, præbeat, quo frequentiores adſint in Concilio. Tandem neſcio quæ inter Lutheranos & Zvinglianos Francofurti & Iſenaci acta Pontifici mittit, (hæc enim Raynaldus non produxit) ex quibus diſſenſiones illorum probare vult. Hactenus de illo Fabri libello. Raynaldus vero etiã Pontificis reſponſum ad ſingula capita *n. 38.* ſubjicit, in quo pleraque ſibi probari & curæ futura eſſe teſtatur, operamque *Fabri, Eccii, Cochlei, Nauſeæ*, & aliorum, deſiderat. Hæret tamen ad §. 48. an integra edenda ſint (ut Faber ſuaſerat) *acta Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis*; veretur enim periculum autoritatis ſummi Pontificis, *in cujus dignitate*, dicente Hieronymo, *pendeat ſalus Eccleſiæ*. Quamvis autem fateatur, illum de Epiſcoporum ſingulorum dignitate loqui, id tamen ait multo melius accommodari poſſe ad Summum Pontificem, qui ſit *Epiſcopus Epiſcoporum*. Confidenter quoque pronuntiat, Baſileenſe Concilium poſt translationem degeneraſſe in conventiculum ſchiſmaticorum & ſynagogam Satanæ. Ad liberam illam admonitionem de reformatione Curiæ Romanæ frigide & breviter regerit, vocatos a ſe eſſe hanc ob cauſam Prælatos quosdam, doctrina & ſanctitate vitæ inſignes. Sequitur *n. 39.* longa Fabri ad *Moronum* Legatum Pontificis epiſtola, in qua progreſſum Lutheraniſmi & aliarum ſectarum deplorat, & neceſſitatem Concilii urget, Cochleum & ſimiles eximie commendat, & multam ſpem ex diſſidiis Lutheranorum oſtentat, de quibus magna profecto cum hyperbole jactat, quod non in una provincia aut civitate, ſed ne in domo aut menſa quidem una inter ſe conveniant.

In

Digitized by Google

In hiſtoria aliorum actorum hujus anni, ubi literas Cæſaris clementiſſimas d. 7. Jul. ad Proteſtantes datas, & ab his ſæpe allegatas, quibus de pace bene ſperare jubebantur, Raynaldus refert, errat in loco. *Sibiliæ* enim datas eſſe notat: nec correctores peritiores fuerunt, cum *Hiſpalin* legi jubent; ſcriptæ enim fuerunt in caſtris ad *Savilianum*, oppidum in Subalpinis. De concordia hoc anno Wittenbergæ in cauſa Sacramentaria tractata, nil niſi *Cochlei* & *Surii* nugas refert, impacta etiam Luthero calumnia, quod pulſis Auguſtinianis, ædes eorum per latrocinium hoc anno invaſerit; cum Auguſtiniani ante annos plusquam decem Evangelicæ doctrinæ nomen dediſſent, ædes autem vacuas, Principis haud injuſta conceſſione, Lutherus, qui ſolus ex ſodalitio ſupererat, inhabitaret. Pari modeſtia Proceres Proteſtantium, Cæſari cauſam ſuam literis commendantes, *infeliciſſima Satanæ mancipia & ſtulte cæcos* vocat; *Paulo* quoque *Veneto* ſive *Suavi* ferociter inſultans.

Ad annum 1537 Inſtructio n. 6. exhibetur, d. 24. Octob. anni præteriti *Joh. Morono* Mutinenſi Epiſcopo a Pontifice data, cum is legationis tyrocinium ſubiret, ad Ferdinandum Regem Romanorum miſſus. Excuſat ante omnia Pontifex, quod Hungariæ Epiſcopos *Johanni Waywodæ* adhærentes & interdicto ſubjectos ad Concilium vocaſſet. Mandat Nuntio, ut hæreticos Calixtinos in Bohemia, quia in multo paucioribus, quam Lutherani & Zuingliani a Romanis diſſentirent, bonis modis conciliaret, & ad Concilium invitaret. Modum oſtendit, quomodo Proteſtantibus tuti commeatus literæ partim a Cæſare, partim ab ipſo Concilio dari poſſint. Acceſſerunt arcana monita lectu non indigna. Commendatur inter alia *Morono*, ut ſumtuum rationem habeat, vitata avaritia pariter & prodigalitate: humanitatem & gravitatem juxta colat, ne contemtum aut odium incurrat: in diſpenſationibus & indulgentiis neque avidus & rapax, neque nimis largus ſit. Nominatim benefacere jubetur *Fabro* & ejus adjutoribus ſupra nominatis, & *Vicelio*, (qui perperam *Vecchius*, nec magis recte in indice corrigendorum *Veccrellius* vocatur,) denique etiam Ludovico *Bero* Pariſienſi, qui Baſilea religionis cauſa *Friburgum* in *Brisgoviam* abiiſſe dicitur. Diligenter præterea monetur, ut a diſputationibus de materia Lutherana abſtineat, ut & de gravaminibus Germaniæ, utque plus de talibus omnibus audiat, quam loquatur, & ad ſilentii potius partem inclinet, ea tamen cum prudentia, ut cauſæ

Digitized by Google

Pontificiæ diffidere non videatur: in compotationibus ipſe aut comites ejus hilari quidem vultu invitationes acceptare ſe fingant, ſed in reſpondendo modum non excedant; ubi de quodam nobili Saxone, Camerario ſecreto Leonis X (*Miltitium* intelligit) refertur, *quod ſæpe perturbatus vino, effutierit de Pontifice & Romana Curia non modo quæ facta erant, ſed & quæ alii e malo mentis affectu ſi i ſint imaginati & optaverint, eaque omnia ſcriptis excipientes poſtea in conventu Wormatienſi publice coram tota Germania Pontifici exprobraverint.* De *Vorſtii* Epiſcopi Aquenſis (*Veſtrium* vocat Raynaldus, nec emendat corrector) legatione in Germaniam *n. 13.* vulgata refert; literas tamen ejus producit, ex quibus paulo plura, quam ex Pallavicino *Lib. IV. cap. I. §. 6.* percipi poſſunt, inprimis de actis cum Cardinali Moguntino. Memorat enim aliquid de hujus lite cum Electore Saxoniæ de oppido *Badenſi* (*Halenſi* dicere debuit) & inſtituto eam ob cauſam inter Principes conventu *Zictenſi* (Cizenſi) quo vel amice componi controverſia illa debebat, vel bellum Moguntini judicio metuendum erat. Et hic quidem, quando cum Proteſtantibus agebat, non leve pacis ſtudium præ ſe ferre ſolebat, ſed per *Vorſtium* (cujus ſane hoc in negotio relationi fides haberi debet) Pontificem hortatus eſt, ut vires compararet, quibus Proteſtantes poſt decreta Concilii, imperata facere cogeret. Negat promiſſam in Comitiis Norimbergenſibus A. 1522. fuiſſe Concilii convocationem in Germania, nec *Cheregati* Nuntii officioſa verba eo trahi debere putat. Elidit querelam Proteſtantium, quod in Bulla indictionis hæretici nominentur, cum tamen illud vocabulum de Anabaptiſtis & Zuinglianis intelligi poſſit; ſuæ itaque conſcientiæ ſtimulis convictos, nomen illud ſibi attribuiſſe exiſtimat. Exceptioni, quod Pontifex in propria cauſa judex eſſe nequeat, Veteris Teſtamenti autoritatem opponit, ſummo Pontifici ſupremum judicium tribuentis, & nequiores Judæis eſſe contendit Lutheranos, quod minoris faciant Novi Teſtamenti ſummum Sacerdotem, quem Papam eſſe putat. Supremum vero hujus imperium vulgatis Cypriani & aliorum dictis tuetur, & juris Canonici deciſione, quod etiam in ſua cauſa judex eſſe poſſit, *cap. cum veniſſent, de judiciis.* Eandem poteſtatem Principibus quoque ſecularibus vindicat. Poſt multa convitia *Surii & Hoſii* verbis Luthero inflicta, etiam hoc ei exprobrat, quod Smalcaldiæ morbo, quo moriturum ſe eſſe credebat, afflictus odium Papæ ſuis cõmendaverit ſeu legave-

legaverit. Hoc eum ait a Satana didiciſſe, qui in magorum & ſagarum conventu odia & vindictas imperet. Luthero tamen cum perſona Papæ nihil erat negotii; cauſæ modo veritatem defendendam commendabat, quæ cum odio falſi non poteſt non eſſe conjuncta. Producit reſcriptum (*n. 35.*) Pontificis, quo *Archiepiſcopum Salisburgenſem* objurgat, quod ſynodum dioeceſis ſuæ intempeſtive indixiſſet, & ad eam vocaſſet, qui de jure & conſuetudine admitti non debuiſſent, multa etiam erronea circa fidẽ propoſuiſſet, & de controverſiis dudum deciſis libere tractari permiſiſſet; quod Pontifici tanto gravius fuerit, quia plus quam quinquaginta Catholicos (de Prælatis ſine dubio hoc intelligendum eſt) in Germania eſſe audiat, qui Concilium nationale flagitent. Quæ de *Poli* irrita in Angliam legatione narrantur, nota ſunt. Refert tamen Autor literas Pontificis ad Leodienſem Epiſcopum datas, quibus ab eo petit, ut *Polo*, quantum æris poſceret, numerari juberet, omne bona fide a Pontifice recepturus, cavetque ei oppignoratione omnium ſuorum & S. Sedis bonorum.

Anno 1538. inter literas, quas pro inſtituto ſuo ex compilationibus *Brevium* Pauli III. exſcribit, notabiles ante alias ſunt, quas Pontifex d. 8. Aug. ad Johannem Hungariæ Regem dedit, *n. 10.* Hoc enim titulo jam eum honorat, poſtquam cum Ferdinando hoc tempore transegiſſet, multumque laudat ejus pietatem & prudentiam. Magna inde ſpe elatus, Carolum Cæſarem *d. 15.* Octob. hortatur, ut ipſe exercitum in Turcos ducat. In Lutheranos ſolita acerbitate invectus Raynaldus, Cochlei ſycophantiam mire probat, quod contradictionem inter Auguſtanam Confeſſionem & Lutheri ſcriptum quoddam eruerit. In illa enim aſſeritur, Miſſam a Lutheranis retineri & cum veneratione celebrari, Lutherus vero Miſſam pro abominatione ſumma habet. Sed valde obtuſum eſſe oportet, qui inſpectis libris non deprehendat, in Confeſſione de *Sacramento Cœnæ*, in libello vero Lutheri *de ſacrificio miſſatico* agi; neque tunc primum hanc diſtinctionem a Luthero factam eſſe, ſed ab annis viginti, ut ex ſcriptis ejus conſtat, omnibus inculcatam fuiſſe, manifeſtũ eſt. Interim Sadoleto Cardinali elegantis doctrinæ & moderatæ mentis viro, nugivendus Cochleus impoſuit, ut ex literis ad hunc patet, quas Raynaldus *n. 43.* exhibet. Inſerit poſt hæc articulos ab *Aleandro* & *Thoma Badio* Magiſtro Palatii ſatis moderate conceptos, quibus *Auguſtinus Tarviſinus*, qui *Senis* Lutheri dogmata pro-

Digitized by Google

ponere cœperat, ſententiam de peccato & libero arbitrio profiteri coactus fuit. Inter illos tractatur etiam de quæſtione, num infantes, qui ante Baptiſmum decedunt, pœna damni aut ſenſus afficiantur, & ſtatuitur, indifferentem eſſe utramvis opinionem; commendatur tamen ea, quam major pars ſequi ſolet.

Anno 1539. acta conventus Francofurtenſis & concordiæ meditamenta in cenſuram vocat Raynaldus, productis inter alia literis *Cochlei* ad Cardinalem *Contarenum*, d. 27 Febr. datas, in quibus vehementer dolet, quod audiat Melanchthonem Pontificiis auſpiciis in Italiam vocari, oblato quingentorum, imo ſi aliter moveri ad iter non poſſit, mille aureorum annuo ſalario; cum tamen, ut ait, intra viginti annos nemo hoſtilius egerit, licet falſis blanditiis Papæ & Cardinalibus illuſerit; addit, veniam abeundi ab Electore Saxone impetraturum eum non eſſe. Cavere itaque ab hoc, ut & a *Bucero*, quem verſipellem, vagum & malignum hominem eſſe dicit, ſibi jubet Aulam Romanam. Addit, *Bucerum* quidem in tractatu quodam multa largitum eſſe contra ſectam ſuam, ſed nunc librum edidiſſe, quo ſævior & malignior in Clerum nunquam prodierit. De legatione *Riccii* ad Cæſarem in Hiſpaniam miſſi, ut ratihabitio Francofurtenſis conventionis impediretur, paulo plura & apertiora prodit *Raynaldus*, quam apud Pallavicinum reperiuntur, utque Johannes Lundenſis 2500 aureos ab Auguſtanis acceperit, & a Rege Daniæ promiſſionem habeat penſionis annuæ 4000 aureorum ex Archiepiſcopatu Lundenſi: ſed iſta omnia Lundenſis falſiſſime ſibi affingi queſtus eſt. In mandatis *Riccii* hoc etiam erat, ut Cæſari demonſtraret, omnes Germanorum conventus in Eccleſiæ Romanæ damnum redundare. Nominatim accuſat Pontifex *Spirenſem* A. 1526, *Norimbergenſem* anno 1532, *Cadanenſem* anno 1534, acta Viennæ inter Ferdinandum Regem & Electorem Sax. anno 1535. Acerrime vero de *Maria* Hungarica, Cæſaris ſorore, Belgii Gubernatrice queri juſſus erat, quod clandeſtina cum Proteſtantibus conſilia haberet, & Archiepiſcopum Trevirenſem, & per hunc alios Principes a fœdere Catholico dehortata eſſet. Aliæ *Cochlei* literæ d. 1. Jul. ad *Contarenum* datæ exhibentur, in quibus ſtrenue mentitur, a Luthero & Pomerano jam ſutores & ſartores, magno numero ad eos accurrentes, ſacerdotes creari. Nec magis vera ſunt, quæ his verbis de morte Georgii Saxoniæ Ducis ad Contarenum refert: *Dolorem nobis auget ferme in immenſum horrenda*

Digitized by Google

horrenda de toxico ſuſpicio, per quam populus Dreſdenſis vehementer furebat in Medicum, quando inopinata morte præripiebatur filius. Suppreſſus autem patris autoritate aliquantiſper popularis fremitus nunc ex patris ipſius obitu vehementer recrudeſcit, atque invaleſcit ſuſpicio, ſuſpicantibus pluribus, ambos Principes noſtros veneno periiſſe: moventur autem ad ſuſpicandum ex accelerato utriusque obitu. Addit, nonnullis interjectis: *Paſtor Dreſdenſis celebrata coram eo Miſſa, Communionem ſacram & extremam Unctionem ei impertiit, cum dixiſſet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolicum, atque crebro Deogratias agens, dixiſſet: Benedictus Dominus Deus in omnibus operibus ſuis. Expiravit XX. Aprilis MDXXXIX.* Quis in aliis credat Cochleo, qui ne diem quidem obitus recte novit? Georgius enim non d. 20, ſed *d. 17. Aprilis* deceſſit. Teſtimonia veriora habemus, Georgium morti proximum, a nobilibus quibusdam, Evangelicæ doctrinæ clam addictis monitum, in ſolo merito Chriſti ſpem ſalutis poſuiſſe. Sed hæc, ut diximus, ſpeciminis loco ſunto, nec plura nunc afferri potuerunt. Fortaſſe aliis etiam curæ erit reliqua, quorum magnam ſegetem deprehendent, perſequendi.

LIBRI NOVI.

Inſcriptionum antiquarum Sylloge in duas partes diſtributa, quarum prior Inſcriptiones Ethnicas ſingulares & rariores pene omnes continet, quæ vel Gruteri Corpore, Sponii Miſcellaneis aliisque ejusdem argumenti libris reperiuntur: altera Chriſtiana monumenta antiqua quæ hactenus innotuerunt omnia complectitur. Edita & notis illuſtrata a Guilielmo Fleetwood. Londini 1691. fol.

Teatro Gallico, o vero la Monarchia della Real Caſa di Borbone in Francia, ſotto i Regni di Henrico IV. Luigi XIII. e Luigi XIV. di Gregorio Leti. Amſterdam 1691. in 4, charta auguſta.

Sebaſtiani Schmidii Myſterium Gratiæ Divinæ in incarnatione & paſſione Filii Dei, Spiritus S. chariſmatibus, Angelorum miniſterio. Hamburgi 1691. in 4.

Joh. Nicolai Pechlini Obſervationum Phyſico-Medicarum Libri III. Quibus acceſſit Ephemeris vulneris thoracici. Hamburgi 1691. in 4.

Joh. Andreæ Schmid Otium Negotioſum Jenenſe. Jenæ 1691. in 4.

Flora Lugduno-Batavæ Flores, ſive Enumeratio ſtirpium Horti Lugduno

Digitized by Google

duno-Batavi expoſitarum a Paulo Hermanno, editarum a Lothario Zumbach. Lugd. Bat. 1690. in 8.

Jeremie traduit en François, avec une explication. Suivant la Copie imprimée à Paris, 1691. in 12.

Ahaſveri Fritſchii Additamenta ad Capitulationem Joſephi Electi Romanorum Regis Auguſtiſſimi. Lipſiæ 1691. in 4.

Laurentii Ingewaldi Elingii Hiſtoria Græca Linguæ, cum Præfatione Adami Rechenberg. Lipſiæ 1691. in 8.

Friderici Spanhemii F. de Papa Fœmina inter Leonem IV. & Benedictum III. Diſquiſitio Hiſtorica. Qua ut Onuphrii, ſic præcipue Allatii, Labbei, Blondelli, Launoii, Mabilloni, adverſus Papiſſam præſidia excutiuntur. Lugd. Bat. 1691. in 12.

Nouvelles Conjectures ſur la Peſanteur, par Mr. Varignon. A Paris 1690. in 12.

Reflexions Morales de l'Empereur Marc Antonin, avec des Remarques. A Paris 1691. in 8.

Memoires de Mr. le Comte de Tavanes. A Paris & Amſterdam 1691. in 12.

L'Hiſtoire du temps, ou Relation de ce qui s'eſt paſſé de memorable en Europe, & principalement en Angleterre, depuis les regnes de Charles II. & de Jaques II. Traduit de l'Anglois. Tome 1. & 2. A Amſterdam 1691. in 12.

La Conchiglia Celeſte. Elogii di Prencipi ed Huomini illuſtri d'Italia; di Gioan Battiſta Fabri. Venetia 1690. fol.

NOVA LITTERARIA.

In Anglia Oxoniæ *Jo. Billius* (is quem nitidiſſimam Novi Teſtamenti editionem curare alio loco innuimus) in colligendis primorum Eccleſiæ Doctorum monimentis ſtrenue pergit, proximeq; *S. Barnabæ* Epiſtolã cum omnium, quotquot in eam extant, commentariis, & ampliſſima *Henrici Dodwelli* Diſſertatione, ejusque Paraphraſi editurus eſt. Parata quoque ad prælum jam ſunt *Clementis Romani τὰ σωζόμενα* cum *Millii* Animadverſionibus. Prodeunt & *Dodwelli* Prælectiones in Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, magnam partem jam impreſſæ.

In Gallia, referente in Hiſtoria Actorum Eruditorum Baſnagio, *P. Bernardus de Montfaucon* typis Aniſſonianis ſubjecit S. Athanaſium. In Mona-

Digitized by Google

Monaſterio Benedictinorum S. Germani editio *S. Ambroſii* abſoluta jam eſt: *S. Auguſtini* vero abſolvetur propediem. Operum *S. Hilarii* pars fere dimidia typis jam eſt exſcripta. *S. Hieronymus* poſt quinque aut ſex menſes prælo ſubjicietur: quæ nova editio integrum exhibebit volumen operum hujus Patris hactenus ineditorum, quæ inter *Canon Hebraicæ veritatis* momenti eſt non exigui. *Boſſuetus* Meldenſis Epiſcopus Commentarium ſuum in Pſalmos Davidis jam abſolvit, in quos paratum quoque prælo Commentarium habet *Ludov. Ellies du Pin. P. Pezeron* in eo eſt, ut vindicias edat libri ſui de Antiquitate temporum adverſus P. Martianay, qui illum impugnavit. Vita Carteſii, cujus auctor *Bailletus* fertur; nec non vita Cromvvelli, quam Abbas *Raguenetus* expolivit, ſub prælo jam ſunt. Proxime quoque proditura eſt Hiſtoria Caroli V. Regis Galliæ, ab Abbate *de Choiſi*, ut putatur, compoſita. Liber Gallicus *L' Avis aux Refugiez* Lutetiæ Pariſiorum denuo, & cum privilegio quidem Regio, imprimitur. Auctor, qui latere hactenus voluit, quod continerentur libello quædam, quibus Archiepiſcopus Pariſienſis & P. de la Chaiſe non potuerunt non offendi, modum invenit redeundi cum iis in gratiam, additis nonnullis, aut demptis quæ diſplicere illis poſſent. Imprimitur & Hiſtoria Janſeniſmi, quæ inter *P. Rapini* ſchedas, & integra quidem reperta eſt, Janſeniſtis haud dubie multum negotii faceſſitura. Jacobinus quidam, *P. Benedictus*, Hiſtoriam Valdenſium duobus tomis in 12. edidit, uſus Manuſcripto quodam admodum pretioſo *Graveroli* Advocati Nemauſenſis, quod veluti protocollum eſt eorum, quæ ab Inquiſitoribus fidei tempore Cardinalis Claromontani adverſus Albigenſes actitata fuere. In Flandria impreſſus dicitur liber precū, in quo loco verborum: *Sancta Maria mater Dei*, ſubſtituta hæc ſunt: *Sancta Maria mater Chriſti*. *Du Bois* Officiorum Ciceronis verſionem Gallicam molitur, juxta editionem Latinam *Grævii*, quæ optima omnium viſa ipſi fuit. Proditura proxime eſt vita Cardinalis Ximenii, auctore *Fleſcherio* Nemauſenſi Epiſcopo. *Nodotus* haud parum ſibi de recuperatis felici caſu in Germania Petronii Fragmentis gratulatur, quæ Belgradi, cum expugnata ea urbs a Chriſtianis eſſet, reperta creduntur. Primordia Satyrici, quibus hactenus deſtituimur, ibi comparent. Encolpius continua nec interrupta ſerie, quæ ſibi evenerint, enarrat. Legitur primis paginis genuina Tryphænæ & Lycæ, eorumq; omniū, quæ in navigio cōtigerunt,

Hiſtoria,

Hiſtoria, ac denique Eumolpi populo Crotonienſi ſacrificati infauſtum fatum: quæ omnia eleganter cohærent, & pro legitimo Petronii fœtu fortaſſe haud difficulter agnoſcentur. Hactenus ex Baſnagio Excerpta dedimus.

P. *Richardus Simon*, quod aliunde habemus cognitum, Lugduni in Gallia Dictionarium edit Biblicum, Rabbinica bene multa complexum. Eſt & Lutetiæ Pariſiorum vir quidam inſignis, linguarumque orientalium peritia Simonem ſuperans, qui ſimile Lexicon prælo paratum habet: adeo Dictionariorum jam ſeculum viget. *P. Imbert* e Soc. Jeſu Introductionem in Notitiam Numiſmatum editurus eſt. *Morellus* Tabulas Chronologicas ſub manibus habet, nummariæ itidem rei illuſtrandæ inſervituras. *Le Blanc* quoque Tractatum de antiquis numiſmatibus adornat, difficultates quamplurimas, quibus aliorum hujusce argumenti ſcripta laborant, explicaturus. *Vaillantius* in Cilicia numiſmatum ope illuſtranda occupatus eſt. Ita quo tempore res nummaria magis magisque labaſcit, monetaque paulatim ex argentea in cupream & ferream degenerat, doctorum virorum induſtria in eruendis e tenebris inque lucem protrahendis atque illuſtrandis antiquis numismatibus non ſine æmulatione, eaq; honeſtiſſima, occupatur. Nam & *Carolus Patinus* 6000 nummos nunquam antea luci publicæ expoſitos cum litterato orbe propediem communicaturus dicitur. *Graverolum*, cujus jam ſupra mentionem fecimus, Sicilia Parutæ occupatum adhuc habet. *Lantinus* verſionem Arithmeticæ *Nicomachi Geraſeni*, & in eam notas adornat, quibus Analyſin veterum reſtituturum ſe confidit. *Samuel Chapuzeau* libellum apologeticum adverſus Jurium compoſuiſſe dicitur eluendæ notæ, quam ſibi ab illo inuſtam in libro, quem *Genium Arnaldi* (l' Eſprit de Mr. Arnaud) inſcripſit, conqueritur.

Errata quædam.

Pag. 97. l. 11. pro *a. 168. p. 702.* lege *a. 1682. p. 70.* P. 147, l. 11. pro *Columbi* lege *Columbani.* l. 20. in quibusdam exemplaribus, pro *Sanctum (Malachiam puta) Pontificum*, lege *Sanctum Pontificem, Malachiam puta.* Pag. 130. lin. antepenultima pro *fuſſe* lege *fuſe*. P. 143. l. 3. pro *autorem e de*, lege *autorem de.* P. 175. l. 20. pro *Talmudicos* lege *Talmudici*,

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Maji, Anno M DC XCI.

VETERES ARCUS AUGUSTORUM TRIumphis inſignes cum imaginibus triumphalibus reſtituti, antiquis nummis notisque Jo. Petri Bellori illuſtrati, æneis typis vulgati per Joannem Jacobum de Rubeis.

Romæ, ad Templum S. Mariæ de Pace, 1690, in folio. Conſtant plagulis majoribus 39, quarum 36 ſchematiſmos exhibent.

INter monumenta, quibus olim magnificentiam ſuam terrarum illa gentiumque Dea Roma oſtentavit, quorumque nunc reliquiis priſtinæ majeſtatis ſuæ ſpeciem quandam adumbrat, vel maxime Arcus Triumphales in pretio ſemper habiti fuerunt antiquitatum cultoribus. Horum ergo ſtudiis gratam operam præſtiturus *Editor* præſentis operis, poſtquam dudum in *Admirandis Romanarum Antiquitatum ac Veteris Sculpturæ Veſtigiis* Arcuum dictorum ſelectiores aliquot ſuo ære expreſſos exhibuit, jam omnium, quotquot quidem Romæ adhuc extant, facies & ornamenta curioſæ Poſteritatis oculis exponere conſtituit. Ad quod inſtitutum impigre perſequendum non parum excitatum ſe fatetur editione *Arcus Severiani*, qui elegantiſſime depictus cum explicatione *Joſephi Mariæ Suareſii* typis *Barberinis* anno 1676 Romæ prodiit: adjutum etiam ex *Bibliotheca Barberina* codice *Franciſci Jamberti* architecti, cognomento *Sangallii*, Arcus aliquot delineatos deſcriptosque continente, qui ea ætate, anno circiter 1468, non adeo ut hodie mutili attritique, integriorem faciem referebant, ut ex ejus delineationibus deperdita nonnulla reſtituere potuerit.

Primum in Opere locum occupat *Arcus* Imperatoris *Titi*, quatuor olim ſuffultus columnis; quarum duæ tantum adhuc ſuperant, reliquæ in *Jambertino* codice ac veteribus ectypis ſpectantur. Junctæ ſunt arcui Tabulæ ſeptem, duæ laterales tranſeuntibus occurrentes, triumphus

 phus

phus ſcilicet ac ſpolia Judææ ſubactæ: una fornici medio affixa, apotheoſin Titi; quatuor, triumphalem pompam, in zophoro arcus parvis ſigillis ſculptam exhibentes.

Succedunt *Arcus Septimii Severi. Unus Severi* ejusque filii *Antonini*, ad radices Capitolii collocatus, de novo nunc æri inciſus, additis *Suareſii* explicationibus. Exornant hunc itidem ſeptem Tabulæ, quatuor majores ad bellum Parthicum ſpectantes; duæque minores: quibus ſeptimam Editor illuſtrando arcui ſuperaddidit, Nummorum *Severi* & *Filiorum*, belli ac victoriæ decora referentium. *Alter*, ab Argentariis in veteri foro Boario eidem *Severo, Juliæ uxori, filiisque* dicatus, duarum facierum; quarum una frontem exhibet, altera ejus latus cum captivis & ſacrificiis. Hos excipit *Gallieni*, vulgo *S. Viti*, a templo cui adhæret, dictus: ruditer extructus absque imaginibus.

Sequitur *Conſtantini* arcus, qui ex *Trajaniano*, ſive ex triumphalibus *Trajani* monumentis dejectis excitatus, ab una alteraque fronte quatuor præfert Tabulas ejusdem *Trajani* rebus geſtis inſignes. Sub his totidem rotundi clypei ſpectantur cum ſacrificiis & venationibus. Reliquum hinc inde ſpatium, ſupra minores fornices tabula exornat *Conſtantini* facta repræſentans. Accedit huic alia major ex iisdem triumphalibus *Trajani* monumentis detracta, victoriæ Dacicæ imaginibus decorata.

Ultimus eſt *Portugalliæ* vulgo cognominatus, ab Alexandro VII Pontifice deſtructus, auctoris incerti: qui ab una fronte duas Auguſtas imagines, ſed deleta vultus ſimilitudine, prætulit, quas ad M. *Aurelium* & *Fauſtinam* conjugem pertinuiſſe conjectura eſt.

His Auguſtorum arcubus breves *Jo. Petri Bellorii* notæ explicationis cauſa ad calcem uniuscujusque ſchematiſmi adjectæ ſunt; & coronidis loco peculiari in Tabula ſubnexi arcus Auguſtorum honoribus extructi, qui temporum injuria pridem intercidere, ea figura, qua in nummis conſpiciuntur, quorum beneficio eorum ad nos exempla pervenere.

LA CONCHIGLIA CELESTE. ELOGII DI Prencipi ed Huomini illuſtri d' Italia.

id eſt,

Joannis

Joannis Baptiſtæ Fabri Concha cœleſtis. Elogia Principum illuſtriumque Virorum in Italia

Venetiis, apud Jo. Jac. Hertz, 1690. in Folio. plag. 75.

PLus ſimplici vice in Actis Eruditorum mentio injicienda fuit *Brixiæ*, celebris in Inſubria urbis, Venetorum imperio ſubjectæ. Namque *Leonardi Cozzandi* Bibliothecam *Brixienſem* a. 1686. p. 385; *Acta* novæ *Academiæ Brixienſis* Philo-exoticorum naturæ & artis, ibidem p. 556; *Sanctorum Brixienſium Apologiam* adverſus Henſchenium & Papebrochium ſtudio *Honorii Stellæ* exaratam, Supplemento III. p. 134. memoravimus. Prodit nunc in eruditi orbis ſcenam *Joannes Baptiſta Fabri* Brixienſis, tertii Ordinis S. Franciſci Concionator Generalis, occaſione pompæ theatralis, qua paucis abhinc annis pluviam ſe impetraſſe, cives ejus perſuaſi ſunt. Palladii enim ad inſtar inter hos aſſervatur imago Deiparæ, Hieroſolymis a. 1477. a *Chriſtophoro Martinonio* Brixienſi, Generali Carmelitarum, in patriam ſuam tralata, & pro opere D. *Lucæ Evangeliſtæ* habita. Hæc quotiescunque publico cultui exponitur, copioſos ac fœcundos imbres cœlo deducere creditur. Hinc cum non diu ante Innocentii XI. R. P. fata ager Brixienſis ſiccitate graviſſima laboraret, & tota quaſi humus in pulverem abire videretur, ad effigiem iſtam recurrerunt in extrema neceſſitate conſtituti incolæ, & proceſſione ſolemni per plateas urbis arcubus triumphalibus exornatas inſtituta, illam circumgeſtarunt, tam felici ſucceſſu, ut quamprimum in templum & ſacrum rediiſſet, voti ſui ſe damnatos ſentirent. Hæc fide *Fabri* noſtri referimus, qui ſtylo ſublimi ac plusquam poetico, utut nullis numeris adſtricto, rem totam deſcripſit. Cum vero arcubus illis ac plateis icones Principum & virorum illuſtrium, præſertim *Franciſci Mauroceni* D. Veneti, *Coſmi III.* M. D. Hetruriæ, *Ferdinandi Caroli* D. Mantuani, *Franciſci* D. Mutinenſis, & *Ranutii II.* D. Parmenſis, Federici *Marcelli*, Dominici *Bragadini*, aliorumque Venetorum magni nominis hodienum maximam partem ſuperſtitum, appenſæ eſſent, in horum, ut & præcipuorum abbatum, monachorum, pictorũ, ſtatuariorum, qui pompam illam manu ſua aut ingenio promoverunt ac in ordinem redegerunt, laudes evagatur, adeo ut totum opus nihil aliud ſit præterquam panegyricus fuſiſſimus, quo B Virginis Mariæ

(*Conchæ cœleſtis* titulo ob Chriſtum partu editum quovis unione pretioſiorem inſignitæ,) illuſtriumque ac principum Italiæ virorum fœminarumque encomia μακραῖς αὐλοῖς decantantur. Potior horum pars e Gentibus *Martinengorum*, *Marcellorum* & *Bragadinorum* deſumitur; eoque nomine hunc *Fabri* laborem Genealogis non ingratum fore putamus, inprimis ſi indubitatis omnia argumentis nitantur, quæ ab Encomiaſte noſtro tradita ſunt, poetas non phraſi tantum, ſed & licentia quandoque imitante. *Martinengorum* enim e. c. ſtirpem antiquiſſimam nobiliſſimamque eſſe, vix fuerit qui diffiteatur. At (quod bis terque Auctor aſſerit confidentiſſime) ex poſteris *Anci Marcii* quarti Romanorum regis ortum eam ducere, absq; monumentorum ſatis vetuſtorum teſtimonio narratur, nec apud omnes forte fidem inveniet. Eam tamen ob rem incredulitati lectorum ab Auctore litem motum iri, nulli veremur. Cæterum multum gratiæ accedit volumini huic a non paucis figuris perquam elegantibus, quas *Iſabella Piccina*, monialis ad S. Crucis Veneta, pinxit ac æneis tabulis incidit, egregio hoc opere merita, ut ipſius elogio Franciſcanus noſter panegyrico ſuo finem imponeret.

TEATRO BELGICO.

id eſt,

Gregorii Leti Theatrum Belgicum.

Amſtelod. apud Wilh. Jongium 1690. in 4. Partes II. Conſtant plagulis 129. & figuris æneis 212.

TEATRO GALLICO.

id eſt,

Gregorii Læti Theatrum Gallicum.

Ibidem 1691. in 4. Partes II. cum fig. æneis multis. Conſtant plagulis 145.

G*Regorius Lætus*, natione Italus, civitate hoc tempore Amſtelodamenſis, ſexaginta nunc annos natus, cephalalgia nunquam, aliis morbis non niſi ter toto vitæ ſuæ tractu infeſtatus, vir laborioſiſſimus ac ex Vitis *Philippi II.* R. Hiſpaniarum, *Sixtiq;* V. R. P. Hiſtoria *Genevenſi*, *Ceremoniali* politico, *Italia* Regnante, Theatro *Britannico*, Hiſtoria *Saxonica*, Hiſtoria *Branden-*

Digitized by Google

Brandenburgenſi aliisque ſuis operibus notiſſimus, omnium nuperrime edidit *Theatrum Belgicum*, quod eſt, obſervationes hiſtorico-chronologico-politico-geographicas de Fœderato Belgio, & *Theatrum Gallicum*, ſive Monarchiam Regiæ Domus Borboniæ ſub *Henrico IV.* ac *Ludovico XIII.* & *XIV.* Galliarum Regibus, ubi cumprimis poſtremi vita, paceque ac bello geſta fuſius curatiusque recenſentur. Cum ſtylus & methodus Auctoris dudum innotuerint, ac ex titulis librorum, utut perbrevibus, facile ſatis ſit lectoribus conjicere, quid heic *Lætus* pertractarit, plura non addimus, ſufficere rati, nos editionem hanc novorum librorum vel verbulo iſtarum rerum ſtudioſis indicaſſe.

JOHANNIS JACOBI ZIMMERMANNI, Philo-mathematici, Scriptura S. Copernizans, ſeu Aſtronomia Copernico-Scripturaria bipartita.

hoc eſt,

Ein gantz neu- und ſehr curioſer Aſtronomiſcher Beweisthum des Copernicaniſchen Welt-Gebäudes aus Heil. Schrifft.

Hamburgi & Altonæ, anno 1690, in 4. plag. 9.

RRecenſuimus *menſe Majo anni proxime elapſi* p. 258, Clariſſimi Auctoris *Exercitationem theoricorum Copernico-cæleſtium*, preſſo ejus nomine: quod quia ſub finem ejus anni in præſenti tractatu profiteri non dubitavit, nec nos in Indice dicti anni Lectorem porro latere voluimus. Cæterum quæ Idem in memoratæ *Exercitationis Parte III, Prop. 2*, circa Solis & Fixarum localem ſtationem, Telluris vero cæterorumque Planetarum motum in orbitis ſuis, ex principiis Theologiæ Platonico-Chriſtianæ explicuit, in hujus Opuſculi Parte priori ex opere creationis hexaemero, cap. Gen. I deſcripto, aſſertum it: objectiones vero e Pandectis ſacris contra *Copernicanos* depromtas, iisdem, quibus *prop. 3* dicti *tractatus* uſus eſt, argumentis in adverſarios retorquet, eorumque hypotheſi cum controverſis illis textibus ſacris quam optime convenire, altera tractatus hujus parte oſtendit. Conſcriptus vero eſt libellus idiomate Germanico, ut & vulgo gentis noſtræ, quod ut

Digitized by Google

plurimum præconceptæ vulgaris philoſophiæ *Ptolemaica* impetu a ſcitis *Copernici* nimium quantum abhorret, de harmonia inter hæc & S. Scripturam planius atque hactenus conſtare poſſit. Præmittuntur tractationi *hypotheſes* partim Scripturam, partim Aſtronomiam attinentes: interq; *illas* primo loco ſupponitur, S. Scripturæ ſtylum in naturalibus non ad captum vulgi accommodatum ſive popularem eſſe, quod *Copernicæis* alioqui viſum hactenus fuerit: ſupponitur etiam eandem inexhauſtum eſſe fontem divinæ ſapientiæ, e quo novis contentionum difficultatibus ſubinde ſe prodentibus, novæ eæque prius non animadverſæ ſæpenumero interpretationes exundent; conſentientibus huic pronunciato orthodoxis Eccleſiæ Doctoribꝰ: ubi tamen *Auctor* ex ſacris literis hic deducta, non thetice a ſe aſſerta vult intelligi, ſed ſub hypotheſi ad ulteriorem eruditorum diſquiſitionem propoſita. *Hæ*, ſyſtemata famoſa Terræ immotæ & mobilis exponunt, cum cæleſtibus motuum phænomenis eorumque cauſis juxta *Copernicanum*, de quibus altum ſilere cogitur prius *Ptolemaicum*. Speciatim in *Parte prima* novem capitibus conſtante *Auctor* tria omnino Univerſi principia in Chao Moſaico, hiſtoria creationis indice, agnoſcit, duo hypoſtatica *cœlum* & *terram*, quorum prius agens & maſculum, alterum patiens & fœmininum ſit; tertium vero priorum (tanquam univerſalium naturæ conjugum) commune vinculum ſeu principium commune, *aquam*, cui præcipua proprietas ſit fluiditas, quæque ſub diverſo ſubtilitatis gradu complectatur aquam elementarem, aerem atmoſphæricum, ætherem, aquasque ſupracœleſtes. Ex communi hoc principio & cæteris duobus hypoſtaticis poſtea conglobata eſſe ſtatuit duorum generum principiata ſeu corpora macrocoſmica a *Moſe* recenſita, *Solem* puta, *Lunam*, *Stellas* & *Tellurem*: unius quidem activi, (primo *Carteſii* elemento reſpondentis) ex cœlo & aqua in *globos lucidos*, *Solem* & *Fixas*; alterius paſſivi (tertii *Carteſii* elementi) ex terra & aqua, in *globos tenebricoſos*, *Tellurem* & *Planetas*: quorum amborum commune vehiculum ſit tenuis fluidiſſimaque aquaætherea (æther, ſecundum *Carteſii* elementum) Ubi porro ארץ, alterum principium hypoſtaticum non habitabilem Terram, ſeu Tellurem noſtram, ſed univerſalius quid (cum *Buxtorfio*) deſignare oſtendit; cum alioqui ſenſus S. Scripturæ Univerſum hoc in cœlū & terram dividentis, futurus eſſet popularis, omiſſaque tunc forent a *Moſe* principia Plane-

tarum

tarum hypoſtatica. Cætera hujus partis quæ ſeparationem horum principiatorum; fœcundationem globorum terraqueorum; ordinationem corporum macrocoſmicorum, eorumque ratione lucis ſuæ reſpectum generalem, & ſpecialem, quatenus tellurem noſtram illuminant; motum *Solis* & *Fixarum*, non localem ſed circa axem converſivum; Planetarum primariorum, & converſivum & in orbem localem; ſecundariorum, circa & cum primariis localem, circaque centrum proprium oſcillatorium exponunt, Benevolens Lector ex ipſo libello cognoſcet.

Secunda pars *Copernicaus* ex literis ſacris objecta diluit: quæ quia citato ſupra *Actorum* loco cum reſponſionibus Auctoris jam dum ἐν συνόψει recenſuimus, hic repetere ſupervacuum arbitramur: notamus tantum, & ampliorem hic olim dictorum ἐξήγησιν hinc inde; quædam etiam notatu non indigna, e textu præſertim Hebræo & LXX-virali, priſtinis ſuperaddita haberi.

Coronidem tractatui imponit Poema, quod triplicem naturalis Lucis facultatem, Splendorem, Calorem & Motum, theologice per varia emblemata contemplatur, iisque, quibus cum affinitatem quandam habent, non indecore comparat.

NUMMI ANTIQUI AUREI, ARGENTEI & ærei, primæ, ſecundæ ſeu mediæ, minimæ & maximæ formæ, Latini, Græci, Conſulum, Auguſtorum, Regum & Urbium; in theſauro CHRISTINÆ Reginæ Suecorum aſſervati; a Franciſco Camelo Ejusdem Majeſtatis Antiquario per ſeriem redacti.

Romæ, ex typogr. Jo. Fr. de Buagnis, 1690. in 4. plag. 27 ½.

INter ditiſſima, quibus Italia gaudet, antiquitatum Romanarum promptuaria principem fere locum obtinet *CHRISTINÆ Suecorum* quondã *Reginæ* gazophylacium, in cujus laudes *Mediobarbus*, *Spanhemius*, *Vaillantius*, & quis non antiquariorum? certatim effunduntur. Curam ejus quondam geſſit *Franciſcus Gottifredus*, ac, hoc defuncto, *Franciſcus Camelus*, cui oculis poſtmodum capto ſuffectus eſt *Joannes Petrus Bellorius*. Is ergo, quem diximus, *Camelus* gazam hanc vere regiam in ordinem redegit, ac numorum illic aſſervatorum catalogum con-

Digitized by Google

concinnavit; ſed, ut verum fateamur, ſatis properanter, ac niſi fallimur, in privatos tantum uſus & memoriæ ſuæ ſubſidium. Neque enim partes univerſæ totave epigraphe numiſmatis ob nimium forte brevitatis ſtudium exacte ubivis deſcribuntur, neque ullibi aliquid explicationis aut reſtitutionis vocum mutilarum additur. Adeoque index iſte emptoribus theſauri, non item veteris rei nummariæ cultoribus ſufficiet. Sæpe etiam vocabula offendas non, ut par erat, excuſa, quæ correctiora dubio procul eſſent, ſi *Bellorius* editionem accuraſſet. Quis enim hodie *Vetranii* e. c. aut *Theodonati* Imperatorum Auguſtorum nomina in *Vetranionis* ac *Theodahati* mutanda neſcit? ut alia id genus innumera, præſertim in Græcis inſcriptionibus, admiſſa taceamus. Neque tamen abs re fore putavimus literatis indicaſſe, *recenſum* hunc tamdiu expectatum in lucem tandem prodiiſſe.

DION. PAPINI OBSERVATIONES QUAEdam circa materias ad Hydraulicam ſpectantes, Menſi Februario hujus anni inſertas.

IN *Actis Erud. A. 1691, Menſ. Feb. pag. 74*, exhibetur demonſtratio, qua vir clariſſimus *Dominicus Gulielminus*, Auctor libri de aquarum fluentium menſura, evincere conatur: quod *eadem ſit velocitas aquæ fluentis per aliquam ſectionem canalis inclinati ac ſi fluxerit e vaſe per lumen ſimile & æquale ſectioni tantundem a ſuperficie aquæ remotum, quantum ſectio ab horizontali per initium canalis ducta.* Quum autem ejusmodi aſſertum prima fronte pugnare videatur cum eo, quod Ego protuli in *Act. Erud. A. 1690, menſe Majo p. 225*, ne ejusmodi oppoſitio apparens plurimos lectores in ſuſpenſo relinquat, non abs re fore arbitror, ſi ejus, quod nude ibi aſſerueram, demonſtrationem hic ſubjungam, ſimulque oſtendam, in præſtantiſſimo ſupradicto libro aliquid adhuc deſiderari: illud enim a doctisſimo Auctore ſuffectum iri confido, adeo ut Lectoribus circa has materias nihil in poſterum dubii relinquatur. Meum igitur aſſertum, prout ex loco citato facillime poteſt colligi, tale eſt: *Aquæ per tubum uniformem ſemper plenum & utrinque apertum fluentis velocitas dimidia eſt illius, quæ flueret e vaſe per foramen ſimile & æquale diametro tubi tantundem a ſuperficie aquæ remotum, quantum apertura inferior, ſive ſectio, tubi ab horizontali per initium ejusdem tubi ducta.*

Sit

Digitized by Google

Digitized by Google

. pag. 209. ſqq.





Fig: 1.



Digitized by Google

Sit ex. gr. tubus uniformis EF, fig. 1, utrinque apertus, fundo vaſis ABCD adferruminatus, dictumque fundum penetrans, non vero inferius deſcendens: vas autem ita ſit aqua repletum, ut tubus EF ab ea continue tegatur & repleatur: atque horizontales per initium tubi ductæ ſint in ſuperficie aquæ, eademque altitudo ſemper conſervetur: ſit præterea foramen G, in fundo ejusdem vaſis horizontaliter poſito, ſimile & æquale diametro tubi EF: aſſero quod velocitas per dictum tubum ſubdupla erit velocitatis aquæ per foramen G erumpentis. Certiſſimum enim eſt, quod aqua per totam longitudinem tubi EF æquabili celeritate deſcendit: partes enim inferiores deſcendere nequeunt, niſi partes ſuperiores ſpatium relictum eodem tempore repleant. Inde ſequitur quod aqua egreſſa, ſi horizontaliter moveri pergat cum celeritate per deſcenſum acquiſita, tempore æquali tantundem ſpatii percurret quantum deſcendendo percurrit: uterque enim motus debet eſſe uniformis & ejusdem celeritatis. *Galileus* autem demonſtravit, quod gravia celeritate per deſcenſum acquiſita debent horizontaliter percurrere duplum ſpatii, quod tempore æquali deſcendendo percurrerunt. Ergo velocitas aquæ per E eſt tantum dimidia ejus, quam grave per deſcenſum ex eadem altitudine acquireret: erit igitur etiam ſubdupla velocitatis aquæ per G: conſtat enim quod velocitas aquæ per foramen G æqualis eſt celeritati acquiſitæ a gravi per deſcenſum ex propoſita altitudine: Ergo *Aqua per* &c. q. e. d. TAB. V. Fig. 1.

Poſſet hæc eadem veritas demonſtrari per numerum impreſſionum a gravitate acceptarum, ratione habita ad quantitatem materiæ motæ; verum, brevitatis gratia, talia omittam: quum ſuperior demonſtratio a nemine negari queat: ſicque conſtet fluida non ſemper easdem ſequi leges, quas de gravibus deſcendentibus *Galileus* demonſtravit: ac proinde non ſatis firmum eſſe fundamentum, quo nititur clariſſimi *Gulielmini* demonſtratio.

Fateor tamen quod caſus ab excellentiſſimo viro propoſitus a noſtro caſu non nihil differt: Ego enim ſuppono tubum ſemper plenum, & non niſi in duobus extremis apertum; Ipſe vero ſupponit canalem, qui non ſolum per duo extrema aquæ recipiendæ & emittendæ patet; verum etiam per totam longitudinem detectus eſt aeremque admittit. Quanquam autem non poſſit negari hæc caſuum diſparitas, reſtat tamen ſatis magna convenientia ex natura fluidorũ petita, ut clariſſimi viri aſſertio

Digitized by Google

ſtare non poſſe videatur: ſemper enim varie afficiuntur partes in canali ſuperiores, pro varia partium inferiorum celeritate: res autem aliter ſe habet in gravibus, de quorum deſcenſu tractavit *Galileus*. Id quo clarius percipiatur attendamus ad fig. 2, ubi AB ſupponitur eſſe canalis fundum per totam longitudinem æquale, cujus latera cum fundo conſtituant angulos rectos: ſitque longitudo AB diviſa in 4 partes æquales in punctis C, D, F: conſtat quod grave deſcendens per planum AB acquiret in B velocitatem duplam illius quam acquiſiverat in C. Si igitur aqua ſequatur easdem leges, debebit in B replere in canali partem tantum dimidiam ejus quam replebat in C: ratio manifeſta eſt, quod quum eadem aquæ quantitas per totam longitudinem canalis eodem tempore tranſeat, ipſius altitudo tanto minor eſſe debet quo major eſt ipſius velocitas: ut longitudo columnæ aqueæ in B tranſeuntis, compenſetur per craſſitiem illius quæ in C translabitur: ac proinde ſi aqua in C repleat canalem usque ad E, dum pervenerit in B non pertinget niſi uſque ad G, ſupponendo BG ſubduplam ipſius CE: patet igitur quod aqua in E non deſcendet per planum EH parallelum ipſi CB (quod tamen fieri deberet, ut leges a *Galileo* demonſtratæ hic locum haberent) ſed deſcendet per planum multo magis declive: quin etiam declivitas illa non æqualis eſt per totam canalis longitudinem: ſed quo magis ad initium accedimus, eo majus fit celeritatis augmentum in certa canalis longitudine data. Mihi igitur videtur clariſſimus Author in eo erraſſe, quod de fluidis deſcendentibus eodem modo philoſophandum cenſuerit, ac de gravibus a *Galileo* ſuppoſitis: atque ad perfectionem operis ipſi quærendum reſtat: qualis ſit linea EG ſecundum quam ſuperficies aquæ in canali defluentis incurvari debet: hinc enim cognoſcemus quanta ſit area aquæ in quocunque loco fiat ſectio, atque ex variis ſectionum areis ſtatim etiam colligentur variæ velocitates in iisdem locis. Nullus dubito quin Vir excellentiſſimus veritatis amans monitum hoc æqui bonique conſulat.

TAB. V. Fig. 2.

In eodem *Actorum menſe*, pag. 65, proponitur conſtructio motus perpetui pure artificialis, quam ingenioſus Author per filtrum perfici poſſe arbitratur: ſub finem vero meritiſſime proponitur conſiderandum, an gravioris liquoris actio per filtrum intercepta ſatis intervenire queat, ſicque Lectores in dubio relinquuntur. Ne igitur aliqui forſan fruſtra inſudent in quærendis variis liquoribus, quorum alii aliis facilius per fil-

per filtrationem ſecerni queant, nullum ex ejusmodi tentaminibus ſucceſſum eſſe ſperandum oſtendere non inconſultum exiſtimo: quum præſertim id probaturus ſim, per experimentum inſtitutum ope clepſydræ cujusdam hactenus parum cognitæ, quæ tamen ſuis omnibus numeris multo magis abſoluta eſt, quam illæ a *Kirchero* & *Scoto* in lucem editæ: inſpiciatur ergo fig. 3.

A A, B B, ſunt duo vaſa metallica ejusdem capacitatis. TAB. V. Fig. 3.

CC, eſt tubus utrinque apertus ad fundum inferius vaſis AA ferme pertingens, penetrans vero fundum ſuperius, ipſique exacte adferruminatus.

DD, vas vitreum fundo ſuperiori vaſis AA exacte affixum.

F E, tubus, cujus orificium ſuperius F ex vitro DD aquam admittit; orificium vero inferius E eandem aquam in vas BB emittit, prout ex figura patet: Vas autem BB iisdem partibus quibus vas AA inſtructum eſt.

Hæc machina ut rite operari queat, debet alterutrum vas, puta AA, repleri aqua; alterum vero aere plenum relinqui: debet inſuper includi aliqua aquæ quantitas in vitro ſuperiori DD: ſic fit ut aqua ex DD per tubum FE defluat in BB, ibique aerem premat: aer ille preſſus, quum nullam viam inveniat niſi per tubum CC, eidem vaſi BB inſertum, illum neceſſario ſubingreditur, & in vitrum inferius DD penetrat: inde per alterum tubum FE aſcendit in vas AA, ibique aquam premit eo fortius quo major eſt longitudo tuborum FE, FE: atque aqua ſic preſſa magno impetu in ſuperius vitrum DD ſalit per tubum CC: ſicque ſemper ſufficitur aqua per tubum FE deſcenſura, donec paulatim evacuato vaſe AA, repletoque vaſe BB, reſidua aqua per tubum CC in vitrum inferius DD neceſſario delabatur. Jam patet, quod invertendo machinam idem effectus ſupra memoratus ſtatim obtinebitur, totiesque renovabitur operatio, quoties machina invertetur. Hæc clepſydra aliquot ante annos inventa fuit a Dn. *de Comiers* Pariſiis Matheſeos Profeſſore celebri, cujus mentionem honorificã Eruditorum Ephemerides Gallicæ plus ſemel fecerunt, hancque deſcriptionem, etſi forſan non prorſus hic neceſſariam, nemini tamen diſpliciturам ſpero: tale autem fuit experimentum, cujus cauſa ipſam protuli. Quum aliquando anguſtis tubis ejusmodi machinam inſtruxiſſem, factum eſt ut ſaltus aquæ ad exiguam admodum altitudinem pertingeret, vixque

Digitized by Google

tranſverſo digito ſupra lumen C emicaret: poſtquam vero eandem machinam tubis inſtruxi patentioribus, qui trium ferme linearum diametrum haberent; tum aqua ſaliens ipſam vitri DD ſummitatem magno impetu feriebat: tum ſuſpicatus ſum, exiguum ſaltum in tubis anguſtis aſcribi poſſe aeri, cujus ea eſt natura, ut non niſi cum magna difficultate per vias anguſtas tranſire poſſit: credidi tamen poſſe etiam aquæ adhæſionem ad latera tuborum ipſius motum plurimum retardare. Quum igitur machinam jam haberem ejusmodi tubis inſtructam, per quos aer libere tranſire preſſionemque ſuam exerere poterat, tentare libuit, annon liquor aliquis magis viſcoſus quam aqua, poſſet etiam viſcoſitate ſua ita retardari, ut non altius per hos tubos ſaliret, quam aqua per tubos anguſtos. Succeſſus autem expectationem non fefellit: quum enim exemptâ aqua machinam oleo repleviſſem, nullus apparuit ſaltus; ſed oleum ſolummodo exundans per lumen C ſenſim defluebat: hinc igitur manifeſtisſime patuit, liquorum viſcoſitatem tuborumque lateribus adhæſionem plurimum impedire, quominus theoreticæ leges æquilibrii liquorum obſervari queant: quum ergo ſecretio liquorum per filtrationem non fiat niſi per poros anguſtisſimos, debeatque præterea magna eſſe congruitas inter partes filtri & partes liquoris filtrati, ſequitur quod in filtro neceſſario ſemper erit magna partium adhæſio, quæ reſiſtet liquori graviori, impedietque, quominus ipſius presſio ſatis interveniat ad liquorem leviorem ad requiſitam altitudinem propellendum. Ac ſane per conſtantisſimam experientiam notum eſt, quod ſecretio liquorum per filtrationem non perficitur niſi pars filtri exterior valde ſenſibiliter deſcendat infra ſuperficiem liquoris filtrandi: quia, ſcilicet, ſatis magno pondere opus eſt, quo liquoris in filtro adhæſio ſuperari queat. Quod ſi regeratur, poſſe pro lubitu augeri vaſis & tubi altitudinem, adeo ut ſine dubio obtineri queat requiſitus exceſſus ponderis alterius ſupra alterum: quum interim non augeatur adhæſio in filtro, illud enim ſemper idem in parte tubi inferiore remanebit. Ego reſpondeo, aucta ſic altitudine tubi non ſperandum eſſe, quod liquor filtro per ſuperiorem tubi partem ſenſim delabens ad fundum usque deſcendat, ut ibi iterum filtretur: experientia enim conſtat, quod vinum ex.gr. ſi ſenſim aquæ infundatur, ſupernatat, neque alte in eam penetrat niſi validius concutiatur aut commoveatur: quod ſi liquores adhibeamus, qui propter majorem partium

Digitized by Google

partium congruitatem, facilius ſibi invicem permiſceantur, quales ſunt aqua dulcis & aqua ſalſa: tum oſtendet experientia, illos per filtrationem a ſe invicem ſecerni non poſſe: non igitur dubito, quin Vir ſagaciſſimus nullum hactenus motum perpetuum pure artificialem in lucem prodiiſſe fateatur.

A VINDICATION OF THE DOCTRINE of the holy & ever bleſſed Trinity and the Incarnation of the Son of God.

id eſt,

VVilhelmi Sherlock Vindiciæ dogmatum de SS. Trinitate & Filii Dei incarnatione.

Londini, imp. W. Rogerii 1690. in 4. plag. 35.

PAucis abhinc annis Scripta duo Sociniana in Anglia typis excuſa fuere. Alteri nomen erat: *Brief Notes on the Creed of St. Athanaſius*, i. e. Notæ breves ad Symbolum S. Athanaſii. Alteri: *The brief hiſtory of the Unitarians*, h. e. Brevis Hiſtoria Unitariorum ſive Socinianorum. Utrumque refutaturus *W. Sherlockius*, Doctor Theologus Londinenſis, ante omnia memorat, *Annotatorem* illum, ſub prætextu explicationis, non niſi contradictionum perpetuarum notam inurere voluiſſe *ſymbolo*, quod *Athanaſianum* vulgo dicitur. Hinc duo præfanda duxit, & primo quidem, quod rei non-intellectæ exiſtentia abſurde negetur; dein, quod ſymbolum Athanaſianum toto ſuo ambitu nihil omnino complectatur, niſi cui omnes illos aſſenſum præbere oporteat, qui ſeſe *Trinitatis* & *Incarnationis* articulos pro veris ac divinitus revelatis agnoſcere ac ab Arianis aut Socinianis diſſentire profitentur. His præmiſſis, ſingulas *notas* Sociniani verbotenus plerumque, quandoque tamen quoad ſenſum, exſcribit, ac ubivis reſponſionem ſubjicit. In hac prolixius aſſerit, catholicam fidem ad ſalutem eſſe neceſſariam, cum adverſarius vitam inculpatam ſufficere adnotaſſet. Commendat uſum veterum ſymbolorum. Athanaſium non ob hæreſin, ſed ob alia crimina, utut falſo objecta, in tot conciliabulis tantas ſubiiſſe perſecutiones, ex hiſtoria eccleſiaſtica aſſeverat. Incredibile ſibi videri ait, quod antagoniſta auctoritate *Gennadii Scho-*

SECT. I. p. 1.

SECT. II. p. 10.

SECT. III. p. 21.

Digitized by Google

larii, Conſtantinopolitani patriarchæ, retulerat, Græcos nempe dicere ſolere, *Athanaſium ebrium fuiſſe, cum hoc ſymbolum concinnaret.* Producit potius ex *Ger. Jo. Voſſio* de III. ſymbolis diſſ. 2. c. 1. locum *Gennadii*, ubi ille *ὁ τῆς ἀληθείας κήρυξ καὶ ὁμολογητής, ὁ μέγας Ἀθανάσιος* ſalutatur.

SECT. IV. p. 45. Cum autem primaria, quam *Socinianus* Athanaſiano ſymbolo objecerat, contradictio in eo conſiſtat, quod *tres diſtinctæ ſubſtantiales perſonæ ſubſiſtere dicantur in eſſentia numerice una*, princeps operis ſui argumentum aggreditur Noſter, ac qua ratione ſubſtantia aliqua *numerice una* evadat, operoſius diſquirit. Reſpondet igitur, ſubſtantiam materialem fieri unam per unionem ſuarum partium; non item ſpiritualem, utpote quæ partibus nullis prædita ſit. In ſpiritibus creatis finitis unitatem numericam (hoc eſt, id, quo ipſimet ſubſiſtunt ac ab omnibus aliis ſpiritibus ſeparantur & diſtinguuntur,) nihil aliud eſſe, quam *ἑαυτογνωσίαν* (*ſelf-conſciouſneſſ*) notitiam ſui ipſius ſuarumve cogitationum, ratiocinationum & affectuum. Hæc enim omnia dum hic vel ille ſpiritus ſolus novit, eopſe diſtinguitur ab aliis, qui & ſuas cogitationes ſoli novere, adeoque viciſſim ab illo diſtinguuntur. Poſito itaque, dari tres ſpiritus creatos adeo unitos, ut quilibet alterius cogitationes tam probe noſſet, quam ſuas; perſonas illas tres ſpirituales numerice unam fore Sherlockius ſtatuit, eo quod non minus inter ſe invicem unitæ ſint, ac quælibet in ſeipſa una eſt. Simili ratione Trinitatem in unitate divina explicandam putat. Nimirum & Deus, (ceu infinita mens, non corpus infinite extenſum,) unitatem agnoſcit non partium, quas non habet, ſed *ἑαυτογνωσίας*, adeo ut licet omnibus præſens ſit, ſibi tamen nunquam non intimus ac ſui ſemper & ubivis conſcius maneat. Adeoque tres perſonæ divinæ, ſi ſibi invicem non minus ſint familiares mutuoque conſciæ, ac quælibet ſuimet ipſius eſt conſcia, revera ac proprie unitatem numericam habebunt. Et hanc a Veteribus *περιχώρησιν* appellari opinatur Auctor; id autem nominis obſcuriuſculum eſſe atque non æque commodum, quam ſimilitudinem a tribus diſtinctis animæ facultatibus, *memoria, intellectu & voluntate*, ab Auguſtino *lib. contra ſerm. Arian. c. 16*, deſumptam. *Nam*, (verba *Sherlockii* ſunt,) *memoria tenemus, quicquid intelligimus & volumus; intelligimus, quicquid memoria tenemus & volumus; quicquid denique volumus, id omne & intelligimus & memoria tenemus. Hanc ob*

rem

Digitized by Google

rem tres illæ facultates unum hominem componunt; parique modo ſi ſupponas tres infinitas mentes, quarum quælibet omnium, quæ in reliquis ſunt, æque conſcia ſit, ac ſui ipſius, illæ poterunt eſſe Deus numerice unus.

Cum dein multis Scripturæ ſacræ locis eviciſſet Noſter, *perfectam unionem* quoad cognitionem, voluntatem, amorem atque opera tribus Trinitatis ſacroſanctæ perſonis intercedere, ulterius probat, ejusmodi *unionem*, quæ in creatis *moralis* tantum foret, in divinis *eſſentialem* eſſe, adeo ut per eam divinæ perſonæ ſibi invicem conjungantur & uniantur tam arcte, quam homo ſibimetipſi unitus eſt, non autem ea tantum ratione, qua alii homini extra ſe unitur.

Provocat idcirco ad dictum Chriſti in Joanne toties repetitum: *Ego ſum in Patre, & Pater in me eſt.* Hoc enim aut proprie, aut metaphorice accipiendum. At non metaphorice. Omnis enim metaphora deſumitur a re naturali aut realiter exiſtente, ob ſimilitudinem quandam, quæ utrique intercedit. Cuicunque vero nihil ſimile exiſtit in rerum natura, illud metaphora dici nequit. Nihil autem eſt in natura, quod ita ſit in alio, ut illud ei quoque inſit. Quatenus namque ineſſet alteri, ac ab eo comprehenderetur, eatenus eo eſſet minus; & quatenus comprehenderet alterum, eatenus eo ipſo eſſet majus; id quod contradictionem involvit. Proprie itaque Servatoris effatum intelligendum venit. Jam unus tantum unionis id genus ſubſtantialis *mutuo-comprehenſivæ* (ut ſic loquamur) modus ſupereſt, nempe mutua cognitio ſupra deſcripta. *Si Filius* (inquit Sherlockius) *conſcius eſt in ſemetipſo omnis illius, quod eſt Patris, ſive æque conſcius paternæ, quam propriæ ſuæ cognitionis, voluntatis ac amoris, tunc totus Pater eſt in Filio; ſic ſi Pater omnis illius, quod in Filio eſt, conſcius eſt, tum totus Filius eſt in Patre; ſi denique Spiritus Sanctus eadem ratione conſcius eſt omnium eorum, quæ ſunt in Patre & Filio tum Pater & Filius ſunt in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in Patre & Filio, vi mutuæ conſcientiæ, per quam tres illæ perſonæ eundem in modum inter ſe uniuntur, quemadmodum homo ſecum unitur ſive unus eſt per ἑαυτογνωσίαν ſeu conſcientiam ſui ipſius.*

p. 56. p. 57.

Hactenus *Sherlockius*, qui hanc ſuam hypotheſin latius porro exponit dictis biblicis, phraſibusque SS. Patrum ac Scholaſticorum non adverſam eſſe, demonſtrare nititur, ac ab objectionibus Socinianorum, præſertim *anonymi*, auctoris *Hiſtoriæ Unitariorum*, (de quo confer ſis *Bibliothecam univerſalem hiſtoricam Amſtelodamenſem* t. XV. a. 1689. p. 364.) SECT. IV. V. VI.

Digitized by Google

p.364.) defendit. Sed æque prolixe de his omnibus diſſerere, inſtitutum noſtrum non patitur. Utile potius fortaſſis eſſet, ſi liber non adeo magnus, at ſpeculationibus multis ſubtiliſſimis & expoſitionibus Scripturæ non ubique vulgaribus refertus, licet Evangelicorum confeſſionibus non ubivis conſonus, in Latinam linguam transfunderetur. Cæterum, ne, cujus in titulo libri mentio facta eſt, *incarnationem Filii Dei* ſilentio prætervehamur, per ſumma capita recenſeamus potiora,
SECT. VII. p. 267. quæ de ea tradidit *Sherlockius*. Dixerat Antagoniſta in *notis ad ſymbolum*, quod *unio inter Deum & hominem nequeat efficere perſonam unam, quale quid ſit per unionem animæ & corporis humani. Hanc enim animæ & corporis unionem non eſſe unionem duarum perſonarum, ſed unius tantum perſonæ (animæ) cum re alias omni vita, ratione, memoria, liberove arbitrio deſtituta. Contra vero in unione Dei & Hominis, duas dari diſtinctas ac valde a ſe invicem differentes vitas, memorias, rationes ac libera arbitria; ſicque deſtrui omnimode unionem perſonalem, utpote quæ ſupponat non niſi unam vitam, unam rationem, unam memoriam, unum liberum arbitrium.* Non negat heic Noſter, animam eſſe perſonam; negat autem, quod homo, in quo anima & corpus unita ſunt, unam vitam, rationem, memoriam, appetitum & voluntatem habeat; imo ei tribuendam judicat vitas voluntatesque, tum animalem ſenſualemque, tum rationalem, itemque rationes duas, carnalem alteram, alteram ſpiritualem, tanquam diverſa carnis & ſpiritus principia, tan-
p. 268. tundem fere efficientia, ac ſi homo duas haberet animas. Solicitus igitur, paucis interjectis, eſt, quomodo naturæ duæ diverſæ ita uniantur, ut unum Agens evadant, hoc eſt, una perſona. Nec niſi duo requirit. Primum eſt, ut natura inter unitas illas ſuperior totius perſonæ rectrix ac moderatrix ſit. Ita animam, juxta adverſarium, eſſe perſonam in homine, cum ſit principium κυβερνητικὸν ſupremum; rationem moderari ſenſibus, ceu ſpiritui convenientisſimam, cum ſenſus tantum ex unione cum materia reſultet. Sicque in Chriſto τὸν λόγον eſſe perſonam, inque unione Dei & Hominis perſonali non minus regere ac gubernare Humanam Naturam, quam in homine ſenſum ratio regere ſoleat. *Alterum* requiſitum eſt, ut inter binas naturas unitas intercedat mutua conſcientia, adeo ut utraq; alterius actiones aut pasſiones ſuo modo ſciat ac ſentiat. Ubi tamen Sherlockius hanc ſuam theſin ita explicat, ut *omniſcientiam* & cætera axiomata divina humanæ Chriſti

naturæ

Digitized by Google

naturæ deneget ex eccleſiæ ſuæ placitis, eo tantum prætextu, quod ubi naturæ diverſi generis uniantur, in ſuperiore tantum ac gubernatrice natura deceat collocare univerſalis conſcientiæ perſonalis ſedem. Quas Viri clariſſimi opiniones Theologis examinandas relinquimus, & ad alius argumenti librum pedem promovemus.

FLORÆ LUGDUNO-BATAVÆ FLORES,

ſive,

Enumeratio Stirpium Horti Lugduno-Batavi, methodo Naturæ veſtigiis inſiſtente diſpoſitarum, & anno 1689 in lectionibus tam publicis quam privatis expoſitarum a Paulo Hermanno, Med. & Botan. P. P. editarum opera Lotharii Zumbach condicti Coesfeld, Med. Cand.

Lugd. Batav. apud Freder. Haaring, 1690. in 8. plag. 19.

QUantum rei herbariæ numerus a Cl. Hermanno auctus ſit, id quidem vel ſolus Horti Academici Lugduno-Batavi Catalogus, quem menſe Majo anni 1687 recenſuimus, teſtari abunde poteſt. Accedit ejusdem Prodromus Paradiſi Batavi, in quo Plantæ rariores omnes in Batavorum hortis hactenus cultæ, & plurimam partem a nemine antea deſcriptæ recenſentur; prout annexus Scholæ Botanicæ clariſſimi Joſephi Pitton Tournefort, edente in lucem Simone Warthon Anglo, Amſtelodami anno 1689 prodiit.

Creſcente igitur magis magisque plantarum numero, ſuarum eſſe partium arbitratus eſt Autor, ad imitationem Roberti Moriſon, Raji aliorumque recentiorum, cogitare ſerio de ordine ac diſtributione illarum methodica: non ignarus, ejus beneficio multum levari difficultates ſtudii Botanici haud contemnendas. Eum ergo in finem non ea modo, quæ A. 1689 publice privatimque diſſeruit huc ſpectantia, ſub titulo Florum Floræ Lugduno-Batavæ edi a quodam ſuorum auditorum paſſus eſt: ſed & præterea, quæ inibi corrigenda duxit, reviſa ſuperioris anni æſtate, meliorique digeſta ordine, in Appendice paulo poſt annexa exhiberi voluit. Erit autem Botanophilis non ingratum opus, ſi breviter recenſebimus ſumma plantarum genera ad mentem Autoris diſpoſita.

 Nimi-

Digitized by Google

Nimirum ante omnia dividuntur plantæ in Gymnoſpermas & Angioſpermas.

Illius generis ſunt 1. *Gymnopolyſpermæ* ſeu ſeminibus poſt ſingulos flores plurimis nudis, uti ſunt Chelidonia minor, Ranunculus, Anemone, Pulſatilla, Clematis, Pentaphyllum, Fragaria, Cariophyllata, Filipendula, Ulmaria, Thalictrum, Plantago aquatica, Sagitta, Malva & Alcea.

2. *Gymnodiſpermæ* Umbellatæ ſeu ſeminibus poſt ſingulos flores binis; Fœniculum, Cuminum, Meum &c.

3. *Gymnomonoſpermæ*, ſeu ſeminibus poſt ſingulos flores ſolitariis; Valeriana, Valerianella, Limonium, Dentillaria, Mirabilis Peruviana & Fumaria. Quibus affines ſunt Monocarpæ, Circæa atque Agrimonia; quamvis & Unicapſularibus ſubjungi poſſint tanquam unicapſularia diſperma.

4. *Gymnoſpermæ* floribus compoſitis, & quædam *pappeſcentes & lacteſcentes*, Lactuca, Chondrilla, Sonchus, Hieracium, Scorzonera, Tragopogon: *pappeſcentes non lacteſcentes*, Helenium, Aſter, Doronicum, Conyza, Jacobæa, Senecio, Virga aurea, Eupatorium, Cacalia, Tuſſilago, Petaſites, Elichryſum, Gnaphalium, Xeranthemum: item *capitatæ pappeſcentes* floribus fiſtuloſis, Carduus, Cnicus, Cirſium, Cinara, Jacea, Centaurium majus, Serratula, Cyanus, Lappa: & *lacteſcentes non pappeſcentes*, Scolymus chryſanthemus, Intybus, Cichoreum: & tandem *Corymbiferæ nec pappeſcentes nec lacteſcentes*, Flos Solis, Chryſanthemum, Calendula, Tagetes, Bellis, Chamæmelum, Matricaria, Ptarmica, Millefolium, Abrotonum, Abſinthium, Artemiſia, Draco, Tanacetum, Ageratum. Quibus affines ſunt Scabioſa, Dipſacus & Eryngium.

5. Plantæ *Gymnodiſpermæ* ſtellatæ, Rubia, Mollugo, Aſperula, Aparine.

6. *Gymnotetraſpermæ aſperifoliæ*, Borrago, Bugloſſum, Cynogloſſum, Anchuſa, Heliotropium, Symphytum, Echium, Cerinthe.

7. *Gymnotetraſpermæ verticillatæ*, Lavendula, Stœchas, Stachys, Betonica &c.

Ex altera parte *Angioſpermæ* ſive quæ ſemina capſulis incluſa geſtant, ſunt:

1.) *Unicapſulares polyſpermæ*, Primula veris, Auricula urſi, Cortuſa,

Alſine,

Digitized by Google

Alſine, Lychnis, Caryophyllus, Nummularia, Anagallis, Portulaca, Hydrophyllon, Trifolium paluſtre, Glaux.

2.) *Bicapſulares polyſpermæ*, Centaurium minus, Lyſimachia, Sanicula, Blattaria, Verbaſcum, Gentiana, Digitalis, Gratiola, Hyoſciamus, Nicotiana, Linaria, Antirrhinum, Scrophularia, Pedicularis, Melampyrum, Euphraſia, Veronica: quibus addantur *bicapſulares diſpermæ*, Branca Urſina, & Polygala.

3.) *Tricapſulares polyſpermæ*, Hypericum, Ciſtus humilis, Pyrola, Gramen Parnaſſi, Viola, Aſarum, Convolvulus, Campanula, Rapunculus, Reſeda, Valeriana græca. His annumerentur *Tricapſulares tricoccæ*, Ricinus & Tithymalus.

4.) *Quadricapſulares*, Ruta & Stramonia.

5.) *Quinquecapſulares pentacoccæ*, uti Geranium; & *polyſpermæ*, Althæa, Ciſtus, Balſamina, Oxys, Capparis folio portulacæ.

6.) *Multicapſulares* polyſpermæ, Nymphæa, Nigella, Linum: & *Multiſiliquæ polyſpermæ*, Sedum, Telephium, Pœonia, Helleborus, Fraxinella, Caltha paluſtris, Staphiſagria, Aconitum, Aquilegia, Conſolida regalis.

7.) *Siliquoſæ unicapſulares bivalves & polyſpermæ*, Chelidonium majus, Sinapiſtrum, Hypecoon, Epimedium, Fumaria ſiliquoſa: item *unicapſulares*, Clematis, Clematis Daphnoides, Aſclepias, Apocynum, Nerium.

8.) *Quadricapſulares polyſpermæ*, Lyſimachia dicta Chamænerion & corniculata.

9.) *Bicapſulares ſiliculoſæ tetrapetalæ* Thlaſpi, Burſa paſtoris, Naſturtium, Iberis, Lepidium, Myagrum, Cochlearia, Leucojum incanum, & luteum utriculato ſemine: & *ſiliquoſæ*, Braſſica, Rapum, Sinapi, Eruca, Eryſimum, Naſturtium ſylveſtre, Raphanus ruſticanus, Leucojum, Dentaria, Draba, Heſperis, Thlaſpi Mechlinenſe: cum *ſiliquoſis fungoſis*, Raphano, Raphaniſtro.

10.) *Leguminoſæ papilionaceæ* jam ſequuntur longa ſerie, *unicapſulares*, Phaſeolus, Piſum, Lathyrus, &c: *bicapſulares* Aſtragalus & Tragacantha: *unicapſulares ſiliculoſæ*, Onobrychis, Melilotus, Trifolium: *unicapſulares cochleatæ*, Medica. Quibus addantur *ſiliquis unicapſularibus papilionaceis affines*, Sēna & Mimoſa, ut & *ſiliculoſa quinq; capſularis*, Tribulus terreſtris.

11.) *Tricapſulares* Lilium, Corona Imperialis, Martagon, Fritillaria, Tulipa, Hyacinthus, Ornithogalum, Squilla, Phalangium, Aſphodelus, Dens canis, Leucojum bulboſum, Narciſſus, &c.

Digitized by Google

12.) Tandem ſequuntur *baccifera*, Rubus, Smilax, Bryonia, Chriſtophoriana, Laurus Alexandrina, Ruſcus, Polygonatum, Lilium convallium, Aſparagus, Solanum, Moſchatellina, Capſicum, Arum.

13.) & *Pomifera*, Cucurbita, Pepo, Colocynthis, Anguria, Melo, Cucumis, Flos paſſionis: quibus affines ſunt Ficus Indica, Cereus, Ficoides, Ananas.

14.) Plantæ autem *apetala* ſunt vel *monoſperma*, Pimpinella, Lapathum, Biſtorta, Perſicaria, Frumentum Saracenicum, Polygonum, Blitum, Atriplex, Parietaria, Alchimilla, Amaranthus tricolor, Urtica, Cannabis, Kali, Ambroſia, Spinachia; vel *diſperma*, Mercurialis, Xanthium, Plantago, Pſyllium; vel *polyſperma*, Beta, Amaranthus.

15.) Præterea dantur & *Julifera*, Acorus, Ophiogloſſum, Equiſetum, Typha: & *pilulifera*, ut Sparganium: & *epiphylloſperma*, Phyllitis, Hæmionitis, Polypodium, Lonchitis, Aſplenium, Trichomanes, Adianthum, Filix.

16.) *Graminifolia culmifera* ſunt Frumentum Indicum, Triticum, Hordeum, Oryza, Panicum, Phalaris, Milium, Lachryma Jobi, Avena, Gramen; *non culmifera*, Cyperus, Juncus &c.

Seorſim autem in Flora pag. 153 & ſqq. Arborum habetur diſpoſitio, quorſum evitandæ prolixitatis gratia L. B. remittimus.

LAURENTII INGEVVALDI ELINGII in Regia Upſal. Academ. P. P. Ordin. Hiſtoria Græca Lingua, cum præfatione Adami Rechenbergii P. P. Lipſienſis.

Lipſiæ, impenſis Joh. Frid. Gleditſch, Anno 1691 in 8. Plag. 25.

AD quatuor capita, quæ de hoc ſcripto dicenda videntur, reducimus, ſcopum, argumentum, ordinem, & dictionem. Scopus eſt, quæ de Græca Lingua, ejusque cultoribus & fatis, ex variis ſcriptoribus, tam veteribus, Græcis æque ac Latinis, quam recentioribus haberi poſſunt, colligere, ordineque & per modum conſcriptæ hiſtoriæ explicare. Argumentum conſtituunt origo, cultus, incrementa, decrementa, reſtauratio literarum Græcarum. Exhibentur Poetæ, Philoſophi, Medici, Hiſtorici, Oratores, & qui in Græcia, & qui aliis locis floruerunt. Apparet, quibus occaſionibus ad alias etiam gentes linguæ hujus

Digitized by Google

hujus ſtudium devenerit. Videas aliorum ſententias afferri, & nunc probari & confirmari, nunc refelli rejicique. Contingit interdum, non ſine autoritate, quæ traduntur, affirmari. Contingit, conjecturis etiam indulgeri. Ordinem quod attinet, in quatuor partes opus dividitur. Præmiſſis enim de Hebraica lingua omnibus gentibus ante confuſionem linguarum Babylonicam communi, confuſione ipſa, aliisque generalioribus, prima pars ab origine usque ad tempora porrigitur, quibus Homerus florere incepit. Secunda viros eruditos exhibet, qui in ipſa Græcia clari fuerunt. Tertia oſtendit, qua ratione ad alias gentes hæc lingua deducta ſit. Quarta ſiſtit decrementa, & qua ratione poſt iſta caput iterum exerere cœperit. In dictione obſervamus multos floſculos ex veteribus Latinis ſcriptoribus, imprimis Vellejo Paterculo, ſparſos inveniri. Perſuadetque §. 70, vel ipſum ordinem ex Floro petitum eſſe. Ut enim ille Romanam Hiſtoriam compoſiturus, populum Romanum ut hominem conſiderat, infantiamque ejus a Romulo per Reges ad Conſules deducit; adoleſcentiam in eo tempore conſtituit, quo Italiæ populos vicerit inque patria quaſi floruerit; virilem ætatem, quo usque ad Auguſtum gentes extra Italiam ſubegerit, totumque orbem pacaverit; ſenectutem denique, quo ignavia Cæſarum defecerit, usque dum ſub Trajano lacertos iterum moviſſet: ita & infantia Græcæ Linguæ ſtatuitur ab origine usque ad Homerum; adoleſcentia, qua in patria per viros claros adoleverit; virilis ætas, qua ad alias gentes propagata ſit; ſenectusque tandem, qua per irruptiones Barbarorum in Græcia defecerit, donec in Occidente poſt id tempus per viros in Italiam profugos reſtaurari quodammodo cœperit. Hæc nos recenſenda duximus. Cætera, quæ vel ad ſcripti hiſtoriam pertinent, vel quid de ipſo ſentiendum ſit, docent, ex eruditisſima præfatione abunde haberi poſſunt, quam clariſſimus Rechenbergius noſter præmiſit. Ex ea enim conſtat, partim, ſcriptum poſthumum & poſt fata autoris præmatura morte extincti ex Suecia in Germaniam allatum, Lipſiæ excuſum eſſe; partim laudandũ eſſe opus ob ſingularem induſtriam, qua compoſitũ ſit, utilitatemque quã ſtudioſæ juvẽtuti elegantioribus bonisq; literis deditæ afferre queat; partim deſiderari poſſe, quod quædam quæ ad ampliorem hiſtoriæ hujus lucem facere posſint, parcius tacta aut prætermiſſa fuerint; im-

Digitized by Google

primis quod Autor novam opinionem clariſſimi in Suecia viri, Olavi Rudbeckii, de characteribus Græcis a Runis veterum Gothorum exortis ſecutus ſit, quæ apud eruditos fidem vix inventura videatur.

אגרת אורחות עולם

id eſt,

ITINERA MUNDI; *ſic dicta nempe Coſmographia, autore* Abrahamo Peritſol; *cum verſione & notis* Thomæ Hyde.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, imp. H. Bonvvick bibliopolæ Londinenſis, 1691. in 4. plagul. 31.

QUem Vir celeberrimus *Thomas Hyde*, S. T. D. e Collegio Reginæ Oxonienſi, Protobibliothecarius Bodlejanus, nuperrime Latii jure donavit, Judæus Avenionenſis eſt, רבי אברהם בן מרדכי פריצול dictus, quod Latine vulgo effertur *R. Abraham*, *Filius Mordechai* פריצול *Peritſol* aut *Perizol*, rectius forſan פֿריצול ſive פֿריסול *Pareſol* vel *Paraſol*, (quo nomine Italis Gallisque umbella manuaria ab ardore Solis defendens vocitatur,) uti poſt *Julium Bartoloccium de Celleno* clariſſimus Editor monuit.

Tria novimus opera a Judæo hoc compoſita. Primum eſt *in Jobum commentarius*, (פירוש על איוב) quem *Hydius* noſter nunquam vidit, in bibliis vero Rabbinicis Venetis tum a. 278 [1518]—280 [1520], tum 283 [1523]—288 [1528] impreſſis, extare notavit *R. Schabbethaj Strimerius* in *Sepher Siphthe Jeſchenim* ſive bibliotheca Rabbinica f. 88. n. 46. Cum rariſſimus inventu ſit, ampla ex eo excerpta, ſed Latine tantum, ſuis in Jobum commentariis merito inſeruit *Sebaſtianus Schmidius*, ſacrarum literarum interpres feliciſſimus.

Alterum eſt מגן אברהם, Magen Abraham, *Scutum Abrahami*, id eſt, diſputatio contra Chriſtianos; juxta *Hydium*, qui libri exemplum (nondum typis excuſum) ac mole ſuppar *Itineribus mundi*, in Bodlejana a ſe ſervari, p. 151. teſtis eſt. Paulo plura de eo *Schabbethai* tradit f. 39. Nimirum duabus ait abſolvi partibus, quarum utramque Amſtelodami MSCtam reperire liceat. Priorem complecti ויכוח הדת בין היהודים והנוצרים *diſceptationem de religione inter Judæos*

Judæos & Chriſtianos; poſteriori ſermonem inſtitui de Judæis, qui ultra Æthiopicos & Sabbaticum fluvios degunt, ut & de quibusdam Muhammedanorum ritibus.

Tertium eſt *Coſmographia* præſens, triginta capitibus conſtans, cui titulus eſt Hebraice: אגרת ארחות עולם Jggéreth Orchot Olam, *epiſtola*, (ſive *libellus* epiſtolæ molem non multum excedens,) inſcripta: *Itinera mundi*, exarata Ferrariæ a. 285. id eſt, Chriſti 1525. Meminere opuſculi hujus *Buxtorfius* & *Hottingerus*, ſed cum *commentario in Jobum* perperam id confuderunt. Rectiora de eo docuere *Bartoloccius*, *R. Schabbethai*, ac Altorfenſium Polyhiſtor *Wagenſeilius* in exercitationibus ſex varii argumenti, a. *1687*. editis p. 161: tametſi Bartoloccium plus ſimplici vice ceſpitaſſe, paſſim monſtret Hydius. Quamvis vero & *Ferrariæ* a. 285. Chriſti 1525, & *Venetiis* a. 347. Chriſti 1587, prælum ſubiiſſe feratur ſæpius memorato *Saturnino* (ſive *Schabbethæo*) *Strimero*, non licuit tamen Thomæ Hydio tam beato eſſe, ut exemplar ullum typis exſcriptum oculis poſſet uſurpare. Tanto autem felicior fuit in MSCtis exquirendis, quorum primarium invenit inter codices Laudianos in Bodlejana ſua; alterum Venetiis emi curavit ac in propriam bibliothecam repoſuit. Cum itaque in ea eſſet ſententia, a coſmographo hoc Avenionenſi *multis poſt ſe paraſangis relinqui* notiſſimi Judæi *Benjamini Tudelenſis Itinerarium*, quod tamen curis ſuis non indignum cenſuere Benedictus *Arias* Montanus, Conſtantinus *l' Empereur* & (qui nondum, quod molitur, opus abſolvit,) Matthias Fridericus *Beckius* Auguſtanus, ſæpiuſcule in his Eruditorum Actis laudatus; copiam illius nova editione philologis faciendam eſſe, non immerito perſuaſus fuit. Addidit verſionem Latinam verbalem atque accuratam e regione, & ſubjecit ſingulis fere paginis animadverſiones & notas, ſed eruditas ac ipſo textu meliores.

Mittamus Perizolidem, qui ubi vera narrat, nihil fere habet, quod non e Chriſtianis geographis tutius petas, ac ubi fabulas illas de decem Iſraelis tribubus in neſcio qua Utopia ſuperſtitibus, a *Spizelio* aliisque ut par fuit exſibilatas, occentat, non adeo dignus eſt, cujus excerptis relatio hæc noſtra nimium turgeſcat. Ex commentatore autem doctiſſimo pluſcula excerpere, bona cum lectoris venia licebit. Barbaram Numidiæ ſeu interioris Libyæ linguam *Aquel Amarig* dici, p. 16. *Joannes Leo* memoriæ prodidit, neſcius, quid vocibus illis notaretur.

Nec

Digitized by Google

Nec felicius earum ſenſum inveſtigavit *Golius*, qui ſcribendas putavit أوال اماريغ *Auwel Amarig*, ac exponendas *ſuavis & nobilis lingua*; At, ſi Noſtrum audias, *Leo* a Muhammedanis itineris comitibus, interrogatis, qualis Numidarum illorum eſſet ſermo, reſponſi loco, non peculiare aliquod linguæ nomen, uti Leo & Golius putarunt, ſed verba ex contemtu, quo ethnicos Muhammedani afficere ſolent, profecta, accepit: اقوال اماريغ *Aquel Amarig*, id eſt, *ſermones*
In addendis. *garrulitatum ineptarum.* In Ulug-beigho, omnia Chataica ſeu Sinica vitioſe legi obſervat; *quæ* (inquit,) *ſi literarum patronis imprimendi ſumtus facere placeret, facile reſtituere & emendata edere poſſem; additis inſuper plurimis aliis capitibus de Sinenſium idololatria, opinionibus de Deo & Paradiſo, de Gehenna & gradibus & modis ſupplicii, de literatura & libris & charta & imprimendi modo & antiquitate, de doctorum virorum gradibus & modo promovendi in philoſophia & dein in militia, de modo perveniendi ad dignitates in aula regia; cum pyxide ſortilega, & compaſſo ventorum, & ſymbolo Apoſtolico, & decalogo, & familiaribus colloquiis, & epiſtolarum formulis, & aliquot Geographicis aliisque pluribus; cum omnium characteribus Sericis & eorundem ſonis.* Fortean, quam jam olim edere voluit geographiam Arabicam *Abulphe-*
præfat. *dæ*, ſuo tempore idem vir πολυγλωττότατος publici juris faciet.
p. 21. Promiſit itidem *diſſertationem de Tataria* ſeu Turcia Aſiatica & ori-
p. 26. 169. entali; *Notas biblicas*; Hiſtoriam *Regum Perſiæ*, aliaque, quæ avide a
p. 13. 8. nobis expectabuntur. Pro obſcuriſſimo Talmudis vocabulo, גבלן,
p. 19. (quo de *Joh. Bened. Carpzovius* noſtras, in eruditiſſimis ad *Schickardum* notis p. 465. nonnulla conjectavit,) in emendatiſſimo *J. Seldeni* exemplari ad marginem haberi refert correctionem Critici Judæi: הלבנן *Libanon.* Ac hac ratione nodus ille aut ſolvitur, aut ſcinditur.

p. 25. Notat Perizolidis ineptam verſionem *Magni Canis (h. e.* قان *Imperatoris*) per כלב הגדול. Putavit nempe Judæus, a *cane* (beſtia) Tatarorum Imperatorem in Italorum lingua *il gran Cane* nominari. Solet enim nomina propria exotica Hebraice quandoque vertere, uti *Granatam Hiſpaniæ* רמון כפרד, *Tridentum (Trente)* שלשים, &c.

p. 42. Apud *Plinium* lib. V. c. XIX. alias XXIII. vulgo legitur: *Cæleſyria habet Apamiam Marſya amne diviſam a Naxerinorum Tetrarchia: Bambycen, quæ alio nomine Hierapolis vocatur, Syris vero Magog.* Quod nemini

Digitized by Google

nemini adhuc animadverſum, *Mabog* pro *Magog* legi jubet *Hydius*, ac primo urbem illam olim *Mambe* appellatam, teſtem citat *Calcashendium*, qui T. II. p. 29, interprete Anglo noſtro, ſcripſit: *Hierapolis ſtructa eſt per Coſroes Reges Perſiæ & dicta eſt* منبه *Mambe; quod dein Arabizatum fit* منبج *Mambegz. Inque ea olim fuit* πυρεῖον *Perſarum.* Obſervat porro *He* finale in Perſicis nominibus in *Koph* vel *Gjim*, itemque *Pe* aut *Be* in *Mim* vulgo mutari. Hinc ſtatuit, urbis antiquum nomen fuiſſe پنبه *Pambe*, quo ſignificetur *bombyx* ſeu bombycinum quodvis, propter *bombycinæ lanæ* in illius regionis arboribus naſcentis copiam. Pro *Pambe* vulgus dein effutiiſſe *Mambe*. Præter alia tranſmutationis ejuſmodi exempla, (quæ omittimus) Bombycinum ſcribi & *Mamug*, & *Mamuc*, & *Pambuc* vel *Bambuc*. Ideoque urbem iſtam Græcis dictam Βαμβύκην, q. d. bombycinam urbem, bombycis copia gaudentem. Quæ autem Arabibus *Mambigz*, Syris ſalutari *Mabog*. Iſa Bar Ali Syrus: ܡܒܘܓ ܡܕܝܢܬܐ ܗܝ ܕܝܢ ܐܘܟܝܬ ܗܝܪܦܘܠܝܣ . مدينه منبج *Mabog eſt urbs quædam, quæ ſcil. eſt Hierapolis: nempe urbs Mambigz.*

Terram Uz, Jobi patriam, (alias *montem* vel *terram Seir*, aut *terram Edom* dictam, uti pateat ex *Thren. IV. 21.*) id nominis accepiſſe ait ab *Uz filio Diſan*, Horita, *Gen. XXXVI. 28. Belam* filium Beor, Regem Idumææ, *Gen. XXXVI. 32.* eundem eſſe arbitratur cum *Bileamo* Beoris filio, *Num. XXXI. 32.* ejuſque ſucceſſorem *Jobabum* cum *Jobo*, ſpeculo patientiæ. Argumentum hoc latius exequitur Auctor, quem videſis.

De triremibus Venetis & Turcicis luculenter agit, ſimulque *Arſenalis* & *Dogana*, h: e. Navalis & telonii Veneti, etyma ex lingua Turcica eruit. p. 80. ſ.

Eccleſ. XII. 11. per בעלי אסופות *authores conſtrictionum* clavos ferreos majores longos intelligit, quibus communiri ſolent rotarum canthi & quibus geminati aſſeres conſtringuntur ac combinantur, dum craſſiores urbis aut majoris domus portæ ſeu duplices fores fabricantur. Itaque pro: *As nailes faſtened by maſters of aſſemblies*, vertere mallet: *As nails fixed*, *which are Binders*, addito ſcholio marginali: *great binding nails*. Q. d. Verba ſapientum ſunt ſicut clavi infixi combinatorii. p. 94.

De *Amomo*, de *Sanguine Draconis*, (arboris Canarienſis ſucco) p. 101-104

Digitized by Google

p. 110. ſ. de *Ambra*, de *Benzoin* ſive laſerpitio dulci, amplas ac lectu dignas di-
p. 159. ſſ. greſſiones inſtituit, Medicis cumprimis uſui futuras. Sufficiant hæc
p. 162. ſ. ſpeciminis loco.

Accedit volumini huic appendix duplex; Primo nempe loco *Tractatus* Alberti Bobovii, *de Turcarum liturgia, peregrinatione Meccana, circumciſione, ægrotorum viſitatione*, &c. Accepit hunc Editor a doctiſſimo *Thoma Smitho*, Doctore Theologo, ad cujus preces in chartam eum conjecerat *Albertus Bobowsky*, gente Polonus, qui primo ætatis flore a Tataris captus & Turcis venditus viginti annis in Seraglio educatus, ac tandem, ejurata Chriſti fide, *Tergjuman Bashi* ſive primarius interpres in aula *Muhammedis IV. Sultani* factus eſt. Cum religione & nomen mutavit vocarique ſuevit *Ali-Beigh*. Multa ſcripſit, præſertim *Grammaticam* & *Lexicon* linguæ Turcicæ, & circa annum 1653. rogatu D. *Baſire*, Eccleſiæ Anglicanæ *Catechiſmum* Turcice vertit, itemque tota *S. Biblia* in eandem linguam tranſtulit in gratiam *D. Levini Warneri*, qui, (ut typis mandari poſſent) tranſmiſit ea Leydam, ubi hodie in bibliotheca publica, ſed MSCta tantum, aſſervantur. *Pſalmos Davidis* ejusdem manu Turcice ſcriptos Hydius poſſidet. Morte præreptus eſt, antequam ad Chriſtianiſmum rediiſſet, quod facere ex animo cupiit, deſiderans, in Anglia inter Chriſtianos honeſto aliquo modo panem lucrari. Cum itaque a Muhammedano ſcripta ſit hæc relatio, de arcanis ceremoniis, quibus nullum Chriſtianorum intereſſe fas eſt, & fide dignam & eruditis gratam fore, Bodlejanus Protobibliothecarius confidit; qui ſuis quoque annotationibus eam auctiorem reddidit atque explanavit; ſigillatim vero *Rycautum*, autorem *Hiſtoriæ Imperii Othomannici*, in Supplementis noſtris memoratæ, refellit, docuitque mulieres Turcicas omnino ſperare, ſe aliquando, æque ac viros, in paradiſum receptum iri, quod iſte p. 271. negaverat. Subjunxit Noſter titulos τῦ *Tatar-chan* Crimenſis, *Imperatoris Turcici* & *Magni Vezirii*; cum verſione Latina.

Appendix altera conſtat unica plagula hocque titulo inſignitur: *Caſtigatio in Angelum a S. Joſepho, alias dictum de la Broſſe, Carmelitam diſcalceatum, ſui ordinis in Iſpahan Perſidis olim Præfectum*. Prodiit nimirum a. 1681. Pariſiis *Pharmacopœa Perſica*. Hunc ex Perſico in Latinũ ſe tranſtuliſſe editor *Angelus a S. Joſepho* gloriatus, plagii eapropter ab

ab *Hydio* poſtulatur, cum verſio illa *P. Matthæi* opus ſit. Adjecerat autem in præfatione digreſſionem *de bibliis polyglottis Londinenſibus*, ac in verſionem Perſicam *Simonis Tabrizenſis*, eis inſertam, hujusque editores Samuelem *Clericum*, Brianum *Waltonum* & Thomam *Gravium* virgulam cenſoriam nimis libere expedierat. Cum itaque & *Thomas Hyde* triumvirorum illorum *συνεργὸς* fuerit, famam mortuorum vindicare, ſuum eſſe exiſtimavit. Acri ergo ſtylo par pari refert & in Carmelitam ob inſcitiam ac temerarium judicium graviter animadvertit. Probat, *Simonem Tabricenſem* non reprehendendum, quod *Jeſu* Servatoris nomen إيسى *Iſa*, expreſſerit, cum non tantum Muhammedani ſic loquantur, ſed & in Xaverii hiſtoria evangelica & in ſigillo, quo Pater *Joannes* Carmelita, *Broſſii* Anteceſſor, autographum Pſalterii a ſe Perſice verſi muniverit, eundem in modum legatur. *Gjan-pâk* nomen eſſe *Spiritus Sancti* in lingua Perſica unicum & commodiſſimum, contra cenſorem illum diſputat & ad miſſionarios Jeſuitas appellat, qui in verſione *Evangeliorum* Perſica dicant, Chriſtum conceptum eſſe a *Gjan-pâk*, & in deſertum ductum a *Gjan-pâk*, &c. Eodem vocabulo, neutiquam contumelioſo, ab interpretibus Perſicis verba Alcorani arabica רוח אלקדס h.e. Ebraice רוח הקודש *Spiritus Sanctus*, quo nomine Deus unus Muhammedi venit, nunquam non reddi. Utut igitur *Gjan* primario notet *animam ſenſitivam*, poſtea tamen id translatum ad mentem Divinam ſeu Spiritum Dei, quemadmodum quoque רוח & *πνεῦμα* primo ſpiritum materialem ſive ventum indicent, hoc tamen non obſtante ſublimiorem poſtmodum ſignificationem nanciſcantur. Similem in modum & Verbum سرشتن *ſeriſchten* primario eſſe *depſere* maſſam farinæ, depſendoque temperare & indere ei fermentum. Deinde autem figurate Nomen سرشت *Seriſcht* ſignificare hominis *indolem*, *temperamentum* vel *naturam*, quæ ei quaſi *indepſitur* & immiſcetur. A natura humana tralatum uſurpari deinceps de natura divina. Nequaquam ergo fuiſſe, cur Angelus objurgaret Simonem Perſam, quod verba Chriſti: *Sicut Pater habet vitam IN SEMETIPSO*, expreſſerit: *in* (SERISCHT, h. e. non fermento, ſed) *natura ſua*, ſive *in ſemetipſo*. Defenſione non egere dicit, quod baptiſmus *lavacrum* alicubi eidem *Simoni* vocetur, cum revera *lavacrum* regenerationis ſit. Sed omnium maxime diſplicuerat *Angelo de la Broſſe* nomen Chriſtiani ترسا *Terſa*, cum

 hoc

hoc ex ejus ſententia *Ignicolam* potius vel *Infidelem* notet. Docet ergo *Hydius*, auctoritate multorum ſcriptorum Perſicorum partim Chriſtianorum, partim Muhammedanorum, *Terſa* eſſe nomen Chriſtianorum apud Perſas unicum ac proprium, quod formali ſuo conceptu nihil contumeliæ contineat, quin vi etymologiæ notet *Timentem*, q. d. eum, qui maxime timet Deum. Fraudi fuiſſe conjicit *Angelo*, quod *Terſa* in quibusdam Lexicis Muhammedanis exponatur *Kiafir* i.e. *Infidelis, perfidus, apoſtata*, eo quod contumelioſo iſthoc nomine Muhammedanis Chriſtiani non raro appellari ſoleant. Unde & vocem *Naſrani* (Nazarenum, ſive Chriſtianum) per idem *Kiafir* interpretentur. Hinc forte τῷ *Kiafir* addere voluiſſe ſciolum aliquem aliud, quod putarit, ſynonymum, *Ignicolam* nempe, quia & *Ignicola* non quidem *Terſa* h. e. Chriſtianus, attamen *Kiafir* infidelis, vocitari ſoleat. Hæc *Hyde* repoſuit cavillationibus Carmelitæ. Quod ſi excerpta noſtra paululum obſcura nimiumque ſuccincta videantur, benevolus lector conferre poterit, quæ a. 1682. p. 181. ſ. ex Angeli de S. Joſepho *Pharmacopœa* ad Acta Eruditorum retulimus; ſicque ſtatus controverſiæ ſatis dilucide patebit. Cæterum minatus eſt Hydius, Carmelitam, ni quieſcat, adhuc pejus vapulaturum, magnamque ſe errorum ſegetem indicaturum tum in ea, quam diximus, *Pharmacopœa*, tum in *Gazophylacio linguæ Perſarum*, cujus mentionem a. 1684. p. 439. fecimus.

JOH. ROD. VVETSTENII FIL. DISSERtatio de Hiſtoria Suſannæ.

Baſileæ, typis Jacobi Bertſchii 1691. plag. 8.

AUctor Diſſertationis, *Johannes Rodolphus Wetſtenius*, Filius, SS. Theol. D. & in Academia Baſileenſi Profeſſor ordinarius, uti quamplurimis aliis, ita cumprimis vel hoc nomine celebris eſt, quod quatuordecim abhinc annis *Origenis epiſtolam ad Julium Africanum* omnium primus Græce edidit. Ad hanc Latine vulgatam confidenter provocaverant *Bellarminus*, *Pererius*, *Sixtus Senenſis*, *Halloix*, aliique Pontificiorum, *Hiſtoriam Suſannæ*, ut *canonicam* ſcripturæ partem, defenſuri. Nimirum putaverat Africanus, hiſtoriam iſtam *ſcriptum* eſſe *adulterinum, fictitium, novum, hebræis codicibus ignotum ac Phi-*

liſtionis

hiſtionis mimo comparandum. Ferre id non potuit *Origenes*, pro eo, quo veteres eccleſiæ mores ritusque amplectebatur, affectu, operoſiusque contra Africanum demonſtrare niſus eſt, librum illum, non quidem, (quod Papæi juxta Wetſtenium Origeni affingunt,) *canonicis*, ſacris tamen ac in eccleſia prælegi ſolitis accenſendum, adeoque non tantopere contemnendum aut inter *fabulas* rejiciendum eſſe. Hanc veram S. Patris mentem eſſe, ſex argumentis probatum ivit Noſter, lectu oppido dignis. Præſtat tamen percipere, quomodo ſpecioſæ adverſariorum objectioni ſatisfaciat capite VIII eoque totius diſſertationis ultimo.

Affirmat Origenes p. 234. *Seniores* (Judæorum) *Suſannam ſuffuratos eſſe & abſtuliſſe* ἀπὸ τῶν γραφῶν, *a ſcripturis.* Videri ergo poſſet exiſtimaſſe, hanc olim partem genuinam τῶν γραφῶν θεοπνεύστων fuiſſe. Reſpondet *Wetſtenius*, vocem γραφῆς non tantum de canonicis ſcripturis, ſed & de libris, utut apocryphis, utilibus tamen ac res ſacras tractantibus, eccleſiæ doctoribus crebro uſurpari. Sic *Origeni* ipſi apocryphum, in quo Eſaiæ diſſectio deſcripta fuit, Irenæo librum Paſtoris, aliis alios hujus commatis libros vocitari. Sane modo laudatum *Adamantium* p. 241. epiſtolæ ſuæ, non inter ῥητὰ ἢ φανερὰ, *aperta ac canonica*, quale Danielis prophetia, ſed ἀπόῤῥητα ſive *arcana ſacrarum rerum volumina* apud Judæos ſervata, *Suſannam* referre. En Viri verba. Οὐδὲν οὖν θαυμαστὸν, ἑρμηνεύσαντάς τινας τὸ περὶ Σωσάννης ἑβραικὸν, ἐν ἀποῤῥήτοις, ὡς εἰκὸς, πάλαι παρ' αὐτοῖς κείμενον, κλ. *Non igitur mirum, interpretes quosdam Hebraici de Suſanna textus (in occultis, ut videtur, libris olim apud illos habiti & apud doctiores & veritatis amantiores conſervati) aut primitivas edidiſſe dictiones, aut inveniſſe ſimilia Hebraicis denominativa.* Statuere ergo Origenem ſolummodo, Suſannam, quod ſuo tempore apud Hebræos deſideraretur, fraude quorundam Seniorum deperditam ac ablatam eſſe ἀπὸ τῶν γραφῶν, ἀποῤῥήτων nempe, non vero *canonicarum*, ſive ἐνδιαθέτων aut ῥητῶν, utpote quas divinæ providentiæ beneficio ita conſervatas eſſe, non uno loco ipſe Pater aſſerat, ut nihil detrimenti paſſæ ſint, ſive fraude, ſive incuria Judæorum.

His expeditis, alios quoque Origenis locos *Wetſtenius* vindicat, ac ea ratione argumentum ſuum tota paſſim diſſertatione pertractat, ut multa in univerſa de Apocryphis controverſia obſervatu neceſſaria,

ria, quanquam nec *Gerbardo* noſtrati, nec *Riveto*, aliisque Reformatorum penitus intacta, in medium afferat, ac optimo ordine perſpicuoque dicendi genere eadem eloquatur.

JO. NICOL. PECHLINI, SERENISSIMI Cimbriæ Ducis Conſiliarii & Archiatri Obſervationum Phyſico-medicarum Libri tres, quibus acceſſit Ephemeris Vulneris Thoracici & in eam Commentarius.

Hamburgi, ex Officina Schultziana, 1691. in 4. Conſtant plagulis 82. & Figur. plag. 2.

CUm in ſingulis & obviis quotidie morbis ſingularia quoque vigilanti Medico occurrant annotanda, rariſſima vero ad uſum minus accommodata ſint; ea, quæ hic ſiſtuntur obſervata, neque rara nimium eſſe, nec vulgaria, ab ipſo Celeberrimo Autore in Præfatione Epiſtolari, qua veniam libertati ſuæ, ſolennes Academiæ Naturæ Curioſorum leges tranſilienti, apud Venerabilem hujus Præſidem Volckamerum prætendit, perhibentur. Indices autem, quibus ſingulæ Obſervationes *tribus libris* cōprehenſæ inſcribuntur, fere nihil promittere dicuntur; forſan, quod parvi videantur momenti in comparatione ad immenſam illam rerum penum, quæ ubique, vel quoad generaliora ſaltem poriſmata, vel quoad ſpecialia ſimul paradigmata, depromitur, quæque vel e paucioribus a nobis huc transferendis mox eluceſcet. *Libri. I.* ex *LXXII Obſervationibus* compaginati, *Obſervatione 2.* in calculo veſicæ ejusque conditione cathetere explorandis circumſpecte agere jubentur Lithotomi, ne carneo quodam vel ſcirrhoſo veſicæ tumore, catheterem ſonitu minus tinnulo minusque duro repellente, decipiantur, neve calculi poſitu, figuraque & nexu negligentius indagatis, ſectionem præſentaneo cum vitæ diſcrimine aggrediantur, qualem Pater æque religioſus Aurelianenſis, quam filius patricii cujusdam Hamburgenſis omnino ſuſtinerint, ceu in quorum illo tota veſica intus lapide obducta, in hoc vero lapis durus duodecim unciarum undique veſicæ agglutinatus, ut ſine ejus ruptura haud potuerit divelli, poſt mortem apparuerunt. Calculum quippe revera mendacem eſſe, *Obſ. 3.* duorum virorum exemplis confirmatur, quorum prior plusquam ſexagenarius

genarius, cunctis calculi ſignis præſentibus, ab ipſo Ludovico von Hammen feliciſſime ſectus & ad ſanationem quoque poſtmodum perductus nullum calculum, ſed ſcirrhum ſaltem veſicæ innatum, acuto forcipe fruſtillatim eximendum, dedit; poſterior autem Normannus 65. annorum, poſtquam ſe Jannotti & Collotti, celebratiſſimorum Lithotomorum, manibus curandum commiſiſſet, calculum equidem trium unciarum extrahendum, item duos alios nucis avellanæ magnitudine per plagam conceſſit, mortem tamen nec hac ratione quarto & vigeſimo a ſectione die evitare potuit, tuberculis calloſis & tartaro internam veſicæ ſuperficiem obſidentibus. Rarum autem eſt, quod *Obſ. 4.* in puero quodam a Lithotomo mercenario, dubia quamvis calculi indicia eſſent, ac Medicus reniteretur, temeraria manu ſecto non calculus, ſed quarto poſt die cum emplaſtro vermis ſpithamam excedens, remotus fuerit, a rene qui dextro per ureterem ad veſicam tranſierat; in quantum exilis in dextro latere tumor, a renibus ſecundum ureteris ductum ad veſicam usque extenſus, atque intolerabili cruciatu ſtipatus, non ſolum præceſſit, ſed in cadavere, ex vulnere viriumque lapſu octavo die occumbentis, ren quoque dexter ultra modum magnus cum pelvi & uretere juſto majoribus comparuit. *Obſ. 7.* uti calculorum diverſimode figuratorum mentio injicitur, ita & piſiformes crena hiloque diſtincti producuntur, ab inopi in Batavia puero per tumorem perinæi, cui emplaſtra & linimenta a Chirurgis fruſtra fuerant admota, ſponte ſuppuraſcentem & aliquando poſt liberaliorem piſorum ingurgitationem nimis prurientem, unguibus propterea nonnihil laceratum, cum pure excreti. *Obſ. 11.* in pharmacopœo aulico a renum & veſicæ calculo alias miſere divexato, cum aliquando ichuria 11. dierum laboraret atque copioſiſſime biberet, urina per alvum quinquies vel ſexies de die eliminata refertur; utrum vero a veſica in ſubſtratum proxime inteſtinum rectum per novas tubulatasque vias, an a renibus ad inteſtina deducta fuerit, in obſcuro relinquitur. *Obſ. 19.* quatuor hydatides pyriformes in cadavere gravidæ ab uteri ligamento lato ejusque laciniato margine ex vinculis rotundulis & vel digitum longis libere propendentes; aliæ autem non ita longe ab ovario ejusdem ligamenti plano adſtrictæ, commemorantur. Num vero hæ veſiculæ ab ovulis ſede ſua extruſis & velut hypeneniis, hinc etiam peducunculo nimia humiditate laxato debeantur,

beantur, an a lymphaticorum vaſorum valvuloſa obſtructione hincque nata extenſione ligamentoſa atque ampullata oriantur, aliorum pariter arbitrio committitur. *Obſ. 23.* Colis gangræna, febre lipyria, hæmoptoe, hæmorrhoidibus & diarrhœa cincta, ab idiota ſupervenientε aqua fere inſipida traditur extincta, forſan decocto vitri, a nonnullis pro arcano empirico in gangræna commendato. *Obſ. 25.* fœtus jam fœtens & manu pedeque, inteſtinis etiam evolutis, ab obſtetrice truncatus, fortuito demum ſaltu, quo mater novem dierum partu fruſtra defatigata velut furibunda e lecto ſe præcipitaverat, excluſus innuitur, ipſa quoque puerpera ex febri delira & urinæ incontinentia, quam vis intulerat, convaleſcente. *Obſ. 36.* multæ matres Lugduni Batavorum beneficio menſium, toto graviditatis tempore vel brevi ante partum fluentium, a morbo illo Epidemio, qui anno hujus ſeculi 69. totam urbem ſine diſcrimine vaſtabat, annotantur præſervatæ. Imprimis Matronam quandam Autori notiſſimam, jamque quinque liberorum matrem, circa medium geſtationis tempus a contumaciſſimo & ad extremam usque partus horam perſeverante ſanguinis ſtillicidio adeo correptam fuiſſe, ut Medici plane deſperarent, ipſaque mater generoſo ſibi conſilio funus appararet; adventante nihilominus Lucina, fœtum obeſulum & nitidum longe commodius, quam unquam alias, edidiſſe. Menſtrua interdum per verticem, pedum ulcus, nares vel pulmones exitum quærere, *Obſ. 38. 39. 40. & 43.* oſtenditur. A ſanguine item menſtruo in caput regurgitante virginem quandam ſervilis conditionis viſum tunc amiſiſſe, vena vero ſecta eundem recuperaſſe, *Obſ. 42.* indigitatur. *Obſ. 57.* dum varia circa flatus in primis viis aut vaſis quoque ſanguineis oberrantes, eorumque cauſas edocentur, id oppido rarum, quod ſolus decubitus in unum alterumve latus tantam in Titio generaverit flatuum & borborygmorum copiam, graviſſimis comitantibus ſymptomatis, cardialgia, frequentia pulſus & ſudore frigido, ut non niſi erecto in angulum corpore & mutato viſcerum ſitu à præſenti periculo liberari potuerit, quatenus tum *ἄνω καὶ κάτω* miſſi ructus crepitusque in ſpeciem choleræ ventriculum & inteſtina omnino exoneravere. Icterus a depravata ſanguinis textura unice deducitur *Obſ. 58.* neutiquam ab obſtructione hepatis aut folliculi fellei, cum, obſtructionem ejusmodi icterum vel concomitari, aut nullam plane eſſe, imo aliquando folliculum tum

a bile

a bile craſſiori, tum a calculo obſtrui absque auriginis præſentia, exemplis evincatur. Hydrops vero icteri vel comes vel anteſignanus ad duas refertur cauſas, lymphaticorum videlicet rupturam & capillarium vaſorum obſtructionem itidem a ſanguinis vitio dependentem, quæ in ſpecie quomodo hydropem tam univerſalem, quam particularem producat, *Obſ. 60.* affatim explicatur. *Obſ. 65.* mirabilia accidentia in adoleſcentulo a clandeſtino lumbricorũ fermento patrata recenſentur. *Obſ. 67.* Scorbuti indoles atq; curatio prolixius deſignantur, ejusque affinitas cum lue venerea, *Obſ. 72.* adumbrata, ſingulari cujusdam Scorbutici exẽplo, præter totius corporis tubercula bubonibus quoq; inguinum & pudendorum furunculis divexati, comprobatur.

Lib. II. quem LXX *Obſervationes* complent, *Obſ. 1.* verus polypus utrumque cordis ventriculum diverſa mole inhabitans e corpore Æthiopis illius fœminæ, quæ anſam quondam librũ de nigredine Æthiopum conſcribendi Autori ſuggeſſit, protrahitur. Pſeudopolypus autem niger atque tenax ſinus cerebri occupans in muliere, ex atrociſſima multorum annorum cephalæa pereunte, *Obſ. 2.* detegitur. *Obſ. 4.* tres exhibentur calculi tuſſi a ſtudioſo quodam Anglo ſine ulteriori incommodo rejecti, a lympha forſan bronchiorum ab halitu Gorgoneo ſubito coagulata enati. Quamvis ex inciſa vena rariſſime ſanguis prorumpat albus, *Obſ. 13.* nihilominus Polonus quidam vexillifer doloribus alias modo arthriticis, modo nephriticis, nunc hypochondriacis exagitatus memoratur, e quo purpureus aliquando ſanguinis rivus, etiam repititis vicibus emiſſus, mox ad aeris patinæque commercium colore niveo indutus fuerit. Variolas in viro juvene poſt venam ſectam feliciter erupiſſe, imo fœminam quandam nobilem, cum variolæ jam in cutim eſſent protruſæ, inſciis Medicis venam in utroque pede non ſine ſucceſſu ſibi incidendam curaſſe, *Obſ. 14.* indicatur. Quemadmodum de Arthritidis natura, medela & prophylaxi *Obſ. 25. 26. & 27.* agitur: ita *Obſ. 28.* prodigioſa podagræ annectitur cura, dum peditum præfectus jam per tres ſeptimanas rigida hyeme peſſime a podagra habitus, remediis olim proficuis nihil conducentibus, inſultum ejus ex villici cujusdam ſuaſu ſola nive, tam eandem affricando, quam ſuper eam nudatis pedibus ambulando, compeſcuit; non ſecus atque Princeps quidam Regii ſanguinis, poſt itidem fruſtrata Medicorum conſilia, dolorem podagricum frigida ſalſa delinire

 linire

linire fructuoſe conſuevit. Inflammationem oculorum nonnunquam vermiculis deberi, *Obſ.35.* indigitatur exemplo cujusdam puellæ, quæ licet ciliorum rubedine & prurigine moleſtiſſima quinque jam annos laboraſſet, atque ſal Saturni, ſaccharum candum, mel aliaque incaſſum adhibuiſſet, ſuaſu tamen vetulæ demum accedentis dimidiato ovo ad duritiem cocto & vitello exemto, quoad cavum oculi convexo calide admoto, & animalcula minuta lentium inſtar evocante, ſtatim a prurigine liberata fuit. *Obſ. 42.* miles producitur, cui, duobus digitorum internodiis in prælio abſciſſis, ungues in ultimo internodio renati fuerunt, quamvis fœdi ex parte ac rugoſi. *Obſ. 50.* ſacerdotis mentio fit, animam ſemper fœtidam, quoties vero gravioris morbi tempeſtas inſtat, gratum & odorem moſchi ſpirantem, exhalantis. Cum omnes plantarum ſucci plus minus lenitivi *Obſ. 60.* videantur, raris accenſendum, quod Principi cuidam maximum ſanguinis & ventriculi ardorem non alio temperare remedio, quam centum mori fructibus quotidie jejuno ventriculo ſine alvi damno ingerendis, ſolenne fuerit. Tandem Paralipomena, quæ circa Chamæleontem *Obſ.70.* conduntur, ante omnia colorum hujus varietatem, tot ſymbolis fabulisque jactatam, in unius viroris, prout conſtat, ex cœruleo ac flavo conflati, & obſcuro-nigri graduali mutatione ſcrutantur.

TAB.V. Fig. 4. Hinc partes Chamæleontis diſſecti & Fig. 4. delineati evolvunt, obſervando: cutim cancellatam fuiſſe viſam, deductis ſecundum longitudinem corporis lineis, quæ a mediis & lateralibus ſectæ interſtitia quædã latiora, alibi quidẽ magis irregularia & aſpera, imo ſqãmoſa, velut colliculos convexo-concavos & ab aere inflandos, comprehenderint. Aperto ventre præter venarum ſanguinearum ubique copiam & viſcerum intus omnium a ſuperficiali quodam rore ſingularem nitorem, in conſpectum prodiiſſe; Ventriculi I. ſuperficiem albam multisque venulis pertextã; Inteſtina KKK ob pellucentem tenuem membranulam araneatam nigra, interius cum ventriculo viſcida pituita obducta bileque ex parte tincta; bilis Veſiculam M eleganter rotundam ſuccique non nimium amaricantis plenam in ſiniſtro latere, quo Hepatis LL lobus unus rejectus erat. Lienem impune defeciſſe, niſi forte particula quædam rudis atque cruenta, ventriculi convexo negligentius adſuta, pro liene accipienda veniat. Remotis autem inteſtinis Ovarium Botryoides FF

vitel

vitellorum rotundulorum, & ut numero ita quantitate creſcentiũ ſpectaculo mirifice oculos delectaſſe. Ad poſtica prope ſpinam lumbarem, ubi alias muſculi pſoas locantur, Renes quoque GG a Panarollo falſo negatos, deprehenſos fuiſſe cum ureteribus inſcriptis ac circa HH in uropygium exeuntibus. Aſt abdominis viſceribus exemtis coſtarum miram apparuiſſe & mechanicam diſpoſitionem, candoremque earum pulchre diſtinxiſſe ſerpentem per media venulam, nervulis ſociatam; Pulmones NN, ut in lacertis, quorum genus eſt, veſiculares & areis ſuis comprehenſos, perreptantibus quoque diviſuras ſingulas vaſculis ſanguineis; Aſperam Arteriam ex teneris mobilibusque annulis conflatam, intusque & extus membranula obvolutam; Corque O cum auriculis paulum inclinatum. Præ cæteris tamen ſingularem & miram fuiſſe texturam linguæ miſſilis, e tendine oſſeo, theca nerveo-ligamentoſa tubulata & pulpa craſſa coagmentatam: tendinem ſcilicet oſſeum, duabus apophyſibus DD uncis & reflexis multa carne veſtitis exſurgentem, ac in linguæ longitudinem circa C abeuntem, oſſi hyoidi E multa pariter carne cooperto per arthrodiam adhæſiſſe; thecam vero tubulatam C, quamvis elongata corporis longitudinem æquarit, totam tamen tendini oſſeo tres fere uncias longo annulata plicatura inductam fuiſſe, & ad latus nerveis cincinnis arteriolisque pertextam; pulpam denique linguæ B peculiarem obtinuiſſe cavitatem A, quæ intus poroſa ad preſſionem copioſum viſcum etiam triduo poſt ſudarit, atque aquæ immacerata totam hanc glutine impleverit. Hanc emisſitiam linguam a Chamæleonte quidem æſtate, cum apricatum venit, adhiberi ad inſecta, ſegnem corporis motum facile evaſura, celeriter apprehendenda viſcoque illo detinenda; hyeme autem adventante, ubi latebras petit, omnem ejusdem uſum, uti aliarum fere partium, ceſſare, niſi quod copioſus ſuccus in ſpongioſum illius contextum affluens neceſſario in clauſo tunc oris rictu ad ventriculum regurgitare, & labaſcentium viſcerum actionem ſuſtinere videatur. Alias a mero tum aere hoc animal conſervari, & quidem temperato, cum in noſtro aere & ſupra terram nullus unquam Chamæleon poſt hyemem ſuperſtes vixerit, neque inſecta in os intruſa poſt tres ſeptimanas in ventriculo immutata fuerint deprehenſa.

Lib. III. qui ex *XLVI. Obſervationibus* coaleſcit, *Obſ. 3.* vetula

 mori-

moribunda ſiſtitur a Gallico milite miſere domo ejecta, quæ etſi ultimis tribus diebus nullum pulſus veſtigium ederet, non prius tamen expiravit, quam filiæ amplexibus unice deſideratis frueretur. Tantam interdum animæ vim eſſe, ut ſe a corporis obſequio legibusque exſolvat, nec protinus ab humorum ſpirituumquecorruptela afficiatur, *Obſ. 4.* juvenis cujusdam nobilis demonſtratur exemplo, qui ſcorbuticus totos dies pancratice & comedens & bibens, tam felici nihilominus tamque ſtupendo celebratur ingenio, ut quamcunque ſcientiam vel ſolus absque magiſtro addidicerit, cunctaque ſemel lecta vel audita feliciſſime memoria tenuerit. *Obſ. 8.* alias inter inſtantias, quibus externorum ſenſuum vitia aliorum ſenſuum prærogativa compenſari oſtenditur, duo quoque proferuntur cœci, quorum alter faber lignarius in aula Cimbriæ non tantum guſtu, tactu aliisque omnes lignorum ſpecies diſtinxit, verum etiam proportiones mechanicas, operaque teſſellata curioſiſſima elaboravit; alter vero in Gambriviis omnis generis inſtrumenta muſica inimitabili manuum orisque modulatione rexit. *Obſ. 13.* multæ in determinandis medicaminum effectibus imaginationi adſcribuntur vires. Sic namque Studioſum Hypochondriacum a vitrioli albi granis quindecim, cum acido tartari in gratiam ventriculi evacuandi præſcriptis, ſudoris unice, quem ſibi perſuadebat, beneficium perſenſiſſe; item alium Studioſum a ſcrupulo pilularum de cynogloſſa, quas purgantes reputabat, evacuatum fuiſſe; idem & fœminæ ex colica nephritica laboranti ac pilulas ex ſucco liquiritiæ, extracto angelicæ & laudani opiati granis tribus aſſumenti, eandem ob cauſam contigiſſe. Mira quoque imaginationis virtus in morbis cudendis antea non viſis *Obſ. 16.* declaratur in Sacerdote, qui tres annos domi ſe continere eo coactus fuerit, quod peregrini hominis colloquiũ aerisq; externi uſum affectanti mox majorem reſpirandi neceſſitatem, quaſi aer jamjam deficeret, imponi, tandem etiam abrumpi videretur, ſolicitudinem hanc cordis anxietatibus, vertiginibus, ſudoribus frigidis & aliis concomitantibus; nunc tamen quemvis inſultum vini hauſtu & minuere & occupare noverit. Terror morborum non ſaltem cauſa *Obſ. 23.* ſed & remedium *Obſ. 24.* traditur; v. g. tegulæ illapſum fœminæ diu multumque quartanariæ & caput vitiaſſe, & febrem diſpuliſſe; item piiſſimum virum cum Quartana diu conflictatum & hinc Amſtelædamum tendentem, vehiculi caſu humerique luxatione

tione a febri liberatum fuiſſe &c. Admirandæ, quas Gretrakius Nobilis Hybernus ante 26 annos in publicis hominum conventibus Londini, Oxonii, & paſſim alibi ſolo manuum contactu præſtitit ſanationes, fuſe *Obſ. 31.* recenſentur. Svvalbacenſis crypta Puteolanæ illi ſimilis, quæ vulgo Grotta di cane audit, *Obſ. 44.* eruitur. *Obſ. 45.* experimenta in thermis Emſenſibus facta ſuppeditantur. Tandem *Obſ. 46.* Steatoma glandulоſum quatuor fere libras æquans auſpicata Medici manu e dextro ſuper coſtis ſpuriis latere vetulæ cujusdam ruſticæ ſexagenariæ detrahitur, figuraque appoſita depingitur.

Cæterum *Ephemeris cum Commentario* adjecta vulnus concernit thoracis toto tempore curationis, quæ demum feliciter inſecuta, ultra 40. libras tum ſanguinis, tum puris, eructans; aſt cum hiſtoria hujus ſub diſputationis ſchemate jam novem abhinc annis Kiloni publice ab Autore ventilata fuerit, nuncque ſaltem notabilium pariter quorundam vulnerum additamento locupletata & emendata prodeat, diutius eidem haud immoramur, Dialogum impenſe ab Autore acutiſſimo efflagitantes, quo damna, ab hominum & vulgi opinione, jam etiam Medicaſtrorum Lucripetarum ſordibus & Theoreticorum ſupercilio in nobiliſſimam Medicinam illata, proxime traducenda promiſit.

JACOBI PERIZONII CUM ULRICO Hubero Disquiſitio de Prætorio, cum alibi, tum maxime in urbe Roma, ejusque Præt. Præfecto, ac vero ſenſu verborum Pauli Philip. I. 13. Accedit ejusdem Diſſertatio de Auguſtea orbis terrarum deſcriptione, & loco Lucæ eam memorantis.

Franequeræ apud Jo. Gyſelaer 1690. in 8. conſtat plag. 61.

VErba Pauli in *epiſtola ad Philippenſes cap. I. commate 13*, quibus innocentiam vinculorum ſuorum in prætorio toto manifeſtam ſe reddidiſſe indicat, occaſionem litigandi dederunt doctiſſimis viris *Ulrico Hubero* & *Jacobo Perizonio* ſuper *Prætorio*; quod urbanum iſte juri dicundo auditorium partemque Palatii Cæſarum; hic prætoriarum cohortium corpus, ſeu caſtrum ubi Romæ prætoriani tendebant, unde ſubmittebantur cohortes quæ per vices ad palatium Cæſarum ſtatio-

Digitized by Google

nem agerent, contendit. Sententiam ſuam *Perizonius* edita anno 1687 academica diſſertatione *de origine, ſignificatione & uſu vocum Prætoris & Prætorii, veroque ſenſu loci ad Philip.* I, 13. expoſuerat. Huic in *Prælectionum Juris Romani & hodierni Parte II.* in expoſitione *tit. XI. Lib. I. de Off. Præf. Præt.* per modum Digreſsionis contradixit *Huberus*; adverſus quem opinionis ſuæ veritatem aſſerturus *philologicam Diſſertationem* anno 1688 edidit *Perizonius*: quod ægre ferens *Huberus* ſingularem librum *de Prætorio quod Paulus Philip. I, 13. memorat*, annexum *Diſſertationibus ſeptem Juridico-theologicis* anno 1688 publici juris fecit, a nobis in Actis iſtius anni menſe Sept. p. 475. enarratum: quo tempore nondum conſtabat, quem adverſarium ſibi ſumſiſſet Huberus, cujus ſententiam oppugnet, *Viri clariſſimi* ſolum nomine notatum; nunc demum cognitum, poſtquam hic liber prodiit, in quo continentur omnia hactenus enumerata doctisſimi utriusque Viri ſcripta, a *Perizonio* junctim edita, qui *Huberi* etiam ſingulari iſti libro fuſe reſpondit: unde ſententiam ipſius non adeo novam aut paradoxam eſſe intelligimus, ut ingenti inopia veri opus ſit ad eam probandam; mitioribus certe verbis litem hanc prætoriam agi potuiſſe arbitramur, cujus præcipua momenta exponemus.

Perizonius ex veteribus melioris ævi ſcriptoribus, Tacito cumprimis *Hiſt. 1, 20, 5. 2, 11, 6. 4. 46, 9.* & Suetonio in *Neron. cap. 9. & 47.* ut & Inſcriptionibus veteribus oſtendit, propria & prima *Prætorii* ſignificatione (a *Prætore* deducta, quo nomine ducem exercitus ſeu imperatorem venire conſtat, præſides item provinciarum, quoniam & illi imperium militare habebant) tabernaculum caſtrenſe in quo imperator tendebat denotari, idque poni fuiſſe ſolitum in præcipuo caſtrorum loco, qui *principia* dictus fuerit, inque illud conveniſſe ad imperatorem duces reliquos, ibique conſilia de rebus ad belli ſummam pertinentibus agitata, judicia exercita, diſceptatas & cognitas militum cauſas, pœnasque exactas eſſe. Ab hoc caſtrenſi prætorio ductum, ut ædes deſtinatæ habitationi & manſioni præſidum, qui pacatæ provinciæ præerant, & proinde non in caſtris ſed urbe habitabant, quoque dicerentur *prætoria*, quod earum ædium in provinciis eadem eſſet ratio quæ tabernaculi iſtius in caſtris. Eadem appellatione Regum etiam aulas, quæ in urbe aliqua fuerunt, imo & lautiores in agris villas, veniſſe. Poſterioribus temporibus ædificia illa publica, quæ deſti-

Digitized by Google

deſtinata erant judiciis publice exercendis, dicta fuiſſe eodem nomine, nec ab ipſa tamen judicum habitatione diſtincta, niſi ſeris valde temporibus. Sed de re urbana uſurpatam hanc vocem ſignificare prætoriarum cohortium corpus, vel etiam locum ubi tendebant illæ cohortes; neutiquam vero palatium, aut aliquam ejus partem judiciis habendis deſtinatam. Igitur cum *Prætorii* vox nequaquam ex urbe & foro, ſed ex caſtris primam originem trahat, neque in Urbe ullus fuerit locus ita appellatus, qui juri dicundo eſſet deſtinatus, verba Pauli ad *Philip. I, 13.* ubi innocentiam ſuam Romæ declaratam a ſe ait *ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι*, non de tribunali quodam, ſive auditorio, aut judiciorum ſubſelliis, neque de palatio Cæſaris, ſed de prætorianorum militum in unis caſtris ad Urbem tendentium multitudine, accipienda docet: Paulum enim una cum reliquis *δεσμίοις* ex Judæa Romam avectis, non ad Senatum aut Magiſtratus urbanos, ſed ad Cæſarem fuiſſe miſſum, & proinde traditum Præfecto prætorii; ab hoc in militari cuſtodia habitum, & catena militi prætoriano alligatum, multam cum prætorianis militibus (a quibus per integrum biennium & amplius fuit cuſtoditus) conſuetudinem habuiſſe, & quotidianis cum iisdem ſermonibus, *εἰς προκοπὴν εὐαγγελίου* ſemper tendentibus, ſuorum vinculorum rationem expoſuiſſe, crebram declarandæ innocentiæ occaſionem per quotidianam Evangelii expoſitionem, & approbatam omnibus vitæ ſuæ integritatem ac ſanctimoniam, nactum.

Hæc ſententia, quæ a vero nil alieni continere videtur, talis non viſa eſt *Hubero*, qui ingenti inopia veri opus eſſe ad eam tuendam & ex Pauli verbis exprimendam ſtatuit. Exiſtimat potius & dialectice demonſtrare annititur, milites prætorianos nunquam *prætorii* appellatione veniſſe, ſed *prætorium* tempore Cæſarum fuiſſe partem palatii, in qua extiterit auditorium Imperatoris & ejus præfecti, cum ſtatione militum Prætorianorum: diſtinctam tamen eam manſiſſe ab habitatione Cæſaris, licet utraque eſſet in palatio: Præfectum prætorii a Græcis Romanarum rerum ſcriptoribus ſæpe vocatum eſſe *præfectum aulæ ἔπαρχον αὐλῆς*, Dioni Caſſio, Plutarcho, Herodiano & Zoſimo; inde ſequi, aulam eſſe prætorium. Ex alio etiam Pauli loco *poſteriori ad Timoth. epiſt. cap. ult. v. 16.* domum in qua auditorium fuit, *prætorium* vocatam eſſe oſtendit. Nec militem Paulo qui cuſtos additus fuerat,

fuerat, pro prætoriano habendum eſſe; videri potius, aliquem ex Judæa de Julii centuria legionis Auguſtæ, quæ vinctos Romam deportaverat, fuiſſe: nullum autem prætorium ſeu tabernaculum Imperatoris in caſtris extitiſſe, ſed in palatio; quod nomen de Cæſarea domo populariter notum, partis ejus, id eſt, prætorii appellationem abſorpſerit, æquo animo ferentibus Cæſaribus, ut odioſum in Urbe *prætorii* nomen appellatione *palatii* permutaretur. Paulum igitur in auditorio Cæſaris Neronis, ſine ullo patrono, Burrho & Seneca præſentibus, glorioſiſſimam illam utiliſſimamque orationem apologeticam habuiſſe, & cum attentione ac admiratione omnium, Cæſari, ejus præfecto, aſſeſſoribus judicii, comitibusque & reliquis e Cæſaris domo, tum & aliis qui adfluxerant, innocentiam non modo ſuam, ſed & Evangelii veritatem manifeſtam feciſſe. Pro ſententia hac Chryſoſtomi locum affert, ut & Belgarum ac Italorum interpretationes loci Paulini, e quibus apologiam a Paulo non in caſtris extra urbem, ſed in palatio habitam fuiſſe confirmat. Præterea ex Aſconio Pædiano, qui *prætorium dici tabernaculum prætoris* ſcripſit, opinionem ſuam ſtabilit, nec ſermonis Latini proprietatem ferre, ut *in prætorio* vel *ad prætorium* ſignificet *inter* vel *ad cohortes prætorias*, cenſet; probationem autem per argumenta cauſarum linguæ Latinæ adverſus uſum popularem & receptiſſimum, adeoque petitum ab analogia aliorum verborum metonymice corpus hominum ſignificantium, v. g. *familiæ, officii, ſervitii, conſilii, auditorii*, &c. ad vocem *prætorii*, argumentum rejicit: in caſtris nulla de cauſis civilibus, nedum de religione, habita fuiſſe judicia, ſed in habitaculo Imperatoris inque palatio locum fuiſſe eorum, æque ac appellationum ſeu provocationum accipiendarum, exiſtimat.

Has objectiones *Huberi*, in libro ſingulari expoſitas, *Perizonius* in Reſponſione ad ſingula ejus capita, copioſe diluit, id inprimis prænotans, Paulinum locum ex prima & genuina *prætorii* ſignificatione, apud omnes Latinos ſcriptores iſtius ævi, quo Paulus epiſtolam ſcripſit, recepta, explicandam; neutiquam vero ex Pauli verbis, in quibus nihil plane reperitur quod prætorii ſignificationem ullam in partem determinet, controverſum iſtud vocabulum definiendum eſſe. Nec alterum illum in *poſt. ad Timoth. cap. IV. v. 16.* locum cum hoc ex *epiſt. ad Phil. I, 13.* conjungendum, & unius veluti temporis & hiſtoriæ

narra-

narrationem inde conflandam eſſe: cum inter eruditos conſtet, Paulum bis Romam veniſſe, bis iſthic reum fuiſſe, primum cum a Feſto miſſus eſſet ex Judæa, dein quando ex prioribus vinculis dimiſſus peragrato orbe ſub finem imperii Neronis rediit: priori tempore ſcripſiſſe epiſtolam ad Philippenſes paulo ante dimiſſionem ſuam, quam & *cap. I. v. 25. 26.* & *cap. II. v. 24.* prædixit; poſteriori vero alteram illam ad Timotheum, paulo ante quam a Nerone capite truncaretur, quod e *cap. IV. v. 6.* ubi necem ſibi inſtare vaticinatur, manifeſtum ſit. Perperam primam Pauli apologiam, cujus fortunam Timotheo nunciat, referri ad priorem Pauli reatum, & controverſa de Prætorio verba, Auctor annotat: ſimulque obſervat, Paulo & Evangelio æque glorioſum fuiſſe, ſi quotidiana Evangelii prædicatione, ſanctimoniæ ſuæ atque innocentiæ declaratione, & expoſitione cauſarum, quare hæc vincula lubens pateretur, milites & quosvis alios ad agnoſcendam ſuam & Evangelii innocentiam adegerit, quam ſi unico Apologiæ judicialis actu (quem commentum eſſe *Huberi* exiſtimat) in auditorio Judicibus vinculorum ſuorum cauſam declararit. Chryſoſtomi autoritatem, qua per prætorium aulam vel regiam Neronis denotari probare ſtuduit *Huberus*, & de prima illa Apologia in ep. ad Philipp. loqui Apoſtolum affirmavit, Auctor ita accipit, ut homini Græco, qui tot ſeculis poſt primum vixit, condonandum putet, ſi per Palatium explicet *prætorium*; neutiquam tamen partem judicialem Palatii intelligere ipſum, imo innocentiæ Paulinæ declarationem in Prætorio a prima ejus apologia Timotheo nunciata, tanquam rem prorſus diverſam, diſtinguere, quod vero attinet ad ipſam φανέρωσιν, Chryſoſtomum omnino ſentire cum ipſo, factam nempe eam non unico apologiæ judicialis actu, ſed potius quotidiana Evangelii prædicatione, & vitæ ſanctitate. Quatuor in contrarium allatis argumentis *p. 369. ſqq.* reſpondet. Poſtea in *Reſp. ad cap. 5. & 6.* militem, qui cuſtos Paulo datus fuit, quem ex Judæa & Julii centuria fuiſſe *Hubero* perſuaſum eſt, prætorianum fuiſſe, nec ullum in omni Romanorum hiſtoria repertum iri exemplum legionarii militis ex longinqua adeo provincia a ſua legione & ſignis abducti, & Romæ ſine ulla neceſſitate retenti, ſolummodo ut vinctum aliquem aſſervaret; ſub prætoriani potius militis in caſtris habiti cura fuiſſe reorum cuſtodias, ex hiſtoria Romana docet, & ex annotatis Grotii ad *Act. 28, 16.* probat. Cumque Adverſarius negarit *Prætorii*

vocem cohortes militum & prætorianas ſignificare, ſed tabernaculum Imperatoris ſolum denotare, *cap. 7. & ſeq.* reſpondet, monſtratque tempus & locum diſtinguenda eſſe in vocabuli hujus ſignificatione. Nempe in caſtris ante & poſt Cæſares ſignificaſſe tabernaculum illius qui cum ſumma poteſtate exercitui præerat: in provinciis habitationem præſidum: at in Urbe etiam prætorias cohortes eo fuiſſe denotatas, poſtquam Auguſtus eas ex caſtris in urbem deduxit: ſicut & in agris præcipuas & ſumtuoſas maxime villas. In loco autem Paulino commodiſſimam interpretationem videri eam, quæ a cohortibus prætoriis petitur, nec analogiam, quominus *in prætorio* non idem ſit ac *inter cohortes prætorias*, repugnare ad *cap. 8.* oſtendit, uſumque hujus ſignificationis, allegatis veterum exemplis, *cap. 9. & 10.* probat; eaque a contorta, quam vocat, & dura expoſitione Adverſarii, liberat, nunquam *Prætorii* vocabulum, determinatum in aliquam rei urbanæ ſignificationem adhiberi aſſerens, quin proxime & unice prætorias cohortes denotet: cumque *prætorium* adjectivum ſit, ſubintelligi debere *caſtrum* ad *cap. 11.* docet, ibique de nummis quibusdam ex Oudano depromtis diſſerit. Præfectum prætorio ἔπαρχον αὐλῆς dictum fuiſſe a Græcis ætate poſterioribus, nec ab ullo, præter Plutarchum, ante Conſtantini tempora ita vocatum; Latinos omnes veteres & Græcos ante Conſtantinum non aliter Præfectum prætorio expoſuiſſe, quam præfectum prætoriis cohortibus, ἔπαρχον τοῦ δορυφορικοῦ vel τοῦ στρατοπέδου ad *cap. 13.* notat, & h. l. bene monet, quod & in *Diſſ. II.* §. *43.* obſervaverat, ex modicis initiis, potentiam & curam muneris Præfecti prætorio majorem in modum paulatim fuiſſe auctam, adeo ut tandem Cæſares omnia per Præfectos illos prætorio adminiſtrarent. De Dionis Caſſii loco e lib. 53. quo is habitationem Auguſti *Palatium* appellatam fuiſſe indicat, *quod ille in monte Palatino habitaret, & haberet τὸ στρατήγιον prætorium*, quod Huberus de judiciali auditorio accepit, Auctor de prætoriæ cohortis ſtatione, quæ iſthic ſub Cæſaribus fuit, vel loco ei deſtinato, explicandum docet, pluribus ad *cap. 14. 15. 16.* diſſerit. De *templo* in caſtris an idem ſit cum prætorio, an diverſum, *p. 217. & 675.* diſquirit, & prætorium ab Auguſto in Vrbe collocatum indeque a Tiberio in caſtra translatum eſſe, ad *cap. 17.* negat. De judiciis autem in caſtris exercitis, exemplum Silii & reliquorum Meſſalinæ adulterorum e Tacito affert ad *cap. 18.* Cæſares primi

ſeculi

ſeculi in palatio auditoria ſtata, ſeu conclavia vel ædificia juri dicundo & provocationibus accipiendis dicata, habuiſſe negat ad *cap. 19. 20. 21:* privatis enim litibus in urbe & palatio attendendis nunquam vacaſſe Cæſares exiſtimat, quorum plerique maximam imperii ſui partem extra urbem egerint in ſeceſſibus & villis, privatas lites foro & ordinariis judicibus aut extraordinariis ſorte lectis relinquentes. Ex his, ut & aliis pluribus quæ omnia recenſere nimis longum foret, colligit *p. 901. 902,* quum neque uſum neque analogiam ſignificationis *Prætorii* pro parte palatii judiciali in qua auditorium fuerit, toto iſto ſingulari libro *Huberus* probaverit; nec ullum attulerit locum, in quo vocabulum iſtud tali ſenſu fuerit adhibitum; neque publicum ac ſtatum juris dicundi auditorium in palatio Cæſarum primi ſeculi extiterit; ſalvam eſſe ſententiam, qua de prætoriis cohortibus *Prætorium* intelligendum eſſe, & Paulum militi prætoriano, qui ipſi alligatus erat, reliquisque qui crebro accedebant, vinculorum rationem innocentiamque ſuam expoſuiſſe, & de Chriſto Evangelium prædicaſſe, cenſuit.

Prætorianæ liti ſubjungit Diſſertationem *de Auguſtea orbis terrarum deſcriptione, & loco Lucæ eam memorantis* doctiſſimus Auctor; in qua, ſecus ac Interpretes hactenus ἀπογραφὴν Luc. II. 1. expoſuerunt, non tributi cauſa eam inſtitutam & ἀποτίμησιν τῶν ὄντων, ſed deſcriptionem ſingulorum hominum factam, eorumque nomina in publicas tabulas conſignata fuiſſe docet: inſtitutum autem id, ut conſtaret, quam frequens eſſet quæque regio, & quantum auxiliorum poſſet tum provinciis, tum & ſociis civitatibus, & regibus, ſi res ita exigeret, ac vicina forte provincia bello flagraret, imperari. Notum eſſe Breviarium Auguſti, ex deſcriptione hac ὅλης τῆς οἰκουμένης confectum: & proinde ut accuratior numerus iniretur ſubditorum, eos non in locis ubi habitabant, ſed unde per majores ſuos orti erant, ſeu ubi majores perpetua ſerie vixerant, & ubi idcirco genealogicæ illorum tabulæ reperiebantur, fuiſſe recenſitos: quæ cauſa etiam fuerit, ob quam Joſephus ex urbe Galilææ Nazaretho Bethlehemum Judææ conceſſerit (quia erat ex familia Davidis) & omnes reliqui in ſuam quisque civitatem ſe contulerint. De tempore hujus ἀπογραφῆς an ſub Cyrenio ſeu Quirino, (de quo nomine §. *ult.* diſſerit) an Sentio Saturnino, an Quintilio Varo facta ſit, *§. 6 & ſeqq.* quo item ſenſu prima ea dicatur, late & circumſpecte, ut autoritatem Scripturæ

 tueatur,

Digitized by Google

tueatur, quam aliorum vel emendationes vel interpretationes labefactare videntur, diſſerit, & cum Heervvarto, Reineſio & Coccejo πρώτη poſitum eſſe ἀντὶ τȣ̃ πρότερα cenſet, verumque verborum ſenſum hunc eſſe putat: deſcriptionem hanc *prius* vel *ante* factam eſſe, quam Syriæ præſideret Quirinus: quam loquendi rationem fuſe oſtendit & explicat, optimi Grammatici partes implens & hoc veluti documento monſtrans, quem uſum accurata verborum cura in gravioribus ſtudiis rebusque præſtet.

ΦΛΑΒΙΟΥ ΙΩΣΗΠΟΥ ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ.

Flavii Joſephi opera quæ extant omnia, juxta editionem Græco-Latinam Genevenſem, quæ nunc prolegomenis & appendice aucta redditur.

Coloniæ, ſeu potius Lipſiæ, ſumtibus Mauricii Georgii Weidmanni A. C. 1691. fol. Alphab. 14.

AUctor τῶν προλεγομένων, qui eſt *Thomas Ittigius*, vir Clariſſimus, noſterque in colligendis Eruditorum Actis Socius æſtumatiſſimus, primum de quorundam celeberrimorum Virorum in Joſephum lucubrationibus fruſtra hactenus promiſſis & expectatis diſſerit; qua occaſione etiam præcipua Joſephi manuſcripta memorat, quæ paſſim in bibliothecis aſſervantur, & imprimis Vindobonenſia, quæ Petrus Lambecius in peculiari ad Auguſtum Brunſuicenſium & Luneburgenſium Principem epiſtola delineavit. Deinde de ipſis Joſephi ſcriptis agit, de 7 libris ἁλώσεως, de 20 libris ἀρχαιολογίας, quorum appendix eſt vita Joſephi ab ipſomet conſcripta, de duobus libris contra Apionem, de panegyrico in Maccabæos, ſeu tractatu qui περὶ αὐτοκράτορος λογισμȣ̃ inſcribitur, nec non de ſcriptis a Joſepho promiſſis, & vel temporum injuria deperditis, vel non abſolutis. Poſtea Græcas operam Joſephi editiones, quæ rariores & infrequentiores hactenus fuerunt, tum etiam verſiones Latinas, Germanicas, Italicas, Hiſpanicas, Gallicas, Anglicas, & Belgicas enumerat. Antiquis Joſephi interpretibus Latinis, Rufino & Amicis Caſſiodori, accenſet etiam Autorem librorum quinque de excidio Hieroſolymitano, cum quoad

quoad maximam partem ex Joſepho translati fuerint, unde etiam Joſephi ſeu Joſeppi aut Joſippi nomen illis quondam adſcriptum fuiſſe obſervat, quod poſtea librariorum vitio in Igiſippi vel Egeſippi nomen tranſiit. Occaſione Hebraicæ verſionis, quæ in Vaticana bibliotheca manuſcripta extare dicitur, de Joſepho Gorionis filio & Hebraica ejus hiſtoria, in qua & ipſe plurimis in locis Joſephi noſtri interpretem egit, breviter diſquirit, eumque Joſepho noſtro longe recentiorem, & propter aniles quas admiſcet fabulas nullius pretii eſſe probat, etſi a Judæis quibusdam magni æſtimetur, & tantum non Prophetis æquiparetur. Fragmenta quædam, quæ ab Euſebio, Hieronymo, Suida & aliis ex Joſepho allegantur, & hodie in Joſephi operibus non reperiuntur, pleraque Joſepho potius affiċta, quam ex ejus operibus expunċta ſtatuit, ſi forte excipiatur fragmentum de Harani combuſtione, quod apud Euſtathium in hexaemero legitur. Joſephi de Chriſto periochen adulterinam eſſe ſtatuit, & inter alia Lambecium refutat, non ſolum in eo, quod in epiſtola ad Auguſtum inter ſcriptores, qui decantatiſſimæ illius perioches mentionem faciunt, Photium numeraverit, & poſtea in commentariis de bibliotheca Vindobonenſi hunc errorem defendere conatus fuerit, ſed imprimis etiam in eo, quod Joſephi verba ita interpretetur, quaſi non ad Chriſti laudem, ſed potius ad ejus contemtum & vituperium ſpeċtarent; quam Lambecii explicationem prolixe refert, & coaċtam atque a Joſephi verbis alienam eſſe demonſtrat. Hac diſputatione finita, dignitatem & utilitatem operum Joſephi commendat, & quamvis non diſſimulet, hunc Scriptorem multis nævis & erroribus obnoxium fuiſſe, quorum aliquos etiam recenſet, non dubitat tamen a multis Joſephi errores præter neceſſitatem multiplicari, cum nonnulla, quorum arguitur, non incommode excuſari & defendi poſſint, nonnulla etiam librariis potius & interpretibus quam ipſi Joſepho tribui debeant. Poſtremo de iis agit, quæ in appendice novæ hujus editionis occurrunt.

Continet autem hæc appendix primum Ariſteæ de 7. Interpretibus hiſtoriam cum Latina verſione Matthiæ Garbitii, & notis ad epitomen Ariſteæ, quæ apud Joſephum legitur, a præſtantiſſimo Juvene M. Joh. Alberto Fabricio concinnatis. Has ſequuntur variæ leċtiones librorum de bello Judaico, & traċtatus de imperio rationis, ex codice

Digitized by Google

manuſcripto bibliothecæ noſtræ Paulinæ ab ornatiſſimo Juvene Joachimo Friderico Fellero, *Joachimi Felleri* S.S. Theol. Lic. Poeſeos in hac Academia Profeſſoris publici meritiſſimi, & Academiæ Bibliothecarii (cujus beatum quidem, at acerbum obitum, qui in diem $\frac{6}{16}$ proximi menſis Aprilis incidit, ex animo lugemus.) filio collectæ. Subjicitur nova verſio libelli de Macabæis adornata a Frãciſco Combefiſio, qui perperam exiſtimavit, nullã aliam hujus libelli verſionem Latinam præter Eraſmi paraphraſin extare. Additæ ſunt ejusdem Combefiſii notæ ex noviſſimo, quod vocat, bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ auctario depromptæ. Accedit ultimo loco fragmentum libri περὶ παντὸς, quod ab Hœſchelio in notis ad Photii bibliothecam ſub Joſephi nomine editum eſt, & poſtea a Stephano Le Moyne, qui etiam verſionem Latinam addidit, in Variis Sacris ſub Hippolyti nomine publicatum; cum in laterculo ſtatuæ marmoreæ ſuperiore ſeculo effoſſæ & in bibliothecam Vaticanam translatæ opus aliquod περὶ παντὸς contra Platonem reliquis Hippolyti ſcriptis accenſeatur: etſi nonnulli, in quorum ſententiam Photius proclivis eſt, opus illud περὶ παντὸς Cajo Presbytero Romano aſſignare malint, quippe qui in alio opere, quod Labyrinthum inſcripſit, ſe librum hujus argumenti literis tradidiſſe refert. Cur autem hoc opus Joſepho a nonnullis adſcriptum fuerit, ejus rei in prolegomenis quatuor cauſæ afferuntur.

THE NEVV STATE OF ENGLAND UNder their Majeſties K. VVilliam and Q. Mary.

id eſt,

Recens ſtatus Angliæ ſub imperio VVilhelmi Regis & Mariæ Reginæ; auctore G. M.

Londini, Imp. Joh. Wyat, 1691 in 12. plag. 38.

QUem non una vice, imperantibus *Carolo II.* & *Jacobo II.* M. Britanniæ Regibus, *Eduardus Chamberlayne*, Regiæ Societatis collega, deſcripſit, *recentiorem Angliæ ſtatum*, nuperius enarrare cœpit opere hoc tripartito vir quidam patriæ amantiſſimus, anteceſſorem ſuum non infeliciter æmulatus. Priori is parte Angliam ſingulaque ejus oppida topographice perluſtranda ſiſtit. Altera multa lectu jucunda refert de incolarum originibus, genio, moribus, legibus, religione ac regiminis forma; ut & Regis ac Reginæ hodie ſummam rerum obtinentium

nentium aula, jure ad coronam, reditibus, copiis militaribus; nec non de ordinibus cæteris, nobili puta, eccleſiaſtico, œconomico, &c. Tertia repræſentat omnes curias & collegia, in quibus regis auctoritate jus dicitur. Subjungit nomenclationem Anglorum in eccleſia aut politia, in ſago aut toga eminentiorum.

APPENDIX AD HISTORIAM GENEAlogicam Regum Pariumque Magnæ Britanniæ anno ſuperiori editam.

Noribergæ, ſumt. Joh. Andr. Endteri filiorum, 1691. in Fol. plag. 3.

NObiliſſimi Viri, *Jacobi Wilhelmi Jm-Hoff*, Genealogias Britannicas anno ſuperiori M. Junio ad Acta Eruditorum p. 268. retulimus. Nunc appendicem earundem prodiiſſe indicamus. Habes in ea *tabulam, qua omnium, quotquot a regio ſtemmate ſanguinem derivant, ſeries & cognatio uno conſpectu patet.* Ex his non pauci religionem *Romanam* profitentur; unde non poſſumus non ex præcedentis *Libri Anglici* Parte II. c. X. p. 120. obiter memorare decretum ſatis prolixum Parlamenti, regio aſſenſu ſancitum *d. 16. Dec. 1689*, nullum Principem Romano-catholicum nullamve Principem Romano-catholico nuptam unquam aliquid juris ad Magnæ Britanniæ regnum in poſterum habituros.

Excipit illam *præfatio*, in qua lector invitatur ad ferendam opem in opere, in quod omnes ingenii nervos nunc intendit *Imhofius*. Eſt illud *novum ſupplementum ad Notitiam Procerum Imperii*, a ſummis viris enixe hactenus ac ſerio expetitum deſideratumque. Et quemadmodum eorum humanitate multæ ac exactiſſimæ memoriæ ad Auctorem pervenere: ita optandum eſt quam maxime, ut qui familiarum illuſtrium caſus in promtu habent, Imhofio aut non recte annotatos, aut plane ignoratos, eos haud gravatim impertiantur, quo tandem hoc in genere ſtudiorum aliquid extet, a ſphalmatibus, quantum fieri poteſt, purgatum ac correctum. Incompertos ſibi eſſe fatetur Noſter progenitores hodiernorum Præſulum *Hildeſheimii*, *Leodii*, *Paderbornæ* & *Monaſterii*; certior fieri cupit de noviſſima ſerie Canonicorum *Colonienſium*, *Hildesheimenſium*, *Leodienſium* atque *Oſnabrugenſium*; dubitat, an *Joh. Dietericus* Abbas monaſterii *S. Cornelii ad Indam* ſuperſtes

ſuperſtes ſit. Fugere ſe queritur noviſſimas mutationes familiarum *Mecklenburgicæ*, *Haſſiacæ & Badenſis*, *Naſſovicarum*, *Oſtfriſicæ*, *Liechtenſteiniæ*, *Croienſis*, Weſtphalicarum tantum non omnium, præſertim *Manderſcheidiæ*, *Metternichiæ* ac *Salmenſis*, porro ex Wetteravicis *Hazfeldenſis*, *Rheingraviæ*, *Schœnburgenſis*, *Solmenſis*, *Stolbergenſis* & *Waldeccenſis*; *Lœwenſteinenſis* denique e Franconicis.

Sequuntur præfationem *Supplementa* ipſa ad genealogias Britannicas, maximam partem a nobili viro, *Henrico San-Georgio*, Equite & Clarencienſi Rege Armorum nuper admodum accepta. Poſtremo loco noviſſimus Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Angliæ Catalogus exhibetur, ſed qui ob mutationem nuperrime exortam correctione jam aliqua indiget. Si enim Novellis Hamburgenſibus fides eſt, diem quidem ſuum obiit *Herbertus Crofts* Herefordienſis Epiſcopus, ſucceſſorem nactus *Gilbertum Ironſide* Epiſcopum hactenus Briſtolenſem, cui viciſſim in hoc Epiſcopatu *D. Bathurſt* ſuffectus memoratur. Plures vero munere privati ſunt, quod Regi Wilhelmo fidem ſuam ſacramento obſtringere tanto tempore renuiſſent. Hi recenſentur hoc ordine: *D. Wilhelmus Sandcroft* Archiepiſcopus Cantuarienſis, cui ſucceſſit *D. Tillotſon* Eccleſiæ D. Pauli hactenus Decanus: *D. Franciſcus Turner* Elienſis Epiſcopus, cui ſurrogatus eſt *D. Simon Patrick* Ciceſtrenſis antea Epiſcopus, ſucceſſorem in hoc Epiſcopatu *D. Groue* adeptus: *D. Thomas Ken* Epiſcopus Bathonienſis & Welſenſis, cui ſucceſſit *D. Beveridge*: *Wilhelmus Lloyd* Norvicenſis epiſcopus, qui ſucceſſorem nactus eſt *D. Meare*: *D. Thomas White* Petroburgenſis Epiſcopus, cui *D. Cumberland* ſuffectus eſt: & *D. Robertus Frampton* Epiſcopus Gloceſtrenſis, cui ſurrogatus eſt *D. Fowler*.

Quod reliquum eſt, monemus (vel ipſo Imhofio in nuperrimis ad Amicum litteris indicante) in Supplementis hiſce pag. 7. lin. 37. emendandum eſſe ſphalma, & pro *Maynardo* Ducis Schombergenſis filio, legendum *Carolum*: hic enim in Ducali dignitate patri ſucceſſit. Addimus obſervationem aliam, ex ejusdem nobiliſſimi Viri epiſtola excerptam, nempe *Eduardum* illum *Villerium*, ſtabulo Reginæ præfectum, cujus genealogia in Appendice enarratur, ineunte menſe Aprili hoc ipſo anno, axiomate *Baronis de Hoo & Vicecomitis Dartfordienſis in Comitatu Cantienſi* gratia *Wilhelmi* Regis auctum ac ornatum fuiſſe.

(o)

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Junii, Anno M DC XCI.

שלחן ערוך *SCHÜLCHAN ARUCH.*

id eſt,

Menſa inſtructa, ex ſcriptis R. Iſaaci Loriæ excerpta; Accedit R. Abr. Aben Eſræ אגרת שבת Epiſtola Sabbati.

Francofurti ad Viadrum, in ædibus Joh. Chriſtoph. Becmanni D. & Profeſſoris Francofurtani, a. 451. Chriſti 1691. in 8. plag 7.

QUæ R. *Iſaacus Loria* Germanus, Kabbaliſtarum princeps, diſcipulis intimioris admiſſionis cōmunicavit, theologiæ ſecretioris Judaicæ myſteria, ea in chartā cōjecit *R. Chajim Vitalis*, magnis vero ſumptibus comparavit *Chriſtianus Knorrius*, Baro a *Roſenroth*, dum viveret, harum rerum ſtudioſiſſimus ac callentiſſimus, nec tantum aliquot eorundem partes Latii jure in *Kabbala* ſua *denudata* donavit, verum & in præfatione *tomo ſecundo* præfixa de univerſo operum Lorianorum ſyntagmate plura docuit, quam ullus alius. Ex his itaque a Loriæ diſcipulis excerptus eſſe dicitur præſens libellus, MENSÆ INSTRUCTÆ titulo inſignis, eo quod juxta ordinem libri homonymi ab *Iſaaco Karo* conditi ritus præcipuos Judæorum enarrat, hoc tantum diſcrimine, quod in illo rituum rationes *Talmudicæ* h.e. juridicæ, in hoc *Kabbaliſticæ* ſive myſticæ adferantur. Opuſculum hoc antea Cracoviæ excuſum fertur. In editione autem Francofurtana mantiſſam habet adjectam hactenus ἀνέκδοτον, אגרת nempe השבת, *Epiſtolam* rhythmicam, *quam Sabbatum* a. 4929. Chr. 1169. *ad R. Abrahamum AbenEſram ſomniantem miſiſſe* fingitur. Fabulæ illius ἀπομύθιον eſt, ad ſabbathum referendam non eam noctem, quæ ſubſequatur diem ſive ſolis occaſum, ſed quæ ſolis ortum præcedat. An ea vero ſatis reſpondeat gravitati Auctoris, (qui una cum Moſe Maimonide

Digitized by Google

& Iſaaco Abarbanele trigam Judæorum eruditiſſimorum & a nugandi pruritu ſuæ genti communi magis alienorum conſtituit,) numque adeo pro genuino AbenEſræ fœtu habenda ſit, non injuria vehementer dubitamus.

ספר עברונות *SEPHER ABHRONOTH*

id eſt,

Liber computi aſtronomici, auctore R. Elieſere, R. Jacobi Filio, בלין Germano.

Ibidem, eodem anno, in 4. Conſtat plagulis 9.

DE calendarii Judaici computo varii luculentas diſſertationes edidere. Ut *Munſterum*, *Scaligerum* vetuſtioresque alios mittamus, e Chriſtianis multum operæ huic argumento impendit a. 1678. *Julius Bartoloccius de Celleno*, Tomo II. Bibliothecæ Rabbinicæ, fol. 392-728. E Judæis (præter R. *Abrahamū Hannaſi* & *Iſſaſcharem F. Mardochai Suſan*, quorum is ספר העיבור, hic עיבור שנים literis condidit,) ipſomet titulo ספר עברונות uſi ſunt *R. Jacobus* מרקריאה *Markaria* (vel potius fortaſſis *Merceria*,) non, (uti *Plantavitius* & *Schabbethai* legunt,) מקריאה *Makria*, (de quo confer *Bartoloccium*, tomo III. n. 876.) nuperrimeq; *R. Elieſer Jacobi F.* Ballen cognominatus, qui, niſi fallimur, perſpicuitate anteceſſoribus palmam dubiam fecit.

ספר מגלה עמוקות *SEPHER MEGALle Amukoth.*

id eſt,

Liber, inſcriptus: Revelans profunda; auctore R. Nathane Spirenſi.

Fürthi, a. 451. Chriſti 1691. in 4. plag. 26.

REvelator hic *profundorum* plane alius eſt, quam quatuor illi, qui a *Johanne Buxtorfio* Filio, parte altera *Bibliothecæ Rabbinicæ*, ſub hoc titulo, ex *Jobi XII. 22.* petito, recenſentur. Auctorem enim habet R. *Nathanem* שפירא. Cognomentum hoc legere licebit *Schappira*, id quod Chaldaice *Pulchrum* notat; aut potius *Spira*, ut innuatur, Rabbinum

binum hunc *Spira Nemetum* eſſe oriundum. Utut enim juxta Grammaticæ leges dicendum foret משפירא, nihil tamen tritius, quam מ illud ante patriæ nomen omittere, quemadmodum auctor libri *Schaare Zijon* anno ſuperiori Wilhermsdorfii una cum ספר פתרון חלומות ſive Onirocriticis *Salomonis Almoli* recuſi, vocitatur נתן נטע בן הקדוש מוהר״ר משה הנובר זצ״ל אשכנזי החונה על רגלו בק״ק יא״ס לע״ע i.e. *Nathan Neta, filius Sancti Domini R. Moſis* Hanoverani *p.m. Germanus, degens p.t. in S. ſynagoga Jas.* Cæterũ, ut e diverticulo in viam redeamus, *Nathan* noſter *Spirenſis* Archiſynagogus fuit Cracovienſis, mortuus a. æt. 48, æræ Judaicæ 393, Chriſti 1633. Opus ejus ſylloge eſt obſervationum Kabbaliſticarum ducentarum quinquaginta duarum in precationem Moſis *Deut. III. 24. 25.* Prodiit primum in lucem, obſtetricante auctoris filio *R. Salomone*, Cracoviæ a. 396. Chr. 1636. in 4. Altera vice פה ק״ק פירדא Fürthi, Norimbergæ proximi, ac ex *Wagenſeilii* Sota & *Arnoldi* annotationibus ad eandem, ſi non aliunde, ſatis noti.

ספר אורחות צדיקים *SEPHER ORchoth Zaddikim.* Liber: Viæ Juſtorum.

Solisbaci, apud Moſen Uri Scharga Blech, a. 451. Chr. 1691. in 12. Conſtat plag. 26.

EST liber anonymi ſed vetuſti auctoris ethicus, 28. capitibus abſolutus, puriori exaratus ſtylo, impreſſus primum Pragæ a. 341. Chriſti 1581. in 4. *R. Schabbethaj Strimerius* in *Siphtê Jeſchenim* laudat eum ceu ס׳ נכבד *librum excellentem*, refertque, alio illum titulo dici ספר המדות *librum morum*, ac Latine converſum typis Iſnenſibus (opera procul dubio *Pauli Fagii*) in lucem publicam exiiſſe a. 302. Chriſti 1542. in quarta forma.

MISNÆ PARS: ORDINIS PRIMI ZERAim tituli ſeptem. Latine vertit & commentario illuſtravit Gulielmus Guiſius.

Oxoniæ e theatro Sheldoniano, 1690. in 4. plag. 24.

MISCHNAM opera ac ſtudio R. *Jebuda Sancti* ſeculo a C.N. ſecundo

Digitized by Google

cundo congeſtam eſſe, ſæpius a nobis dictum meminimus. Videatu modo Supplementum noſtrum VII. p. 363. ubi nova Ebræi textus, *Bertinorio* & *Jom-tobbo* commentatoribus ſtipata, editio Amſtelodamenſis recenſetur. Ut δευτέρωσις illa Latine extaret, multum operæ inſumtum eſt eruditis non unis; quorum aliqui unum, alii duos, tres, quatuor, quinque aut ſex titulos Latina veſte indutos in orbis literati conſpectum produxerunt. In his ſunt Samuel *Clericus*, Joannes *Coccejus*, Joãnes *Druſius*, Conſtantinus *l'Empereur*, Paulus *Fagius*, Joannes *Leusdenius*, Joh. Henr. *Otho*, Guſtavus *Peringerus*, Paulus *Riccius*, Sebaſtianus *Schmidius*, Robertus *Sheringhamius*, Franciſcus *Taylerus*, Jo. *Ilmannus*, Jo. Chriſtoph. *Wagenſeilius*, Joannes *Wülferus*. Eorum omnium diligentiam ſuperare niſus fuerat vir doctiſſimus ac Oxonienſium Academiæ immortale decus *Gulielmus Guiſius*; ſed optimis conatibus immortuus, quod moliebatur opus vix duodecima ex parte omnibus numeris abſolvit ac perfecit. Prodeunt enim, obſtetricante clariſſimo *Eduardo Bernardo*, ſeptem ſolum tituli ordinis primi Talmudici, (*Masſichtoth* puta *Berachoth, Pea, Demai, Kilajim, Schebhiith, Terumoth, Maaſeroth,*) accurate ac eleganter in Latinam linguam converſi, cum notis eruditione rariori ac varia refertis, quibus multa commentatorum Judaicorum itemque philologorum Chriſtianorum paroramata indicantur, difficiliores voces Biblicæ ac Talmudicæ face ſatis clara colluſtrantur, itemque barbaro-Ebrææ, in quibus mirifice ceſpitarunt interpretes Rabbini, ex Græca lingua conjecturis plerumque felicibus explicantur. Nos e multis aliqua ſeligemus, quæ ſpeciminis vice erunt.

p. 29. Vocem חוצן *Pſalm. CXXIX. 7.* ex Arabiſmo exponit Auctor de
p. 30. faſciculo tanto, quantus ſub axilla portari poteſt; cum חוצן proprie ſit locus corporis ab axilla ad latus uſque. לוף *Luph*, vocabulum Talmudiſtis frequenter uſurpatum & a modernis Judæis pro *capa* habitum, *arum* eſſe demonſtrat, a *Dioſcoride* his verbis memoratum: Ἄρον
p. 41. τὸ καλούμενον παρὰ Σύροις λοῦφα. Vox דמאי ſignificat rem primitiis immixtis infectam adeoque profanis uſibus eximendam, deſcenditque, juxta Noſtrum, non a דמעה *lachryma*, ſed דמע quod notat Samaritice, (ac conſequenter Ebraice,) *medullam* vel *præſtantiſſimam* partem, qualis ſunt *primitiæ*. Sic ponitur pro חלב Gen. XLV. 18. Num. XVIII. 12. 29. 32. imo & pro חבל *funiculus* Deut. XXXII. 9.

ubi

ubi pari modo חלב *medulla* Interpres legiſſe videtur. Lightfootus p. 66.
crebrius refellitur, v. g. quod in decade Chorographica in Marcum c. V. ſect. II. vocem צלמון ad *Dalmanutha* detorſit, quam Noſter de *Salamine Cypri* accipi mavult, quodq; שער *portam* vertit, cum *frondem* vertere debuiſſet. Regium hortum Babylonicum *hortum Bagou* p. 84.
vocatum *Plinius* refert, l. XIII. c. IV. & a *Bagoa* ſpadone dictum ſuſpicatur. At Guiſius *Bage* vel *Bag* & Chaldæis & Perſis viridarium hortumve amœnum ſignare oſtendit ſimulque emendari cupit locum Theophraſti: *ἐν μόνῳ τῷ βάττου κήπῳ τοῦ παλαιοῦ*, legendo: *ἐν μόνῳ τῷ Βάγῳ κήπῳ τῷ παλαιῷ περὶ Βαβυλῶνα.*

Præcipuus notarum Guiſianarum uſus in eum redundabit, qui Buxtorfii Lexicon Talmudicum auctius atque emendatius reddere voluerit. Nos ea tantum excerpſimus, quæ occaſione Miſchnici textus monita fuiſſe, non quemlibet ſubodoraturum credidimus. Cæterum, ut fortean volumen paulo ſpiſſius fieret, præmittitur ei præfatio *Maimonidis* in *Seder Seraim* ex ſola *Eduardi Pocockii* verſione latina, quam in ejus *Porta Moſis* p. 5—133. reperire eſt. Utq; eſſet, qui telam morte Guiſii abruptam pertexat, compellat Bernardus clariſſimum *Alexiū*, (hoc eſt, ni fallimur, Petrum Allixium, cujus *hiſtoriam eccleſiarum Pedemontanarū* averſa pagina recenſemus,) ut opus, quod unius hominis vires hactenus exceſſiſſe videtur, ad colophonē feliciter perducat.

SPECIMEN THEOLOGIÆ MORALIS, quo vera & naturalia omnis juris atque honeſtatis principia breviter eruuntur, quinque Diſputationibus in Univerſit. Roſtochienſi propoſitum, auctore Juſto Chriſtophoro Schomero, S. Th. D. & Prof. Prim. Conſil. Conſiſtor. & Superint. Mecklenb.

Roſtochii, typis Jo. Wepplingii, a. 1690. plag. 18.

CUm duæ ſint Theologiæ partes, una quæ dogmata ſeu fidei Chriſtianæ articulos complectitur, altera quæ officia & mores vitam Chriſtianam decentes continet; tractatus hujus *Autori venerando* viſum eſt, nunc poſteriorem ejus partem a paucis hactenus excultam, hic velut per modum Pædiæ delineare; ut quomodo vita Chriſtiana multis modis corrupta inſtrui debeat, S. Theologiæ cultoribus con-

 ſtaret.

Digitized by Google

ſtaret. Quinque ille *capitibus* abſolvitur. In *primo* de natura Theologiæ moralis, eandem definiendo & diſtinguendo ab Ethica & Jurisprudentia, agit: in *ſecundo* finem ejus, qui eſt ſanctitas & perfectio Chriſtiana, explicat. Qua occaſione juxta analogiam fidei declaratur, ut lex Dei abs homine renato ſervari & impleri queat. In *tertio capite*, primum actionis moralis principium, h. e. intellectum & conſcientiam exponit: in *quarto*, alterum principium, quod eſt voluntas hominis regeniti, traditur, ad quam affectus, eorumque moderatio referuntur. In *quinto* denique norma actionum Chriſtianarum, quæ eſt jus divinum, ejusque obligatio exponuntur. Inde juſtitia univerſalis & quæ hic regulæ obſervandæ ſunt, explicantur. Univerſam hanc Pædiam Theologiæ Moralis ſane accuratam, non ex lacunis, qui vocantur, Moraliſtarum, ſed ex ſolis Scripturæ ſacræ fontibus ac juris naturæ fundamentis, idoneo ordine ac puro & eleganti ſtylo deducit: ut optandum ſit, virum ſolida eruditione & judicandi facultate inſtructum, telam quam exorſus eſt valde utilem pertexere; quo ſtudioſa juventus S. Theologiæ dedita habeat, unde ad mores & officia Chriſtianorum inſtruenda & dirigenda magis magisque proficiat.

SOME REMARKS UPON THE HISTORY of the ancient Churches of Piedmont, by P. Allix, D. D.

ſive,

Annotationes aliquæ ſuper hiſtoriam antiquarum Pedemontii Eccleſiarum, autore P. Allixio, Th. D.

Londini apud Rich. Chiſvvell, 1690. in 4. Plag. 45.

OCcaſionem præſenti ſcripto dedit edita ante hoc triennium a *Boſſueto*, *Epiſcopo Meldenſi*, Hiſtoria de Variationibus Eccleſiarum Proteſtantium: cujus recenſionem dedimus in *Actis anni 1689, pag. 65. & 157*. Scilicet cum inter alia ille toto libro XI. magno ſtudio id egiſſet, ut Albigenſium atque Waldenſium famam denigraret, atque ſic omne Proteſtantibus adminiculum eriperet, quod ex iſtorum conſenſu ſubinde quærere conati fuerant: Allixius ſui muneris eſſe credidit, iniquum

Digitized by Google

iniquum iſtius animum, defectumque ſinceritatis, in tradenda harum Eccleſiarum hiſtoria detegere, adeoque hanc ſpeciatim partem memorati operis impugnare: non dubitans, reliqua ejus capita ab aliis Proteſtantium Doctoribus affatim confutatum iri. Tametſi enim ab iſtorum Waldenſium Albigenſiumve juſtificatione non præciſe dependere autumet noſtræ defenſionis robur: nihiloſecius laborem hunc nequaquam vanum fore exiſtimavit, tum quod per ſe res Chriſtiano digna ſit, propugnandam ſuſcipere innocentium famam, teterrimis calumniis impetitam & tantum non oppreſſam; tum quod parum ab ingratitudine abſit, ſi eorum memoriam, tam atrocibus modis oneratam vindicare negligamus, qui tam gravia pro fide Chriſtiana perpeſſi, tantaque cum conſtantia anniſi ſint illibatam conſervare antiquam religionem, quam nempe Romana Eccleſia eo tempore adulterare ac pene abolere ſategerit, ſurrogato in ejus locum Chriſtianiſmo ſpurio & ſuum ad placitum conficto. Præmonet vero, neutiquam ſibi propoſitum eſſe integram Waldenſium Albigenſiumve Hiſtoriam conſignare; quandoquidem id jam antea factum ſit ab aliis viris egregiis, *Chaſſagnonio* puta, *Perrino, Uſſerio, Legero* & *Morlando*: quorum ſcriptis vix quidquam addi poſſe judicat, niſi forte circa originem harum eccleſiarum, & continuationem fili hiſtorici ab eo tempore, quo Legerus & Morlandus opera ſua finierint. Quin potius ſcopus ejus eſt, oſtendere modo veram antiquitatem utriusque harum Eccleſiarum; ac nil falſi ab earum membris jactatum eſſe, dum aſſeruerint, eas a Romanæ ſedis jugo immunes originem ſuam ad ipſa Apoſtolorum tempora referre: quod proinde ex hiſtoria præteritorum ſeculorum deducere intendit, adeoque docere ſucceſſionem continuam tam reſpectu ſanioris doctrinæ & cultus, quam miniſterii ſacri in his eccleſiis, inde ab Apoſtolorum ævo ad ſeculum uſque XIII, quo nempe tantopere cœtus hi inclaruerunt maſcule ſemet opponendo erroribus atque corruptionibus Romanæ ſedis. Quo pacto iis ſatisfactum iri confidit, qui poſtulent audacter, ut ſibi oſtendatur ulla Eccleſia, quæ ante Lutheri reformationem, aut ſaltem ante ſeculum XII, easdem cum Proteſtantibus opiniones foverit. Ab ovo itaque rem exorſus, primo omnium inquirit in originem Eccleſiarum Italiæ, non univerſæ, ſed ſpecialiter quondam ſic dictæ, ac e ſeptem regionibus compoſitæ: quas enumerat Liguriam, Æmi-

Æmiliam, Flaminiam, Venetam ditionem, Alpes tam Cottias, quam Grajas, ac denique Rhætiam. Tametſi vero Mediolanenſis & reliquarum Liguriæ Eccleſiarum fundator Barnabas, S. Pauli comes, fuiſſe tradatur a Baronio, Ughello ac Ripamontio, & quidem circa annum Chriſti 51, aut 49 rectius: tamen cum hæc aſſertio nullo nitatur autore antiquo, Noſter eam rejicit, totamque iſtam traditionem tribuendam ait vanæ iſti jactantiæ ac æmulationi Prælatorum Occidentis, de præcedentia & jurisdictionis prærogativa contendentium, ex qua nempe factum ſit, ut inde a Seculo VIII vix ulla fuerit Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ Eccleſia, quæ non gloriaretur, ſe ab aliquo Apoſtolorum, eorumve diſcipulo fundatam: non exigua ſcilicet pietatis parte in cudendis plebique credulæ obtrudendis talismodi fabulis paſſim tum temporis reponi ſolita. Licet autem ſic, antiquorum ſcriptorum teſtimonio deficiente, determinatu difficile cenſeat, an primo mox, an vero ſecundo demum ſeculo Chriſtianam fidem regio hæc receperit: attamen cum Mediolanum jam tum primiceria iſtis in oris civitas habita, & vero Apoſtolis eorumve ſucceſſoribus ſolenne fuerit, evangelium in metropoli cujusvis regionis omnium primo prædicare, quo id dein tanto facilius in circumſita loca ſe diffunderet: hinc Autor conjicit, aut eosdem doctrinæ Chriſtianæ præcones, qui ex Græcia ad Gallos convertendos appulerint, Mediolanenſem quoque Eccleſiam plantaſſe, ut quæ & ipſa ad Galliam Ciſalpinam ſpectarit; aut vero emiſſarios Petri Paulique diſcipulos, qui civitates Romæ proximas ſub Evangelii ditionem redegerint, haſce ſuas victorias etiam Mediolanum uſque protuliſſe: ex quo ipſo tamen haudquaquam concludi poſſe ait, Epiſcopos Romanos ſibimet jus aliquod aſſerere potuiſſe in diœceſin Mediolanenſem: non magis, quam Polycarpus jurisdictionem nactus dici queat in diverſas illas Galliæ Eccleſias, ab emiſſariis ſuis plantatas: maxime cum conſtet, autoritatem Epiſcoporum Romanorum multo tempore ſatis tenuem manſiſſe; & ipſe Pius II. in Apologia ſua pro Eccleſia Romana fateatur, ante Concilium Nicenum non magnam eis ab exteris reverentiam fuiſſe habitam: quod vel ideo præmonendum duxit Autor, quoniam in ſequentibus probare intendit, Diœceſin hanc ab Epiſcoporum Romanorum ditione independentem perduraſſe. Pergit hinc, & per capita aliquot ſequentia ex Autorum coævorum teſtimoniis deducere ſatagit, quisnam ſingulis

ſæculis

ſeculis religionis atque doctrinæ ſtatus fuerit in Diœceſi hac Italica: quo inde liqueat, quatenus ea ab erroribus in Romanam Eccleſiam paulatim irrepentibus manſerit libera. Ac de primis quidem tribus cum dimidio ſeculis, cum nullius pene ex illa diœceſi ſcriptoris eccleſiaſtici opera ſuperſint, neceſſe habuit ex ſtatu ſaltem vicinarum aliarumve ejus ævi eccleſiarum ad iſtam quoque argumentari: per compendium nempe exponens, quid tam circa doctrinam, quam ritus eccleſiaſticos tunc inter Chriſtianos receptum fuerit: in quibus recenſendis, cum aliunde conſtent, non eſt cur detineamur. Speciatim vero notat, pleroſque iſtorum rituum non eo cum rigore obſervatos fuiſſe, quo nunc a Romana Eccleſia injungantur; aliquos etiam ſucceſſu temporis mutatos iterum & abolitos eſſe: item diſſentientes circa varias Theologiæ quæſtiones tum magna cum animi moderatione ſemet invicem toleraſſe, dummodo in fundamentis fidei concordarent; denique quamlibet Diœceſin tunc independentem ab alia qualibet fuiſſe reputatam, ita ut licet reverentia aliqua habita fuerit erga Eccleſias ab Apoſtolis fundatas, tamen eas ſequi neceſſum haud putarint, ſicubi ipſas puritatem fidei violaſſe conſtaret. Diſtinctis porro capitibus ſingula ſecula ſequentia percurrens Autor probare allaborat, articulos illos Eccleſiæ Romanæ, quos Proteſtantes hodie pro rejiculis habent, jam tum a fidelibus Diœceſeos hujus Italicæ aut formaliter improbatos, aut ſaltem ignoratos adhuc penitus fuiſſe. Teſtes vero hanc in rem citat ſcriptores, quos illis in oris epiſcopatu aut ſacerdotio functos eſſe conſtat: ex quorum operibus ſigillatim excerpſit, quicquid ad ſtabiliendam hanc ſuam aſſertionem facere viſum fuit: amoliendo aut ſaltem emolliendo inſimul ea, quæ in eorum ſcriptis Romanenſium partibus favere videri poſſent. Sic ex ſeculo IV in medium producit Ambroſium Epiſcopum Mediolanenſem, nec non Philaſtrium & Gaudentium Præſules Brixienſes; e ſeculo V Rufinum Presbyterum Aquilegienſem, ut & Chromantium ac Niceam ejusdem Diœceſeos Epiſcopos; e VI Laurentium epiſcopum primo Novarienſem, dein Mediolanenſem, Ennodium Ticinenſem ac Dacium Mediolanenſem epiſcopos; e VII Maurum Ravennæ, Manſuetum Mediolani, & Maximum Aquilegiæ epiſcopos: cumque præterea *Liturgia* illa, *Ambroſiana* dicta, non incongrua viſa fuerit, ad dandam nobis ideam de fide & cultu ſacro, tum temporis per illos tractus vigente, Noſter

 ei pe-

Digitized by Google

ei peculiare impendit *caput VII*, in quo de ejus autore, contentis & corruptione ſecuta latius diſcurrit. Sequentia capita teſtes allegant e ſeculo VIII, præter Concilium Forojulianum ejusque ſanctiones, Paulinum epiſcopum Aquilegienſem, & Paulum ejusdem diœceſeos diaconum; e IX Claudium Epiſcopum Taurinenſem, & Angilbertum Mediolanenſem; e X Ratherium Veronenſem, & Hattonem Vercellenſem Præſules. In capite XI affertur Gerhardi Epiſcopi Cameracenſis & Atrebatenſis relatio data Reginaldo Præſuli Leodienſi de nonnullis Gundulphi diſcipulis, qui ex Italia venientes præceptoris ſui dogmata per inferiorem Germaniam ſpargere cœperant, ſed a Gerhardo in vincula conjecti opiniones ab Eccleſiæ Romanæ placitis diſcrepantes abjurare fuerant adacti. Ex qua relatione Allixius noſter colligit, Gundulphum ejusque aſſeclas non ab omni quidem errore immunes fuiſſe; attamen ex eorum confeſſione nil quidquam elici poſſe, quod Manichæiſmum ſimilemve hæreſin iis imputatam ſapiat: quin potius in doctrina eorum tale quid offendi, quod iisdem articulis fidei contrarietur, quos ſequenti tempore Waldenſes in Eccleſia Romana improbarint. Unde porro infert, manifeſtum hinc eſſe, quod jam ſub initium ſeculi XI certum hominum genus in Italia extiterit, quod contraria opinionibus Romanæ Sedis docuerit ejusque errores condemnarit, nec non per emiſſarios ſuos hinc inde ablegatos ingruentibus paſſim ſuperſtitionibus opponere ſemet ſategerit. *Caput XII.* jam ſubjicit conſiderationes quasdam ſuper iis, quæ in præcedentibus capitibus propoſita fuere. Nimirum confidit Autor aperte ſatis a ſe oſtenſum eſſe, quod Diœceſis Italica ſufficientem tam in fide, quam ritibus ſacris puritatem retinuerit, quæ ad conſtituendam genuinam Chriſti Eccleſiam requiri queat. Non diffitetur quidem, nonnullas etiam ſuperſtitiones & erronea dogmata eo in tractu paulatim apud plures irrepſiſſe, uti Preces pro defunctis, nimiam Reliquiarum venerationem, Sanctorum invocationem, rigidam nimis Jejuniorum obſervationem ac cœlibatus clericorum injunctionem, denique etiam abuſum Imaginum & craſſiores quasdam notiones de carnali præſentia corporis Chriſti in Sacramento cœnæ: attamen obſervat inſimul, Liturgiam his in Eccleſiis adhibitam horum nihil continere: e cujusmodi tamen publicis ſcriptis potiſſimum de loci alicujus religione judicium ferre oporteat: deinde privatorum aut etiam clericorum quorun-

quorundam errores non mox toti Eccleſiæ imputandos eſſe: denique non defuiſſe ſubinde iſta per tempora etiam viros egregios atque doctos, qui ingruentibus illis erroribus maſcule ſemet opponerent. Probata ſic Italicæ hujus Diœceſeos puritate in doctrina fidei & cultu ſacro, progreditur Autor *in capite XIII* ad oſtendendum etiam, eam ipſam independentem manſiſſe, nec obnoxiam Romanæ Sedi fuiſſe, ad medium uſque ſeculi XI, quo nempe tempore jam Waldenſes apertius conteſtari cœperint ſuam ab Eccleſia Pontificia, tanquam Antichriſtiana, averſionem. Argumenta hujus aſſertionis hæc inter alia adducuntur: quod Imperator Aurelianus in examinanda cauſa Pauli Samoſateni deciſionem æqualiter demandarit Epiſcopis Italiæ & Romæ, diſerte a ſe invicem diſtinctis; idemque poſt a Conſtantino obſervatum fuiſſe legatur in negotio Donatiſtarum; quod Athanaſius expreſſe diſtinguat Mediolanum & Romam, tanquam duas Eccleſias a ſe mutuo haud dependentes; quod Ambroſii electio, teſte Theodoreto, facta ſit abſque ullo conſenſu Epiſcopi Romani, quod tamen haud potuiſſet fieri, ſiquidem ille pro Patriarcha totius Italiæ habitus fuiſſet; quod non reperiatur ullus Epiſcoporum Italiæ a Papa ordinatus, ad ſeculum XI uſque: nec veſtigium in hiſtoria appareat inde a ſeculo VII, quod Eccleſia Romana eam habuerit autoritatem ſuper Diœceſin hanc Italicam, qualem quidem in alias Eccleſias ſibi jam tum arrogarit: indeque eſſe, quod, cum alioquin omnes Epiſcopi Pontificum jurisdictioni obnoxii mox in ordinatione ſua jurato promittere adigerentur, ſe ritus & cultum in Romana Eccleſia præſcriptum ſervaturos, Mediolanenſis tamen Eccleſia propriam ſibi Liturgiam retinuerit, Ambroſianam dictam; porro quod fateatur Ughellus, Angilbertum Epiſcopum Mediolanenſem circa annum 827 non erubuiſſe contendere cum Romano Pontifice de poteſtate ac dignitate, quodque iſthæc contumacia per ducentos annos ejus ſucceſſores infecerit atque invaſerit: quod ipſum licet ille rebellionem ac defectionem a Sede Romana vocitet, Autor tamen contendit, non fuiſſe niſi conſtantem defenſionem, qua Epiſcopi illi ſe oppoſuerint conatibus Romanorum Præſulum, paſſim alias Prælatorum Occidentis jura invadere molientium. Reſpondetur etiam argumentis, quibus Scriptores Pontificii evincere laborant, horum quoque tractuum diœceſin jurisdictioni Pontificis ſubfuiſſe. In *capite XIV.* latius narratur occaſio,

Digitized by Google

qua Eccleſiæ Diœceſeos Italicæ ab Eccleſia Romana fuerint ſeparatæ, & origo nominis *Patarinorum* eorumque dogmata deſcribuntur. Nimirum Romanam ſedem non abſque indignatione hactenus ferentem, quod diœceſis ſibi adeo vicina tamdiu ſuam tueretur libertatem, cum tamen aliæ remotiores Eccleſiæ dudum faſces ſubmiſiſſent, anno 1059, regnante Nicolao II, Mediolanum ablegaſſe Anſelmum Epiſcopum Lucenſem, & Petrum Damianum Cardinalem Oſtienſem, quo tentarent Diœceſin hanc ſub Romanæ ſedis ditionem redigere: prætextum vero fuiſſe, ut ſedarentur diſſidia inter plebem & clerum enata, & obex poneretur Simoniæ plerisque e ſacro iſtorum locorum ordine, ob pecuniam pro ordinatione & confirmatione dari ſolitam, imputatæ, nec non hæreſi Nicolaitarum; quo nempe nomine ii ſacerdotes tum appellati fuerint, qui obſtrictos ſemet haud putarint ad ſervandum cœlibatum. Et ſub horum quidem Legatorum adventum magnopere indignatum fuiſſe populum Mediolanenſem, quod Ambroſiana Eccleſia, ſemper hactenus libera, nunc Romanis legibus ſubjici deberet; quin adeo efferbuiſſe, ut Legatis tantum non vitæ periculum ab ejus furore immineret: Damianum tamen mox turbas compoſuiſſe, & callidis argumentis (manifeſta licet falſitate nixis, uti Noſter oſtendit) toti cœtui perſuaſiſſe, Romanæ Eccleſiæ dignitatem & prærogativam non ab Imperatoribus modo indultam, ſed a Chriſto ipſo conceſſam & injunctam eſſe; tum vero examinata cauſa cleri Legatos rem omnem tandem eo deduxiſſe, ut eccleſiaſtici ſuos errores agnoſcerent, indictisque pœnis leviculis expiarent, obedientiam jurato promittentes impoſterum ſeptem Conciliorum generalium ſancitis; quorum poſtremo tamen, Niceno II. nempe, diœceſis hæc conſtanter ſeſe hactenus oppoſuerat. Sed nihiloſecius dein poſt Legatorum diſceſſum, errore animadverſo, Widonem Archiepiſcopum promiſſorum pœnituiſſe iterum, ſuffultumque favore Nobilitatis maxime, vocato concilio confirmaſſe rurſus Sacerdotibus jus conjugii: quamvis Arialdus, ex Alciata familia clericus decumanus, Landulfo Cottæ, populi præfecto autor fuiſſet, ut eam rem tanquam turpem palam oppugnandam aggrederetur, idque ſecundis populi auribus animisque exceptum fuiſſet. Denique rem mutuis altercationibus eo deductam eſſe, ut Sacerdotes uxorati ſeparatim a cæteris divinum officium facere juberentur in loco quodam, *Patria* vel potius *Pataria* dicto; indeque talibus

Patari-

Patarinorum nomen per contumeliam a pueris inditum eſſe; idque poſtea promiſcue attributum Waldenſibus etiam fuiſſe, ſive Subalpinis illis, qui eodem tempore, teſte Petro Damiano, in Archiepiſcopatu Taurinenſi, maxima ex parte easdem cum illis opiniones defenderint, ſpeciatim quoad ſacerdotum conjugium: pariterque & Berengarianis, qui & ipſi jam circa illud tempus Romanæ ſedis erroribus ſemet opponere cœperint. Atque jam corpus hocce diſſentientium, fruſtra ſubinde tentata a Pontificibus reconciliatione, ſeparatum jugiter ad tempora reformationis uſque continuaſſe, ſub nomine Patarinorum ac poſtea Waldenſium. Cum vero notum ſit, Waldenſes ſubinde, & noviſſime adhuc ab Epiſcopo Meldenſi, Manichæorum & Catharorum hæreſeos incuſatos fuiſſe; Autor in *Capite XV.* ac *tribus ſequentibus* late oſtendit, undenam hujus calumniæ origo fluxerit. Nimirum occaſionem præcipuam fuiſſe, quod Manichæorum (quorum opiniones ex diverſis autoribus diſtincte commemorantur) non pauci tum temporis ex Bulgaria in tractus occidentales ſpargi cœperint, per Italiam inprimis & Aquitaniam, regiones a Waldenſibus & Albigenſibus etiam frequentatas: indeque factum, ut utraque hæc ſecta a Romana Eccleſia, licet modis diverſiſſimis, diſſentiens, ſive ex errore ſive ex malitia, eadem Catharorum appellatione pedetentim involveretur: idque ſtudio majori adhuc factum, poſtquam paſſim in Manichæos capitali ſupplicio animadverti cœpiſſet; tum enim proclive admodum & familiare Romanæ ſedis clientibus fuiſſe, hoc titulo promiſcue eos mactare hæreticos, quos populo odioſos reddere ac ſumme denigrare vellent; calumniæque huic fulciendæ eum potiſſime prætextum inſerviiſſe, quod inter alios Manichæorum characteres non ultimus foret, concelare erronea ſua dogmata: id enim facile dein ad eos etiam applicatum eſſe, qui aliis ex cauſis metuque perſecutionum opiniones ſuas clam haberent: dummodo vel minima doctrinæ alicujus conformitas in uno alterove fidei articulo inter utroſque appareret. Cæterum Waldenſes nequaquam Manichæis erroribus inquinatos, quin potius ab iis alieniſſimos fuiſſe, perſpicue inter alia demonſtratur ex antiquo poemate Gallico, circa annum 1100 a Waldenſium aliquo conſcripto, & hodienum in Bibliotheca Cantabrigienſi extante, cui titulus *Noble Leſſon*, ſive Nobilis Lectio: ex quo ſatis eluceſcit, quam ſobrie de pleriſque fidei articulis ſenſerint, quantæque inno-

Digitized by Google

innocentiæ morum atque vitæ ſtuduerint genuini Waldenſes, & quam diverſa a Manichæorum abominationibus dogmata ſuſtinuerint. Porro in *Cap. XIX.* pluribus argumentis edocet Allixius noſter, Waldenſes haudquaquam primum fidei ſuæ autorem agnoſcere *Petrum Waldum* civem Lugdunenſem: (quamvis negari nequeat, virum hunc iis in tractibus haud parum emolumenti dediſſe, procurata Italica verſione ſacri codicis:) quin potius veritatis evangelicæ conſervationem in Diœceſi Italica, Taurinenſi præſertim ditione & vallibus adſitis, deberi Patarinis illis & Albigenſibus, jam ante Waldi ætatem, puriorem doctrinam profeſſis: quibus cum ſe dein junxiſſent nonnulli ex Waldi iſtius diſcipulis, arrepta hac occaſione Pontificios doctores perſuadere aliis conatos eſſe, ac ſi integri illi cœtus a Waldo demum ſuam habuiſſent originem, nullaque adeo ante finem ſeculi XII eccleſia extitiſſet in Italia aut alibi, quæ idem cum illis ſenſiſſet: *Wallenſium* appellatione, qua jam antea Cœtus iſti Vallium Lucernenſium & Angronienſium vocati fuerant, hunc in finem facili mutatione in *Waldenſium* nomen converſa. Cum vero Epiſcopus Meldenſis Waldenſes ab Albigenſibus ſeparare contendat, & hos quidem pro meris Manichæis venditet, illos vero initio ſchiſmaticos tantum, non hæreticos fuiſſe, nec ante annum 1532, quo ſe primum Proteſtantibus adſociarint, in articulis fidei, ſed unice quoad diſciplinam eccleſiaſticam a Romana Eccleſia ſeceſſiſſe velit: autor e contrario oſtendit, Waldenſes pariter & Albigenſes eandem foviſſe doctrinam, & utrosque pro hæreticis ob diſſenſum in articulis fidei a Romana ſede habitos fuiſſe. Cæterum cum objici potuiſſet, Waldenſes multo plures recentius doctrinas Eccleſiæ Romanæ tanquam erroneas taxaſſe, quam quidem olim a Patarinis iſtis ac Subalpinis factum fuiſſe legatur, adeoque vel hoc nomine ingentem inter utroſque differentiam extitiſſe: Noſter dubio huic occurrit in *Cap. XXI*, pluribus exemplis commonſtrans, pleroſque Romanæ eccleſiæ errores tempore ſeparationis Patarinorum aut penitus nondum receptos & ſtabilitos, aut ſaltem nondum pro talibus articulis habitos fuiſſe, quorum profeſſio iis neceſſaria foret, qui eam communionem ſequerentur. Nihiloſecius tamen jam Romanam eccleſiam pro meretrice Babylonica & Antichriſti ſede reputari a Wallenſibus Albigenſibusque cœpiſſe propter idololatriam, uſurpationem poteſtatis ſecularis, nec non crudelitatem perſe-

perſecutionum ad ſtabilienda falſa ſua dogmata adhibitam. *Caput XXII* & *XXIII* impenduntur ad delineandam fidem vitamque fratrum Bohemorum, tanquam propaginis cujusdam Waldenſium, ſedibus ſuis expulſorum, & in iis oris ſedem nactorum, rivulique adeo, ex cujus qualitate facile de fontis puritate judicium ferri queat. Duplex vero hanc in rem affertur teſtimonium, tanto minus ſuſpectum ratione eorum, quæ in laudem iſtarum Eccleſiarum cedere poſſunt, quod utrumque ab hoſte adverſæque parti addicto datum ſit: alterum ſcilicet eſt Inquiſitoris cujusdam, profitentis ſe exactam de iis cognitionem habere, ac pluſculis ipſorum examinibus interfuiſſe; conſignatum circa finem ſeculi XIV, quod licet in aliquibus manifeſtas contineat calumnias & ſcurriles inculpationes, tamen vel ideo legi meretur, quod una exponit, quænam occaſio fuerit hominibus illis in hoc vel illo fidei articulo a Romana eccleſia diſcedendi, & quibusnam argumentis ſententiam ſuam defendere ſciverint: alterum, idque modeſtius conceptum, eſt Æneæ Sylvii, quod hiſtoriæ ſuæ Bohemicæ inſeruit; e quo non minus ac ex priori illo abunde liquet, quam rectam jam tum boni illi viri circa ea fidei capita, in quibus hodienum Proteſtantes a Romana eccleſia diſſident, ſententiam tenuerint. In *Capite XXIV.* id agit Autor, ut doceat, cœtus illos Waldenſium haudquaquam juſto regimine eccleſiaſtico deſtitutos, ſed legitima miniſterii ſacri ſucceſſione gaviſos eſſe, neque ut adverſarii calumnientur, Laicis unquam promiſcue conceſſiſſe poteſtatem prædicandi & adminiſtrandi Sacramenta. Tametſi vero non neget, difficile eſſe, ſeriem paſtorum hujus gregis nominetenus percenſere, abolitis præſertim per continuas perſecutiones ipſorum commentariis & annalibus: nihilominus e diverſis autoribus & argumentis comprobat, Waldenſium miniſterium ſacrum juſta ordinatione ac ſucceſſione non interrupta potitum eſſe, inde ab iis temporibus, quando Mediolanenſium Archiepiſcopus Wido cum aliis clericis uxoratis, uti ſupra dictum, Romanæ ſedi ſemet opponere cœperat: ab ea enim ſic ſecedentes jugiter in exercitio ſuæ functionis perſeveraſſe, nil curantes Paparum definitiones & excommunicationes. Cum vero horum numerus, reliquorum comparatione exiguus eſſet, inde factum ait Autor, ut ab adverſæ factioni addictis ſummo in contemtu, tandemque pro meris Laicis haberentur, legitima poteſtate ſacra faciendi non inſtructis: eamque inculpationem dein ob-

ſtinate

Digitized by Google

ſtinate propagatam, nec parum auctam fuiſſe, ex quo Waldi diſcipuli ſeſe his Italiæ eccleſiis junxiſſent: huic denique & id acceſſiſſe, quod miniſtri illi ſucceſſu temporis titulum vocationis ſuæ clam habere cœperint, quo tanto melius evitarent odium & perſecutionem a Romana Eccleſia & ejus inquiſitoribus ſibi alias imminentem. In *Capite XXIV* perſecutiones, quas Waldenſium eccleſiæ ſubinde ſuſtinuerunt, ſtrictim percenſentur, aſperitate primis illis Chriſtianorum perſecutionibus parum aut nihil cedentes: diverſa etiam afferuntur edicta a Pontificibus Regibusque ad eorum exterminationem propoſita, allegatis ſimul Autoribus, qui latius deſcripſerint perſecutiones illas & furorem paſſim adhibitum ab Inquiſitoribus: quorum aliqui præterea quam calumnioſe cum miſeris illis egerint, in conſignanda ipſorũ depoſitione & reſponſione ad quæſtiones in examine propoſitas, demõſtratur *Cap. XXVI*, in quo nempe unum alterumq; exemplum Proceſſus ab iſtis habiti communicatur, ex Manuſcripto quodam Bibliothecæ Cantabrigienſis: unde ſatis pateſcit, inſtrumentum a Notario ſuper inſtituto examine confectum non ſatis concordare cum protocollo, ſed ſubinde verba ab iis prolata non parum perverti, atque in ſiniſtram partem detorqueri. In *ſequenti capite* comprobat Autor, Eccleſias Vallium Pedemontii conſtanter perſeveraſſe in eadem fide uſque ad tempora reformationis Lutheri, allata hanc in rem relatione & ingenua confeſſione acris cujusdam adverſarii, *Claudii Seiſſelii*, Archiepiſcopi Taurinenſis; qui cum jam ante annum 1518 contra Waldenſes ſcripſerit, evidens eſt, eos non anno demum 1532, ut Epiſcopus Meldenſis voluit, opiniones Proteſtantium adoptaſſe. In *Capite ultimo* tandem obteſtatur Autor, ſe haudquaquam juſtificandos ſuſcipere errores, qui nonnullis harum eccleſiarum membris adhæſerint: at cum a talibus ne quidem primitivæ Eccleſiæ Patres omnino immunes fuiſſe reperiantur, facilius iis ignoſcendum eſſe autumat; quandoquidem ex deductis alias conſtet, fideliter cœtus iſtos inter ſe conſervaſſe, quicquid ad conſtituendam genuinam Chriſtianorum ſocietatem requiri queat: quale quid etiam Lutherum ſenſiſſe oſtendit, utpote qui contemtis malis rumoribus, pasſim de Waldenſium vita & doctrina ſparſis, re nempe penitius indagata calumniarumque perſpecta falſitate, ipſos pro fratribus agnoſcere eorumque fidem commendare nil dubitaverit.

GRAM-

Digitized by Google

GRAMMATICA GRÆCA EX ALIIS AC-curato ordine ac ſolic ito quorumvis examine collecta, inque ſectiones & capita digeſta, ad uſus Gymnaſii Ratisponenſis Poetici ab ejusdem Rectore ac Prof. Publ. GEORGIO HENRICO URSINO Spirenſi.

Norimbergæ ſumtibus Wolfgangi Mauritii Endteri. A. 1691. in. 8. Conſtat plagul. 39.

EX quo humaniores literæ, Græcæ imprimis, ex tenebris emerſerunt iterum, varii varia in iis excolendis conati ſunt; nec defuere, qui præcepta Grammatica exhibuerunt. In quibus ſcriptis ut non facile nihil invenias, quod laudari non conveniat; ſic fatendum quoque habemus, nullum adhuc extitiſſe, quod vel omnia tradiderit, quæ ad ſtudium Grammaticum pertinent, vel eo ordine etiam res tractarit, qui quibusvis placuerit. Ex qua cauſa ſubinde inventi ſunt, qui novas Grammaticas compoſuere, in quibus, quæ in aliis vel non probaverant, vel non invenerant, aut emendarunt, aut ſuppleverunt; nec alio conſilio clariſſimus Autor adductus eſt, ut quod exhibemus Grammaticum opus conſcriberet. Nam in eo & plenius ſcriptum ſuum, quam aliorum opera, reddidit, & inventa aliorum emendavit. In omnibus nempe libellis Grammaticis, quos hactenus habuimus, deſiderantur, vel quæ ad naturam accentuum accuratius cognoſcendam ſpectant, vel quæ ad formationem temporum pertinent, vel quibus ad varietatem dialectorum diſcendam opus eſt, vel quæ conjunctionem verborum conſtruendique rationem Græcis peculiarem concernunt, vel quæ exempla commoda exhibent, in quibus uſus præceptorum Grammaticorum per Analyſin haberi poſſit. Sed hic omnia convenientiſſimo ordine exhibentur. Traditur enim primo Etymologia, ſive in literis & ſyllabis earumque affectionibus, ſive in partibus orationis tam declinabilibus Articulo, Nomine, Pronominibus, Verbis & Participiis, & quoad declinationes atque motiones, & quoad formationes aliasque affectiones conſideratis, quam indeclinabilibus, Adverbiis, Interjectionibus, Præpoſitionibus, Conjunctionibusque verſetur; mox Syntaxis in explicandis præcipue Græcæ linguæ Idio-

tiſmis occupata; deinde Proſodia ſelectiora ſola inveſtigans; porro figuræ Grammaticæ; poſt dialecti tandemque electa Græca, quæ Chrias ſeu ſententias, apophthegmata, ſimilia, narrationes, epiſtolas & colloquia ſiſtunt, perinde ut Michael Meiſnerus exercendæ in Latina lingua Juventuti varios floſculos ex ſimilibus, ſententiis, narrationibus atque exemplis conſtantes ex Cicerone collegit, & ſub nomine Hortuli Romani adeo magis imbibenda Grammatica præcepta publici juris fecit. Sed & corriguntur obſervationes, quæ vel vulgo ponuntur, vel a variis Autoribus traduntur. Quarum emendationum duo genera facimus; partim enim corrigit, quæ aliis Autoribus promiſcue viſa ſunt, partim ſpeciatim clariſſimum Vervvey tractat, quem in Belgio poſt Stephanos, Sylburgios, Welleros, non parum claritatis literis Græcis attuliſſe, nova via docendi Græca præmonſtrata, in præfatione ſcribit. Ad priorem claſſem pertinent: verbum κεῖμαι, non, ut alii volunt, a κέημι ejusque Paſſivo & Medio κέεμαι ortum eſſe, ſed a Poetico κείω pro κέω, unde Paſſivum & Medium κείομαι per Syncopen κεῖμαι. It. Verba non pura & barytona θέλω, ὀφείλω, μέλω &c. quæ in Futuris habeant, θελήσω, ὀφειλήσω, μελήσω, non ex circumflexis & puris antiquatis, θελέω, ὀφειλέω &c. orta eſſe, ſed hæc potius circumflexa antiqua ex barytonis, quæ adhuc ſuperſunt, originem traxiſſe, contra Schmidium. In Vervvey poſt multa alia præcipue reprehenduntur ſequentia: Dualem numerum e verbis & nominibus ejici; vocativum in declinationibus nominativo proximum ſubjungi; Medium verbum paſſivo præmitti; ordinem temporum valdopere turbari; Futurum primum Paſſivum formari a futuro Activo ψ in φθήσομαι, ξ in χθήσομαι, σ in σήσομαι mutato: Nomen ἀτάσθαλος non ex ἄτας accuſativo plurali nominis ἄτη componi, ſed ex ἄταις dativo plurali & verbo θάλλω deflectendum eſſe, ut ſit ὁ ταῖς ἄταις θάλλων. Sed quanquam multa vituperat, non pauca tamen etiam ſunt, quæ in viro hoc ſequitur. v. g. conſuetudinem compoſitiones ex pronominibus μὲ, σὲ &c. & αὐτοῦ in compoſitis, ἐμαυτοῦ, σεαυτοῦ, ἑαυτοῦ, contra rationem induxiſſe, quod μὲ, σὲ &c. Accuſativus & αὐτοῦ Genitivus ſit, Homerusq; ſemper ſcribat ἐμὲ αὐτὸν, σὲ αὐτὸν, vel ἐμὲ, σὲ ſimpliciter; ut & duas eſſe conjugationes, unam verborum in ω, alteram verborum in μι; porro verba ἔδομαι, πίομαι, φάγομαι, non eſſe futura media, pro ἐδοῦμαι, πιοῦμαι, φαγοῦμαι, ſed præſentia

pro

Digitized by Google

pro futuris poni; iterum, quæ de ratione, qua nomina cum nominibus componantur, afferuntur, ab aliis nondum perſpicue obſervata, v.g. quod nonnunquam duo nominativi jungantur eliſo σ, inprimis poſt *υ, αυ*, & *ου*, ut βȣ́γλωσσα ex βȣ̃ς & γλῶσσα; nonnunquam Genitivus integer & Nominativus coeant, ut νεώσοικος navale ex νεὼς Genitivo vocis ναῦς, & οἶκος: nonnunquam Dativus ac Nominativus copulentur, ut in χειρίσοφος. Sed hæc ſufficiant. De cætero ipſum ſcriptum eximie commendandum eſt, ſive plenitudinem ſelectumque rerum, ſive perſpicuitatem orationis, ſive convenientiam ordinis intueamur. Neque dubitamus, quin ſtudiis ſuis ex diſcentibus maxime profuturi ſint, qui ductum in libello monſtratum ſequi velint. Quin apparere vel ex adſcriptis exemplis arbitramur, non incipientibus ſolum proficuum fore librum, ut quæ ad ponenda literarum Græcarum fundamenta neceſſaria ſunt, facile hauriant, ſed adultiores quoq; inventuros eſſe, quibus quam jam poſſident cognitionem, confirmatiorem, illuſtriorem, elegantioremque efficiant.

HENRICI COETSII EUCLIDIS ELEMENtorum ſex libri priores, magnam partem novis demonſtrationibus adornati.

Lugduni Batavorum, apud Danielem a Gaesbeck, anno 1691, in 12.
Conſtat plagulis 30.

INter Mathematicos, qui dilucidandis *Elementis Euclideis* poſteritati ſuam commendare operam inſtituerunt, & præſens *Autor* nomen ſuum, in gratiam præcipue tyronum, profeſſus eſt. Cum autem non una hucusque methodo *Euclidis* commentatores inceſſerint: aliis quidem veterem, & ab *Euclide* nobis traditum ſervantibus ordinem; aliis autem, illo inſuper habito, ad naturalem veritatum inibi demonſtratarum nexum & ſequelam attendentibus: priorem demonſtrandi viam *Autor* ſibi vel ob hanc rationem eligendam putavit, quod *Elementorum Euclideorum* notitia aliqua jam imbutis, ad ſublimiora veterum Mathematicorum opera longe faciliorem altera illa ſuppeditare manuductionem, aditumque patefacere arbitraretur. Nec tamen huic orbitæ ſic ubique inſtitit, ut ab ea hinc inde non diverterit, ubi commodum diſcentium demonſtrationisque brevitas ab ordine communi

Digitized by Google

diſceſſum ſuaſit: unde non raro in demonſtranda aliqua propoſitione ſequentem & nondum demonſtratam in ſubſidium advocat, ſed (ne in paralogiſmum aut principii petitionem demonſtratio abeat) a priori illa independentem. Cæterum ipſis demonſtrationibus methodum quodammodo applicuit Algebraicam, ſed ita tamen, ut a tyrone debitam attentionem adhibente, & ſignorum Algebraicorum, quorum ſyllabus præfationi ſubnectitur, memori, demonſtrationum vis & ratio facile poſſit percipi. Ut adeo dubium non ſit, *Autorem* non tantum idonea libri forma, & eleganti typorum diſpoſitione, ſed & reſectis prolixarum demonſtrationum ambagibus, & ſuccinctis ratiociniis ſuis, largam eorum gratiam promeriturum, qui in geometricis elementis ipſo hodego ingenium ſuum exercere ſtudebunt.

GERARDI NOODT JCTI PROBABILIUM Juris Libri IV. quibus accedunt de Jurisdictione & Imperio Libri 2. & ad L. Aquiliam Liber ſingularis.

Lugduni Batav. ex offic. Felicis Lopez. 1691. in 4. plag. 62.

DIverſi argumenti materias uno volumine conſociatas ſimul publici juris fecit Conſultiſſimus *Noodt*, Anteceſſor in Academia Lugduno-Batava ordinarius, easdemque tum ſecundum fortuitum elaborationis ordinem, tum quoad externæ molis habitum diſpoſuit. Prima etenim pars cæteris duabus amplitudine longe potior & in quatuor libros ſubdiviſa, *Probabilia Juris* ſiſtit, quæ ſparſim hactenus (præter libri ultimi capita) fuerant edita. De ſcopo, quem in hoc ſcribendi genere præfixum habuit Autor, vel ex ſolo titulo ſufficienter conſtare videtur. Felici quippe ſucceſſu æmulatus eſt celeberrimorum JCtorum induſtriam, qui cum animadverterent, veneranda Jurisprudentiæ Romanæ monumenta communem cum aliis rebus humanis ſuſtinuiſſe ſortem, & veterum Doctorum atque librariorum maxime incuria plurimis in locis obſcurata, depravata atque corrupta fuiſſe, pertinaci ſtudio maculas iſtas inducere, & hilariorem perſpicuitatem, priſtinumque ſplendorem Juri noſtro conciliare aut reſtituere potius certarunt. Prodierunt hunc in finem tot volumina ſub titulis Obſervationum Juris, Emendationum, Receptarum Lectionum, Amœnitatum,

nitatum, Paradoxorum, & qui adhuc ſunt alii, conſpicua. Quamvis
autem in textibus obſcurioribus emendandis Autor noſter præcipuam
conſumſerit operam, unice tamen id ipſum egiſſe non putandus; ſi-
quidem hac in re libera & ſoluta prorſus digeſtione uſus, paſſim inter-
jecit capita, quibus modo verba ac phraſes ſingulares ex claſſicis autori-
bus declarare; modo textus absque ulla emendatione interpretatione
nova juvare, aliorumque intempeſtivas correctiones convellere; ſub-
inde & integras materias clarius exponere gaviſus eſt. Seorſim vero
quod textuum emendationes attinet, molliora hæc remedia paſſim
uſurpat, ut per breviſſimas literarum mutationes ſenſum legis vexatæ
perſpicuum reddat, aut qua ratione per notas potiſſimum & ſiglorum
captiones, librariis in deſcribendis juris Romani codicibus admodum
familiares, menda inſenſibili prope motu irrepſerint, commonſtret;
cui poſteriori conjecturæ cum ipſe Juſtinianus locum fecerit in Man-
dato ad Tribonianum de conceptione Digeſtorum §. 13. paragra-
phum eundem ceu maxime notabilem primæ ſtatim paginæ com-
mendavit. His ſubſidiis aggreditur *l. pen. ff. de cond. caa. dat.* circa l. 2. c. 5.
quam vulgo diſceptari ſolet, quomodo Præfectus vigilum ſervum ſum-
mo ſupplicio afficere potuerit, cum ex *l. un. C. de Off. Præf. Urb.* & *l. 3.*
§. 1. ff. de Off. Præf. Vigil. manifeſte conſtet, neutiquam Præfecto vi-
gilum, ſed Præfecto urbi merum competiiſſe imperium. Errorem
exinde natum conjicit Autor, quod, cum veteres diverſimode nota-
verint hæc duo officia, modo clarius PRAEF. URB. & PRAEF. VIGIL.
modo magis contracte P. V. hoc forte ſiglo uſurpato pro Præfecto Ur-
bi Præfectus Vigilum facili lapſu fuerit ſcriptus. Offert ſe dehinc
l. 4. § 13. ff. de re milit. Edicta Germanici Caſ. militem deſertorem l. 2. c. 10.
faciebant, qui diu abfuiſſet, ut is inter remanſores haberetur; ſed ſive
redeat quis & offerat ſe, ſive deprehenſus offeratur, pœnam deſertionis
evitat; nec intereſt cui ſe offerat VEL a quo deprehendatur. Poſtre-
mum membrum hujus textus *l. 13. §. ult. l. 5. pr. & §. 3. & 4. ff. h. t.* haud
leviter obſtat, ceu in quibus maxime intereſſe videtur, utrum miles
fugitivus a patre, an publice deprehenſus ſit & cum neceſſitate rever-
ſus. Ut ergo diſcordia textuum ceſſet, pro particula VEL ſubſtituitur
VERUM (*nec intereſt cui ſe offerat, verum a quo deprehendatur*) &
quidem hoc ſub prætextu, quod ſiglum V olim forte adhibitum ad
utramque particulam teſte Valerio Probo, Magnone & Diacono ſemet

Digitized by Google

referat; quæ ambiguitas feſtinantem librariorum calamum facile eluſerit. Haud alio remedio reſtituitur textus *l. f. ff. de condict. caa. dat.*
l. 4. c. 4. qui varias Dd. gloſſas atque commentationes prolixas ægre ſuſtinet. Neque enim adhuc inter eos convenit, quamobrem negotium ibi propoſitum Celſus ad quaſi contractum, dationem videlicet ob cauſam referat, licet omnia requiſita emptionis & venditionis præſto eſſe videantur. Noſter putat notarum compendio textum primitus ſic conceptum fuiſſe *Dedi tibi pe. pec. ut mihi &c.* (dedi tibi peregrinam pecuniam, ut mihi) librarios deinceps priorem notam *pe.* per imprudentiam tanquam ſupervacaneam neglexiſſe; id ſane liquido conſtare, quod peregrina pecunia pro merce habita non ex forma publica, ſed ex ſubſtantia magis æſtimari ſueverit. Adducitur hunc in finem de nummo victoriato teſtimonium *Plinii* ex *l. 33. Hiſt. nat. c. 3*: *Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percuſſus eſt; antea enim hic nummus ex Illyrico advectus mercis loco habebatur.* Alios inſuper duos textus unius literæ mutatione cæteris conſonos reddere molitur.
l. 1. c. 4. Prior ex his proſtat in *l. 13. §. f. ff. de Pignerat. act. Venit autem in hac actione & dolus & culpa, ut in commodato venit & cuſtodia, vis major non venit. Ea igitur* &c. Mutatur hic particula *ut* in *at* (*at in commodato venit*) ut cum ſubſequente *l. 14. d. t. & l. 5. §. 2. t. 18. ff. Com-*
l. 4. c. 3. *mod.* connexio & concentus integer ſervetur; cumque Autori de hac ipſa emendatione controverſia a non nemine fuerit mota, infra ad objectiones plenius reſpondet. In poſteriore textu *l. 6. C. de pact. conv.* verbum *conveniat* mutat in *convenit*, quo ipſo pacti expreſſi ratio manifeſta redditur, & Accurſii aliorumque operoſa divinatio, nec non Ant. Fabri ſingularis doctrina de effectu nudæ pollicitationis, ſi b. f. judiciis cauſam dederit, honeſte dimittitur. Notantur & nonnulli errores, quos per nimiam accelerationem atque memoriæ inconſtantiam ipſi JCti forte commiſerint, ut in *l. 5. pr. ff. ad L. Aquil.* ubi *Actio L. Cornelia* pro *Actione L. Aquiliæ*: *l. 5. §. 4. ff. de his qui effud.*
l. 1. c. 9. ubi *Actio Legis Aquiliæ* pro *Actione in factum*: *l. 1. ff. de L. Pomp. de*
10. 11. *Parricid.* ubi *L. Cornelia de ſicariis* pro *L. Cornelia de Parricidiis* poſita præſumitur. Imo quod & gratiæ atque affectui nonnihil dede-
l. 2. c. 2. rint ſubinde JCti, ex vexata ſatis *l. 14. ff. de Transact.* curioſa demonſtratione eruere laborat. Non dubitavit hoc in textu Scævola aſſerere, quod poſt transactionem inter legitimum & ſcriptum hæredem inter-

Digitized by Google

interpoſitam, creditores hæreditarii utrosque hæredes teneantur convenire, pro rata hæreditatis per transactionem aſſignata; licet idem JCtus in anteriore *l. 3. ff. eod.* contrariam ſententiam tali in caſu ſecutus eſſet. Variæ quidem conciliationes in promptu ſunt, quas inter duæ potiſſimum ab Accurſio prolatæ commemorantur. Neutra cum Autori plene ſufficiat, pro ingenii libertate contendit, *in d. l. 14*, utpote ex l. 2. Reſponſorum depromta, Scævolam a certo jure receſſiſſe longius quam oporteret, ut amico, a quo conſultus forte, gratam acceptamque rem faceret, eumque imaginaria ambiguitate utcunque juvaret; e contra *d. l. 3.* ex l. 1. Digeſtorum petitam, claram ac rotundam juris deciſionem exponere, quo in commentario JCtus uſus fuerit judicio libero & minus obnoxio. Et ex hoc ipſo argumento quæſtionem inter Nic. Boerium & Uldaricum Zaſium agitatam decidit, quod JCtorum commentariis potius, quam reſponſis credendum ſit. Hæc de textuum quorundam cenſura ac emendatione dicta ſufficiant; obiter adhuc notamus materias nonnullas fuſius paulo illuſtratas. De rebus publicis ac communibus ad §. *1. 2. & ſeq. Inſt. de Rer. Div.* ſatis prolixa diſceptatio inſtituitur, plurimisque argumentis probatur, veteres publica & communia parili poteſtate accipere, & quod publicum eſt, idem & commune nuncupare, & vice verſa; diverſitatem ſolum in eo ſubeſſe, quod quædam jure naturali, quædam jure civili publica habeantur. Amœnæ dehinc digreſſioni ſerviens Autor, in officia, quæ ex humanitate & philanthropia mutua præſtare tenemur, inquirit, iſtudque argumentum ex conſenſu noſtrorum JCtorum cum Cicerone, Seneca aliisque Philoſophis concinne declarat. Ad penitiorem intellectum *l. 3. §. 1. ff. d. A. vel A. P. l. 5. §. 1. l. 55. ff. de A. R. D.* ex Seneca, Phædro, Plauto congeruntur teſtimonia, quæ veteres in diverſas abiiſſe ſectas circa doctrinam de acquirenda poſſeſſione, haud obſcure evincunt, cujus disſidii veſtigia circa textus allegatos ſollicito ſcrutinio exhibentur. Integro quoque capite fictiones Juris antiqui præſertim expoſitas habemus, quatenus in teſtamentis per æs & libram, in bonorum poſſesſionibus, in querela inofficioſi teſtamenti, interdictione aquæ & ignis, ſervitute pœnæ aliisque negotiis fuerunt conſpicuæ. Nec ſilentio prætermittenda, quæ habentur de interpretatione L. Corneliæ de Sicariis, & potisſimum *l. 1. §. 3. ff. h. t.* Operoſe ex hoc textu adſtruitur, iſtud tantum homicidium L. Cornelia coerceri, quod conſulto

l. 1. c. 7. & 8.

l. 2. c. 6.

l. 4. c. 7.

ſulto & deliberato ſeu integra voluntate factum eſt, non quod in rixa fortuita atque improviſa contigit ſubito impetu; hoc etenim caſu extraordinariam ac leviorem pœnam ſurrogari. Quod ipſum aſſertum
l. 4. c. 8. cum in dubium vocarit Vir clariſſimus Ulricus Huberus, in eo jam occupatus eſt Noſter, ut argumentorum ſibi objectorum vim infringat.

Qui ſequuntur de *Jurisdictione* & *Imperio* libri 2. rerum forenſium ſtatum ex Jure Romano antiquo potiſſimum repræſentant, cujus cognitio, etſi praxi modernæ haudquaquam ſufficit, propterea tamen penitus non contemnenda eſt; ſiquidem ad textuum plurimorum interpretationem genuinam inſigne momentum confert, & ipſa varietate animum detinet. Diſtincte vero hic declaratur primum, non ſolum quas ſpecies, quas partes, quæ initia Jurisdictio & Imperium ſeorſim ſibi vendicent; ſed & mutua Jurium iſtorum collatio inſtituitur, circa quam iſtud præſuppoſitum ex *l. 3. & 4. ff. de Jurisd. l. 26.*
l. 1. c. 3. *pr. & §. 1. ff. ad Municip.* deductum advertimus: Imperium a Jurisdictione, quantum ad Magiſtratus municipales attinet, non tam vocabuli proprietate, quam docentium uſu ſeparari; & quia lex notionem municipalium Magiſtratuum jurisdictionem appellavit, feciſſe vocabulorum paupertatem & diſtinguendi neceſſitatem; ut eadem ſi cum poteſtate Romani Magiſtratus conferretur, tantum jurisdictio diceretur; ea vero quæ Romani Magiſtratus eſſet, magis imperium appellaretur; ut tamen in Romano Magiſtratu iſta quæ imperii, eadem jurisdictionis, & quæ jurisdictionis, eadem imperii haberentur. Tranſitus dehinc fit ad perſonas in foro Romano venerabiles, Prætorem videlicet, & Judicem, ac circa utrumque quæ occurrunt egregia
l. 2. & ſingularia ſtrictim exponuntur. Diverſus denique mandatæ & prorogatæ jurisdictionis habitus laxe deducitur, ubi inſimul extantiores hac de materia textus *l. 2. ff. de Off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. 5. C. de Jud. l. 2. §. 1. ff. de Jud. l. 18. ff. de Jurisd. l. 4. C. de Jurisd. omn. Jud.* ſingulari cura enucleatos obſervavimus.

c. 1. & 2. Liber ſingularis & poſtremus continuam commentationem exhibet *ad L. Aquiliam.* Inquiritur primum in autorem hujus legis ſeu plebiſciti, cumque illud tribus conſtet capitibus, ex quibus tamen medium in deſuetudinem abiit, ordine hoc ſervato potiora cujusque momenta terſe explanantur. Intermiſcentur vero ad textus complures hujus

hujus tituli animadverſiones philologicæ, quæ aut caſus probabilitatem, aut ſi quid aliud forte ex antiquitatibus hiſtoriæ Romanæ ſupponitur, declarant. Sic querela Martialis l. 7. Epigr. 60, quod tonſores olim, ut & coqui ac caupones, in publico artem ſuam exercuerint, confertur cum *l. 11. ff. ad L. Aquil.* in qua tonſor ſervo gulam præcidit pilæ ludibrio confuſus. Caſum *l. 45. §. 3. ff. eod.* refert deinceps ad Palilia anniverſaria ſacra, in quibus natalem urbis Romæ celebrare paſtores atque per ardentia ſtramenta tranſilire conſueverunt, adnotante Ovidio Faſt. l. 4. Quæ differentia inter pugillatum, luctam & pancratium, ad expoſitionem *l. 7. §. 4. ff. eod.* latius recenſetur. Eundem in cenſum veniunt, quæ de medicis chirurgis, ut & de fœminis medicis, occaſione *l. 7. §. ult. l. 8. l. 9. d. t.* habentur. Plura quidem ex commentario iſto non jucunda minus quam utilia congerere licuiſſet; verum dum ſub calcem libri de ſupplementis uberioribus ſpes haud obſcura ſemet offert, commodam magis aucupari occaſionem fas eſto. c.7. c.8.

SOLUTIONES PROBLEMATIS A J. B. in Actis A. 1690, pag. 219 propoſiti.

B*Enevolus Lector haud gravate recordabitur Problematis a clariſſimo Baſileenſium Profeſſore* Jacobo Bernoulli, Actorum anno 1690, menſe Majo p. 219, *propoſiti. Hujus ſolutionem, methodo ſua impetratam, ſi ante anni exitum nemo ſolutum a ſe Problema ſignificaverit, ſe publicaturum*, ejusdem anni menſe Julio p. 360, *pollicitus eſt* celeberrimus G. G. L. *Solvit vero illud, ſolutionemque nobis communicavit præterito menſe Decembri proponentis* Frater, Dominus Joannes Bernoulli, Medicinæ Candidatus, *in hiſce ſtudiis verſatiſſimus; eamque, ut ſuo tempore alteri illi* Leibnitianæ *jungeremus, humaniſſime per* Fratrem *nos compellavit. Factum inde eſt, ut* Virum *ſupra memoratum* celeberrimum *pulſaremus de edenda ſua: quam etiam nuperrime nobis pro ſumma humanitate ſua transmiſit.* Huic *etiam debemus, quod vir ſummus Dn.* Chriſtianus Hugenius *non dedignatus eſt, cum plurima favoris erga nos ſignificatione, & ſua Problematis dicti ſolutione Acta hac noſtra exornare. Exhibemus ergo Tibi B. L. & geminam ſolutionem ab* Illuſtri Virorum pari, *&* Bernoullianam; *ſed eo ordine, quo ad manus noſtras pervenere.*

Digitized by Google


SOLUTIO PROBLEMATIS FUNICULArii, exhibita a Johanne Bernoulli, Baſil. Med. Cand.

ANnus fere eſt, cum inter ſermocinandum cum Cl. Fratre mentio forte incidiſſet de Natura Curvæ, quam funis inter duo puncta fixa libere ſuſpenſus format. Mirabamur rem omnium oculis & manibus quotidie expoſitam nullius hucusque attentionem in ſe concitaſſe. Problema videbatur eximium & utile, at tum ob prævisam difficultatem tangere noluimus; ſtatuimus itaque illud publice Eruditis proponere, viſuri num qui vadum tentare auderent: neſciebamus enim, quod jam inde a Galilæi temporibus inter Geometras agitatum fuiſſet. Interea dignum cenſuit nodum hunc, cui ſolvendo ſe accingeret ſummus Geometra Leibnitius, ſignificavitque non multo poſt (vid. Act. a. 1690. mens. Jul. pag. 360) ſe clave ſua aditus problematis feliciter reſeraſſe, conceſſo tamen & aliis tempore, intra quod ſi nemo ſolveret, ipſe ſolutionem ſuam publicaturus eſſet. Id animum addidit, ut problema denuo aggrederer, quod eo quidem cum ſucceſſu factum, ut brevi & ante termini a Viro Cel. poſiti exitum ejus ſolutionem omnimodam & plenariam, qualem antea ne ſperare quidem auſus fuiſſem, invenerim. Reperi autem Curvam noſtram Funiculariam non eſſe Geometricam, ſed ex earum cenſu, quæ Mechanicæ dicuntur, utpote cujus natura determinata æquatione Algebraica exprimi nequit, nec niſi per relationem curvæ ad rectam, vel ſpatii curvilinei ad rectilineum habetur, ſic ut ad illam deſcribendam alterius curvæ rectificatio vel curvilinei quadratura ſupponatur, ut ex ſequentibus Conſtructionibus

TAB. VI. liquet:

Fig. I. *Conſtr. I.* Ductis normalibus CB, DE ſeſe ſecantibus in A, centroque C ubivis ſumpto in axe CB, & vertice A deſcripta Hyperbola æquilatera AH, conſtruatur curva LKF, quæ talis ſit, ut ubique CA ſit media proportionalis inter BH & BK; fiat rectangulum CG æquale ſpatio EABKF, erit productis IG, HB punctum concurſus M in Curva Funicularia MAN.

Fig. II. *Conſtr. II.* Deſcripta ut prius ad axem BA Hyperbola æquilatera BG, conſtruatur ad eundem axem Parabola BH, cujus latus rectum æquetur quadruplo lateris recti vel tranſverſi Hyperbolæ, ordinatimque



II.

Digitized by Google

Digitized by Google

natimque applicata HA producatur ad E, ita ut recta GE ſit æqualis lineæ Parabolicæ BH; dico punctum E eſſe in Curva Funicularia EBF.

Ex his patet, Curvæ hujus EBF naturam per æquationem Geometricam haberi non poſſe, niſi ſimul rectificatio lineæ Parabolicæ detur. Hujus autem & præcedentis Conſtructionis demonſtrationem lubens omitto, ne Celeberrimo Viro primæ inventionis palmam vel præripiam, vel inventa ſua ſuper hac materia plane ſupprimendi anſam præbeam: ſufficiet hic, ſi notabiliores hujus Curvæ proprietates addidero:

1. Ducta tangente FD, erit AF. AD :: BC. BF curvam. Fig. II.
2. AE vel AF æquatur curvæ Parabolicæ BH dempta recta AG.
3. Curva BE vel BF æqualis eſt rectæ AG, i. e. portiones curvæ funiculariæ ad axem applicatæ conficiunt Hyperbolam æquilateram: inſignis eſt hujus Curvæ proprietas.
4. Spatium Funicularium BAE vel BAF eſt æquale rectangulo ſub BA & AF, diminuto rectangulo ſub CB & FG.
5. Curva MNO, ex cujus evolutione deſcribitur Funicularia, BE, eſt tertia proportionalis ad CB & AG.
6. Recta vero evolvens EO eſt tertia proportionalis ad CB & CA.
7. Recta BM usque ad principium curvæ MNO ſumta æquatur ipſi CB.
8. MP eſt dupla ipſius BA.
9. Rectangulum ſub CB & PO duplum eſt ſpatii hyperbolici ABG.
10. Recta CP biſecta eſt in puncto A.
11. Curva EB eſt ad curvam MNO, ut recta CB ad rectam AG.
12. Si ad AG applicentur duo Rectangula AI, AK, quorum unum AI ei quod ſub ſemilatere transverſo CB & recta FG comprehenditur rectangulo, alterum AK quod ipſi ſpatio Hyperbolico BGA æquatur; & differentiæ latitudinum KI ſumatur in axe a vertice B æqualis BL, erit punctum L centrum gravitatis curvæ Funiculariæ EBF.
13. Si ſuper EF infinitæ intelligantur deſcriptæ curvæ ipſi Funiculariæ EBF æquales, illæque in rectas extendantur, & in ſingulis ſingulæ extenſæ punctis applicentur rectæ ipſis reſpective diſtantiis a linea EF æquales, erit omnium ſpatiorum quæ ſic efficiuntur illud quod a Funicularia gignitur maximum.

Digitized by Google

Cœpit Hon. Frater ſpeculationem hanc extendere etiam ad funes inæqualiter craſſos, quorum craſſities ad longitudinem relationem obtinet æquatione algebraica exprimibilem, notatque unum caſum, quo problema per Curvam ſimplicem Mechanicam ſolvi poſſit: nempe ſi ſupponatur Figura Curvilinea ABDEG, cujus applicata GE ſit reciproce in dimidiata ratione abſciſſæ AG, eaque ſit in omnibus ſuis applicatis flexilis, hoc eſt, ſi concipiatur funis AG gravatus in ſingulis ſuis punctis reſpectivis rectis GE, vel (quod tantundem eſt) differentiis applicatarum GH in Parabola AHI, aut denique portiunculis curvæ cycloidalis AHI (cujus vertex A) isque ſic gravatus ſuſpendi intelligatur, ita ut punctum A ſit omnium infimum (quod fit, ubi connexum habuerit a parte A alium funem ejusdem longitudinis & in æqualibus a puncto A diſtantiis æqualiter gravatum): tum jubet ad axem AG conſtruere Hyperbolam æquilateram ABC cujus vertex A, applicatamque BD producere ad E, ita ut rectangulum ſub ſemilatere recto vel transverſo & linea DE, ſit æquale ſpatio ADB; oſtenditque punctum E eſſe ad curvam quæſitam AEF, quam funis dicta ratione gravatus format, ipſam vero curvam AE eſſe tertiam proportionalem ad rectum vel transverſum latus Hyperbolæ & applicatam ejus DB; tangentem EH haberi ſumpta IH quarta proportionali ad ſemilatus rectum, abſciſſam AD & applicatam DB, &c. Reperi autem, quod memorabile eſt, curvam hanc AEF illam ipſam eſſe, ex cujus evolutione altera BE, quam uniformis craſſitiei funis format, deſcribitur; adeoque eandem cum curva MNO.

Fig. III.

Fig. IV.

Fig. II.

Notare convenit, quod ſi quis experimentis hæc examinare inſtituat, catenulam præ fune ſeligere debeat, quem ob nimiam cum levitatem tum rigiditatem ad id ineptum deprehendimus. Cæterum qui materiam hanc perficere & ampliare volet, poterit inveſtigare naturam curvæ, quam refert funis in hypotheſi a Terræ centro diſtantiæ finitæ, vel ſi ſupponatur inſuper a proprio pondere extenſibilis, aut quocunque alio modo gravatus: vel etiam vice verſa qualiter illum gravare conveniat, ut referat lineam Parabolicam, Hyberbolicam, Circularem aliamve quamcunque datam curvam: Res enim omnino in poteſtate eſt.

DE

Digitized by Google

DE LINEA IN QUAM FLEXILE SE pondere proprio curvat, ejusque uſu inſigni ad inveniendas quotcunque medias proportionales & Logarithmos. Autore G. G. L.

PRoblema *Lineæ Catenariæ vel Funicularis* duplicem uſum habet; unum, ut augeatur ars inveniendi ſeu Analyſis, quæ hactenus ad talia non ſatis pertingebat, alterum ut praxis conſtruendi promoveatur. Reperi enim hanc lineam ut facillimam factu, ita utiliſſimam effectu eſſe, nec ulli Tranſcendentium ſecundam. Nam ſuſpenſione fili vel potius *catenulæ* (quæ extenſionem non mutat) nullo negotio parari & deſcribi poteſt, *phyſico* quodam *conſtructionis genere*. Et ope ejus ubi ſemel deſcripta eſt, exhiberi poſſunt quotcunq; mediæ proportionales, & Logarithmi, & Quadratura Hyperbolæ. Primus *Galilæus* de ea cogitavit, ſed naturam ejus aſſecutus non eſt: neq; enim Parabola eſt, ut ipſe erat ſuſpicatus. *Joachimus Jungius*, eximius noſtri ſeculi Philoſophus & Mathematicus, qui multa ante *Carteſiū* præclara cogitata habuerat circa ſcientiarum emendationem, calculis initis, & experimentis factis parabolam excluſit, veram lineam non ſubſtituit. Ex eo tempore a multis tentata quæſtio eſt, a nemine ſoluta, donec nuper mihi ab eruditiſſimo Mathematico præbita ejus tractandæ occaſio eſt. Nam Cl. *Bernoullius*, cum meam quandam Analyſin infinitorum, calculo differentiali, me ſuadente introducto, expreſſam, feliciter applicuiſſet ad quædam problemata, a me publice petivit Actorum Anni ſuperioris menſe Majo, p. 218, ſq. ut tentarem, an noſtrum calculi genus etiam ad hujusmodi problemata, quale eſt lineæ catenariæ inventio, porrigeretur. Re in gratiam ejus tentata, non tantum ſucceſſum habui, primusque, ni fallor, illuſtre hoc problema ſolvi, ſed & lineam egregios uſus habere deprehendi, quæ res fecit, ut exemplo *Blaſii, Paſchalii* aliorumque ad eandem inquiſitionem invitaverim Mathematicos certo tempore præſtituto, experiundarum Methodorum cauſa, ut appareret, quid illi daturi eſſent, qui fortaſſe alias adhiberent ab ea qua *Bernoullius* mecum utitur. Tempore nondum elapſo, duo tantum ſignificarunt rem ſe conſecutos, *Chriſtianus Hugenius*, cujus magna in rem literariam merita nemo ignorat; & ipſe cum fratre ingenioſo juvene & pereruditо *Bernoullius*, qui his, quæ dedit, effecit, ut præclara quæque

porro ab iis ſperemus. Eum igitur reapſe expertum puto quod ſignificaveram, huc quoque porrigi noſtram calculandi rationem, & quæ antea difficillima habebantur jam aditum admittere. Sed placet exponere quæ a me ſunt inventa; quid alii præſtiterint, collatio oſtendet.

Linea ſic conſtruitur Geometrice, ſine auxilio fili aut catenæ, & ſine ſuppoſitione quadraturarum, eo conſtructionis genere, quo pro Tranſcendentibus nullum perfectius & magis Analyſi conſentaneum mea ſententia haberi poteſt. Sint duæ quæcunque lineæ rectæ, determinatam quandam & invariabilem inter ſe habentes rationem, eam ſcilicet quam א & ב, hic expoſitæ, qua ratione ſemel cognita cætera omnia per Geometriam ordinariam procedunt. Sit recta indefinita ⊙N horizonti parallela, eique perpendicularis ⊙A, æqualis ipſi ⊙3N, & ſuper 3N verticalis 3N3ξ, quæ ſit ad ⊙A, ut א ad ב. Inter ⊙A & 3N3ξ quæratur media proportionalis 1N1ξ; & inter 1N1ξ & 3N3ξ, itemque inter 1N1ξ & ⊙A quæratur rurſus media proportionalis, & ita porro quærendo medias, & inventis tertias proportionales, deſcribatur continueturque linea ξξA(ξ)(ξ) quæ erit talis naturæ, ut ipſis intervallis verbi gr. 3N1N, 1N⊙, ⊙,(N), 1(N)3(N), &c. ſumtis æqualibus, ſint ordinatæ 3N3ξ, 1N1ξ, ⊙A, 1(N) 1(ξ), 3(N)3(ξ) in continua progreſſione Geometrica, qualem lineam *Logarithmicam* appellare ſoleo. Jam ſumtis ⊙N, ⊙(N) æqualibus, ſuper N vel (N) erigatur NC vel (N)(C) æqualis dimidiæ ſummæ ipſarum Nξ, (N)(ξ), & C vel (C) erit *punctum lineæ catenariæ* FCA(C)L, cujus ita puncta quotcunque aſſignari Geometrice poſſunt.


TAB. VII. Fig. I.

Contra ſi linea catenaria phyſice conſtruatur ope fili vel catenæ pendentis, ejus ope exhiberi poſſunt quotcunque mediæ proportionales, & Logarithmi inveniri datorum numerorum vel numeri datorum Logarithmorum. Sic ſi quæratur Logarithmus numeri ⊙ω, poſito ipſius ⊙A, (tanquam Unitatis, quam & *parametrum* vocabo) Logarithmum eſſe nihilo æqualem. Seu quod eodem redit, ſi quæratur Logarithmus rationis inter ⊙A & ⊙ω, ſumatur ipſis ⊙ω & ⊙A tertia proportionalis ⊙ψ, & ipſarum ⊙ω & ⊙ψ ſummæ dimidiæ ⊙B, tanquam abſciſſæ, reſpondens Lineæ Catenariæ ordinata BC vel ⊙N, erit *Logarithmus quæſitus Numeri dati*. Contra, dato Logarithmo ⊙N inde ductæ ad Curvam Catenariam verticalis NC duplam, oportet ſecare in duas partes tales, ut media proportionalis inter ſegmenta ſit æqualis

TA

Fig. 1.

G. G. L. De Linea C



Digitized by Google

Digitized by Google

æqualis datæ (Unitati) ⊙A, (quod facillimum eſt) & duo ſegmenta erunt *reſpondentes dato Logarithmo Numeri quæſiti*, unus major, alter minor unitate. Aliter: inventa, ut dictum eſt, NC ſeu ⊙R (ſumto ita puncto R in horizontali AR, ut habeamus ⊙R æqualem ⊙B vel NC) erunt ſumma ac differentia rectarum ⊙R & AR duo reſpondentes Logarithmo dato Numeri, unus major, alter minor Unitate. Nam differentia ipſarum ⊙R & AR eſt Nξ, & ſumma earum eſt (N)(ξ); uti viciſſim ⊙R eſt ſemiſumma, & AR ſemidifferentia ipſarum (N)(ξ) & Nξ.

Sequuntur *ſolutiones Problematum primariorum*, quæ circa lineas proponi ſolent. *Tangentem ducere ad punctum lineæ datum* C; in AR horizontali per verticem A ſumatur R, ut fiat ⊙R æqualis ⊙B datæ, & ipſi ⊙R ducta Antiparallela CT (occurrens axi A⊙ in T) erit tangens quæſita. *Antiparallelas* compendii cauſa hic voco ipſas ⊙R & TC, ſi ad parallelas AR & BC faciant non quidem eoſdem angulos, ſed tamen complemento ſibi exiſtentes ad rectum, AR⊙ & BCT. Et Triangula rectangula ⊙AR & CBT, ſunt ſimilia.

Rectam invenire arcui catenæ æqualem. Centro ⊙ radio ⊙B deſcribendo Circulum, qui horizontalem per A ſecet in R, erit AR æqualis arcui dato AC. Patet etiam ex dictis fore $\psi\omega$ æqualem catenæ CA(C). Si catena CA(C) æqualis eſſet duplæ parametro, ſeu ſi AC vel AR æqualis ⊙A, foret catenæ in C inclinatio ad horizontem, ſeu angulus BCT, 45 graduum; adeoque angulus CT(C) rectus.

Quadrare ſpatium lineâ catenariâ & rectâ vel rectis comprehenſum. Scilicet invento puncto R, ut ante, erit rectangulum ⊙AR æquale Quadrilineo A⊙NCA. Unde alias quasvis portiones quadrare in proclivi eſt. Patet etiam, arcus eſſe areis quadrilineis proportionales.

Invenire centrum gravitatis catenæ, aut partis ejus cujuscunque. Arcui AC vel AR, ordinatæ BC, parametro ⊙A inventa quarta proportionalis ⊙θ, addatur abſciſſæ ⊙B, & ſummæ dimidia ⊙G, dabit G centrum gravitatis catenæ CA(C). Porro tangens CT ſecet horizontalem per A, in E, compleatur rectangulum GAEP, erit P centrum gravitatis arcus AC. Cujuscunque arcus alterius ut C1C diſtantia centri gr. ab axe, eſt AM, poſito πM eſſe perpendicularem in horizontem verticis, demiſſam ex π concurſu tangentium Cπ, 1Cπ. Quanquam & centrum ejus ex centris arcuum AC, A1C, facile habeatur.

Hinc

Digitized by Google

Hinc & habetur BG, maximus deſcenſus poſſibilis centri funiculi ſeu catenæ aut lineæ flexilis non extendibilis cujuſcunque, duabus extremitatibus C & (C) ſuſpenſæ, longitudinem habentis datam $\psi\omega$; quamcunque enim figuram aliam aſſumat, minus deſcendet centrum grav. quam ſi in noſtram CA(C) curvetur.

Invenire centrum gravitatis figuræ, linea catenaria & recta vel rectis comprehenſæ. Sumatur ⊙β dimidia ipſius ⊙G, & compleatur rectangulum βAEQ, erit Q centrum gravitatis quadrilinei A⊙NCA. Unde & cujuſcunque alterius ſpatii linea catenaria & recta vel rectis terminari centrum facile habetur. Hinc porro ſequitur illud memorabile, non tantum quadrilinea ut A⊙NCA arcubus AC proportionalia eſſe, ut jam notavimus, ſed & amborum centrorum gravitatis diſtantias ab horizontali per ⊙, nempe ⊙G & ⊙β eſſe proportionales, cum illa ſit ſemper hujus dupla; & diſtantias ab axe ⊙B, nempe PG, Qβ adeo eſſe proportionales, ut ſint plane æquales.

Invenire contenta & ſuperficies ſolidorum, rotatione figurarum linea catenaria & recta vel rectis comprehenſarum, circa rectam immotam quamcunque genitorum. Habetur ex duobus problematibus præcedentibus, ut notum eſt. Sic ſi catena CA(C) rotetur circa axem AB, generata ſuperficies æquabitur circulo, cujus radius poſſit duplum rectangulum EAR. Nec minus aliæ ſuperficies vel etiam ſolida dicto modo genita menſurari poſſunt.

Multa Theoremata ac Problemata prætereo, quæ vel in his continentur quæ diximus, vel non magno negotio inde derivantur, cum brevitati conſulere viſum ſit. Sic ſumtis duobus catenæ punctis, ut C & 1C, quorum tangentes ſibi occurrant in π, ex punctis 1C, π, C, in ipſam AEE horizontalem verticis demittantur perpendiculares 1C1J, πM, CJ: fiet 1JJ in AC minus 1CC in 1JM æquale 1BB in ⊙A. Poſſunt & ſeries infinitæ utiliter adhiberi. Sic ſi parameter ⊙A ſit unitas, & arcus AC, vel recta AR, dicatur a, & ordinata BC vocetur y, fiet $y = a - \frac{1}{6}a^3 + \frac{3}{40}a^5 - \frac{5}{112}a^7$, &c. quæ ſeries facili regula continuari poteſt. Datis quoque lineam determinantibus, haberi poſſunt reliqua ex dictis. Sic dato vertice A, & alio puncto C, & AR longitudine catenæ interceptæ AC, haberi poteſt lineæ parameter A⊙, vel punctum ⊙: quoniam enim datur & B, jungatur BR, & ex R educatur recta Rμ, ita ut angulus BRμ ſit æqualis angulo RBA, & ipſa Rμ (producta) occurret Axi BA (producto) in puncto ⊙ quæſito.

Atque

Digitized by Google

Atque his quidem potiſſima contineri arbitror, unde cætera circa hanc lineam, ubi opus, facile duci poterunt. Demonſtrationes adjicere ſuperſedeo, prolixitatis vitandæ gratia, præſertim cum novæ noſtræ Analyſeos calculos in his actis explicatos intelligenti ſponte naſcantur.

CHRISTIANI HUGENII, DYNASTÆ IN Zülechem, ſolutio ejusdem Problematis.

SI Catena CVA ſuſpenſa ſit ex filis FC, EA utrinque annexis, ac gravitate carentibus, ita ut capita C & A ſint pari altitudine, deturque angulus inclinationis filorum productorum CGA, & catenæ totius poſitus, cujus vertex ſit V, axis VB. TAB. VII. Fig. 2.

1. Licebit hinc invenire tangentem in dato quovis catenæ puncto. Velut ſi punctum datum ſit L, unde ducta applicata LH dividat æqualiter axem BV. Jam ſi angulus CGA ſit 60°, erit inclinanda a puncto A ad axem recta AJV, æqualis $\frac{3}{4}$ AB, cui ducta parellela LR, tanget curvam in puncto L. Item ſi latera GB, BA, AG ſint partium 3, 4, 5, erit AIV ponenda partium $4\frac{1}{2}$.

2. Invenitur porro & recta linea catenæ æqualis, vel datæ cuilibet ejus portioni. Semper enim dato angulo CGA, data erit ratio axis BV ad curvam VA. Velut ſi latera GB, BA, AG ſint ut 3, 4, 5, erit curva VA tripla axis VB.

3. Item definitur radius curvitatis in vertice V, hoc eſt ſemidiameter circuli maximi, qui per verticem hunc deſcriptus totus intra curvam cadat. Nam ſi angulus CGA ſit 60°, erit radius curvitatis ipſi axi BV æqualis. Si vero angulus CGA ſit rectus, erit radius curvitatis æqualis curvæ VA.

4. Poterit & circulus æqualis inveniri ſuperficiei conoidis, ex revolutione catenæ circa axem ſuum. Ita ſi angulus CGA ſit 60°, erit ſuperficies conoidis ex catena CVA genita æqualis circulo, cujus radius poſſit duplum rectangulum BVG.

5. Inveniuntur etiam puncta quotlibet curvæ KN, cujus evolutione, una cum recta KV, radio curvitatis in vertice, curva VA deſcribitur; atque evolutæ ipſius KN longitudo. Velut ſi angulus CGA fuerit 60°, erit KN tripla axis BV. Si vero latera GB, BA, AG ſint ut 3, 4, 5, erit illa $\frac{9}{4}$ axis BV.

Digitized by Google

6. Præterea ſpatii NKVAN quadratura datur. Poſito enim angulo CGA 60°, erit ſpatium illud æquale rectangulo ex axe BV, & ea quæ poteſt triplum quadratum ejuſdem BV. Si vero latera GB, BA, AG ſint ut 3, 4, 5, erit idem ſpatium æquale ſeptuplo quadrato BV, cum parte octava.

7. Porro puncta quotlibet catenæ inveniri poſſunt, poſita quadratura curvæ alterutrius harum: $xxyy = a^4 - aayy$, vel $xxyy = 4a^4 - x^4$. Vel etiã data diſtantia centri gravitatis ab axe, in portionibus planis, quas abſcindunt rectæ axi parallelæ in curva harum priore. Quadratura autem hujus curvæ pendet a ſummis ſecantium arcuum per minima æqualiter creſcentium: quæ ſummæ ex Tabulis ſinuum egregio quodam adhibito compendio inveniuntur quamlibet proxime. Hinc ex. gr. inventum, quod ſi angulus CGA ſit rectus, & ponatur axis BV partium 10000; erit BA, 21279, non una minus. Curva autem VA, per ſuperius indicata cognoſcitur hic eſſe partium 24142, non una minus.

In his omnibus non niſi ad caſus ſingulares ſolutiones problematum dedi, vitandæ prolixitatis ſtudio, & quoniam non dubito quin regulas univerſales Viri docti affatim ſint exhibituri. Quod ſi tamen aliquæ ex noſtris requirentur, eas lubenter mittam. Ac jam pridem omnes apud Clariſſimum Virum *G. G. Leibnitium* involucro quodam obtectas depoſui.

SPECIMEN ALTERUM CALCULI DIFferentialis in dimetienda Spirali Logarithmica, Loxodromiis Nautarum, & Areis Triangulorum Sphæricorum: una cum Additamento quodam ad Problema Funicularium, aliisque, per I. B.

TAB. VIII. Fig. I. **D**E *Spirali Logarithmica:* Si in plano circuli BCH jaceat curva BDEIPC, quam ſecent eodem angulo obliquo radii CB, CL &c, ex centro circuli C educti, dicetur Curva hæc *Spiralis Logarithmica*; quoniam ſumtis arcubus LM. MN &c, infinite parvis & æqualibus, hoc eſt, ipſis BL, BM, BN, Arithmetice proportionalibus, radii DC, EC, IC, ſunt Geometrice proportionales, ob Triangula ſimilia DCE, ECI, &c. Spiralis iſthæc jam *Wallisio* & *Barrovio* conſiderari cœpta eſt; nec




Fig: I.





Fig: III.



Digitized by Google

Digitized by Google

nec actum agerem, niſi affinitas illi intercederet cum Loxodromiis ſeu Rumbis Nautarum, quibus dimetiendis nunc occupabimur: ipſamet enim eſſet vera Loxodromica, ſi Terra plana foret.

1. *Longitudo Curvæ:* Centro C deſcribantur arcus EF, IG, PQ, & ducantur rectæ CH, CS & QR, perpendiculares ipſis CB, CD, quæ ſecent tangentes curvæ BH, DS in H, S, & R: ſic erunt Triangula DFE, EGI ſimilia ob angulos FDE, GEI ex hypotheſi æquales, & DFE, EGI rectos; quare CD. DS :: FD. DE :: GE. EI :: FD + GE. DE + EI. &c; hoc eſt :: DC. DIPC: quare DS = DIPC. Eadem opera oſtenditur DR = DIP, adeoque & RS = PC.

Coroll. Quia ſpiralis hæc infinitis gyris circa centrum C convolvitur, patet, curvæ alicui interminatæ poſſe rectam finitam æqualem dari.

2. *Spatium:* Poſitis CB = r, CH = t, BM = x, CE = y. erit r (CM). dx (LM) :: y (CE). $\frac{ydx}{r}$ = EF; hinc EF in $\frac{1}{2}$ EC = $\frac{ydx}{r}$ in $\frac{1}{2}y$ = $\frac{yydx}{2r}$ = ΔECF;

ſed DF (dy). FE $\left(\frac{ydx}{r}\right)$ :: BC (r). CH (t). Unde $ydx = tdy$, adeoque

$\frac{yydx}{2r}$ (ΔECF) = $\frac{tydy}{2r}$; & hujus integrale $\frac{tyy}{4r}$ = omnibus triangulis FCE,

GCI, &c: hoc eſt, ſpatio DIPCD. Si y ponitur = r, erit $\frac{tyy}{4r}$ (= $\frac{1}{4}tr$

= $\frac{1}{2}$ ΔBCH) = toti ſpatio ſpirali BDPCB, repetitis vid. toties portiunculis circa centrum C exiſtentibus, quot gyris ſingulæ communes ſunt.

De Loxodromiis Nautarum: Eſto jam in eadem figura BLDC ſuperficies ſphæræ, C polus, BL æquator, CB, CL &c. meridiani ſecantes curvam BIPC conſtanti angulo FDE, erit Curva hæç dicta *Loxodromica*,

1. *Longitudo Loxodromiæ*: Deſcriptis arcubus æquatori parallelis FE, GI, PQ, ut prius, erit haud abſimiliter: Sinus totus ad ſecantem ang. FDE :: DF. DE :: EG. EI :: DF + EG &c. DE + EI &c. :: hoc eſt, arcus meridiani DQC (complementum elevationis poli loci D) ad longitudinem loxodromiæ DIPC: Et ita quoque arcus DQ ſeu

Digitized by Google

differentia latitudinum locorum D & P, ad partem Loxodromiæ MIP his locis interjectam.

Cor: Hinc portiones Loxodromiæ inter duo quæcunque loca latitudine æquidifferentia ſunt æquales, & generaliter partes Loxodromiæ ejusdem proportionales ſunt differentiis latitudinum inter partium terminos.

Fig. II. Porro ad inveniendam locorum longitudinem ex datis latitudinibus & angulo Rumbi, aut vice verſa: Eſto ABC planum meridiani, A centrum ſphæræ, C polus, AB radius æquatoris ſeu ſinus totus $=r$, BD latitudo loci $=y$, DG radius paralleli æquatoris $=z$; adeoque DE $=dy$, & DF $=dz$, tangens anguli Rumbi & meridiani $=t$, ipſe vero arcus æquatoris BL in *fig. præced:* $=x$, ejusque differentiale LM $=dx$, quibus poſitis, erit primo, $r.\ z::dx\ \frac{zdx.}{r}=$ different. paralleli: deinde $\frac{zdx}{r}.$

$dy::t.r$, adeoque $dy=\frac{zdx}{t}$: denique DE (dy). DF (dz):: AD (r). AG

$(\sqrt{rr-zz})$; unde $dy\left(\frac{zdx}{t}\right)=\frac{rdz}{\sqrt{rr-zz}}$, ac proinde $dx=\frac{trdz}{z\sqrt{rr-zz}}$

quod ſic conſtruitur: Applicetur extremitati radii AC normalis CP$=t$, & per punctum P aſymptotis AC, AB deſcribatur Hyperbola PI: deinde aſſumto in peripheria quadrantis quovis puncto D, agantur DO, DI parallelæ radiis AC, AB, & abſcindatur LM=GI, ductaque AMN ſumatur LO = BN, erit punctum O ad curvam optatam OQ. *Dem:*

A G. AC :: CP. GI vel LM, AL. LM :: AB. BN ſeu LO

$\sqrt{rr-zz}.\quad r::\ t.\frac{tr}{\sqrt{rr-zz}},\quad z.\frac{tr}{\sqrt{rr-zz}}::\ r.\frac{trr}{z\sqrt{rr-zz}},$

quare ſpatium OLVX latitudinis LV ſeu $dz=\frac{trrdz}{z\sqrt{rr-zz}}=$ (ut modo oſtenſum) rdx, & propterea totum ſpatium TBVX$=rx$, ideoque ſpatium hoc applicatum ad radium exhibet rectam æqualem arcui æquatoris, qui differentiam longitudinum exhibet puncti B, & ejus in quo linea loxodromica parallelum per E tranſeuntem ſecat. Non ſecus, ſi la-

Digitized by Google

ſi latitudo loci e quo proficiſceris ſit BD, & ejus in quem per Rumbum datum perveniſti, BR, erit ſpatium OLSQ ad radium applicatum æquale arcui æquatoris, qui differentiam longitudinum dictorum locorum metitur. Præterea datis longitudinibus & latitudinibus loci a quo & ad quem, quæritur *t*, hoc eſt, in quem navis Rumbum dirigi debeat: Reſp. differentia longitudinum duorum locorum eſt ad differentiam duorum aliorum latitudine cum prioribus convenientium, ut tangens anguli prioris Rumbi ad tang. ang. poſt. Etenim deſcripta alia hyperbola YZ & alia curva WK, erit CP. GI (LM) :: AG. AC :: CY. GZ (LH), & permutando CP. CY :: LM. LH :: LM. LA + LA. LH :: BN (LO). BA + BA. BT (LW) :: LO. LW; quod cum ubique valeat, erunt omnes LO, LW; hoc eſt, ſpatio LOQS, LWKS, diviſa per communem radium, hoc eſt, differentiæ longitudinum, ut CP, CY, ſeu ut tangentes angulorum, quos Rumbi faciunt cum meridianis: unde datis latitudinibus BD, BR, ſi fiat, Ut ſpatium LOQS ad radium applicatum, ad datam longitudinum differentiam; ſic data CP ad aliam CY: erit hæc tangens anguli quæſiti.

Conſtructio Problematis ſuccinctior: Extenſo quadrante meridiani BC in rectam $\beta\varkappa$ & abſciſſa quavis $\beta\delta$ = BD, ſi applicetur $\delta\gamma$, quæ ſit ad $\beta\tau$ ſeu *t*, ut AB ad DG, erit curva $\tau\gamma$ ita comparata, ut ſpatium curvilineum $\delta\gamma\pi\varrho$ ad radium AB applicatum ſit æquale arcui æquatoris, qui differentiam longitudinum exprimit locorum, quorum latitudines ſunt $\beta\delta$, $\beta\varrho$, ſeu BD, BR. Cum enim ex conſtructione ſit Fig. II & III.

DG. AB :: $t.\ \delta\gamma$: erit $\delta\gamma = \frac{tr}{z}$; adeoque $\square\ \gamma\delta\epsilon = \frac{trdy}{z} = rdx$ per ſup. oſtenſa, &c.

Præterea, ſi ſpatium curvilineum $\beta\tau\pi\varrho$ adeoque & ſingula $\square\gamma\epsilon \left(\frac{trdy}{z}\right)$ commutari intelligantur in alia parallelogramma, quorum communis altitudo ſit $\beta\tau = t$, erit ſingulorum latitudo reſpectiva $\frac{rdy}{z}$, quæ eſt ad $\delta\epsilon$ ſeu *dy*, ut *r* ad *z* (radius ad ſin. compl. latitudinis $\beta\delta$ vel BD, ſive ut ſecans latitudinis ad radium) quare ut *r* ad *t*, ſic unius

Digitized by Google

parallelogrammuli latitudo $\frac{rdy}{z}$ ad $\frac{tdy}{z}$ (= dx)& ita ſumma omnium ad x loci longitudinem. Hinc ratio perſpicitur conſtructionis *Tabulæ*, quam vocant *latitudinum creſcentium*, qua de vide ſis *Snellium* & P. *Des Chales*.

2. *Spatium Loxodromicum:* Quod portionem ſuperficiei ſphæricæ curvæ Loxodromicæ & polo vel Æquatori interjectum concernit, fiat: $r.p.$ (radius ad peripheriam) $::z.\frac{pz}{r}$ = circumferentiæ paralleli per D tranſeuntis, quæ ducta in latitudinem DE = $dy = \frac{rdz}{\sqrt{rr-zz}}$, exhibet $\frac{pzdz}{\sqrt{rr-zz}}$ aream annuli DE, ejusque integrale $p\sqrt{rr-zz}$ dat ſuperficiem Zonæ ſphæricæ, rotatione arcus BD ſuper axe AG genitæ: Quia $p\sqrt{rr-zz} = p$ in $\sqrt{rr-zz} = p$ in AG, obiter notamus inſigne *Theorema Archimedæum*, quod ſuperficies fruſti ſphæræ cujuslibet æquetur producto altitudinis ejus in peripheriam circuli maximi, & proportionalis partis proportionaliter; adeoque quod ſuperficies portionum inter ſe ſint ut altitudines) hinc $p.dx::p\sqrt{rr-zz}.dx\sqrt{rr-zz}$ (ſeu per ſup. oſtenſa $\frac{trdz}{z}$) = areæ trapezii ſphærici, cujus baſes oppoſitæ ſunt differentiolæ arcuum æquatoris & paralleli; ejus itaque integrale æquale areæ ſpatii curvæ Loxodromicæ & æquatori interjecti: eſt vero integrale ipſius $\frac{trdz}{z}$ = ſpatio hyperbolico; quare ſi aſymptotis AB, AC deſcribatur hyperbola pqr, eadem cum altera PI, erit portio ejus quæcunque pBVr æqualis ſpatio comprehenſo curva Loxodromica, æquatore & meridiano dictam Loxodromicam ad latitudinem BE interſecante; cumque totum ſpatium TBVX ſit æquale rx, hoc eſt, ipſi radio AC in arcum æquatoris x, hoc eſt per modo laudatum *Theor. Archim.* toti triangulo ſphærico duobus meridianis & æquatori

quatori intercepto, ſequitur reliquum $TprX$ æquari ipſi ſpatio, utroque meridiano, loxodromica & polo terminato. *Not.* 1. Lq. LO :: $\frac{tr}{z} \cdot \frac{trr}{z\sqrt{rr-zz}} :: \sqrt{rr-zz} \cdot r ::$ AG. AC. Unde alia habetur conſtructio curvæ OQ. 2. Si duas Loxodromias idem æquatoris parallelus ſecet, & per puncta ſectionum tranſeant meridiani, ſpatia Loxodromiis, meridianis & æquatori utrinque interjecta erunt, ut tangentes angulorum, quos Rumbi conſtituunt cum meridianis; patet, quia ſpatia plurium hyperbolarum, quale $pBVr$; abſciſſa ab eadem EX ſunt ut ipſe Bp.

De Areis Triangulorum Sphæricorum. Eſto ABC Triangulum Sphæricum rectangulum ad C; D polus circuli AC; I Sphæræ centrum; IA, IC, IF radii; AF, DF, DC, DO quadrantes circulorum maximorum; CH, OG, ſinus arcuum CA, OA, ſitque OC pars infinite parva crutis AC: ac ponatur $IA=r$, tangens arcus FE ſeu anguli $BAC=t$, $IH=z$, $HC=\sqrt{rr-zz}$: erit *Fig. IV.*

HC. IC :: HG, OC | IF(ſin.AF).HC(ſin AC)::tang. FE.tang. CB.

$\sqrt{rr-zz} . r :: dz . \frac{rdz}{\sqrt{rr-zz}}$ | $r . \sqrt{rr-zz} :: t . \frac{t}{r}\sqrt{rr-zz}$

per Doctr. Trigon. | ſec. CB. tang. CB :: Rad. ſin. CB

$\sqrt{\frac{ttrr-ttzz+r^4}{rr}} \cdot \sqrt{\frac{ttrr-ttzz}{rr}} :: r . r\sqrt{\frac{ttrr-ttzz}{ttrr-ttzz+r^4}}$

ſin. CB in CO $\left(\sqrt{\frac{trrdz}{ttrr-ttzz+r^4}}\right)$ = BCOL, per ſup. cit. *Theor. Archim.* cujus integrale = areæ Triang. ABC.

Conſtr. Deſcribatur ſemicirculus centro I radio $IM=\frac{r\sqrt{tt+rr}}{t}$ ſeu quartæ proportionali ad tang. & ſec. ang. BAC ac radium IA, tum fiat alia curva PQR ejus naturæ, ut HQ ſit tertia proportionalis ad HN & radium ſphæræ IA, eritque planum AHQR = ſuperficiei Trianguli Sphærici ABC. *Dem*: $IMq - IHq = HNq$

$\frac{ttrr+r^4}{tt} - zz = \frac{ttrr+r^4-ttzz}{tt}$ | HN.

HN. IA :: IA. HQ.

$\frac{\sqrt{ttrr+r^4-ttzz}}{tt},\ r\ ::\ r.\ \frac{trr}{\sqrt{ttrr+r^4-ttzz}}$ adeoque QHG = $\frac{trrdz}{\sqrt{ttrr+r^4-ttzz}}$ = BCOL, &c.

Cor. 1. Planum AIPR (= Triang. Sphær. AEF) applicatum ad radium IA = arcui EF, per *Th. Arch.*

2. Si t = infin. hoc eſt, ang. BAC rectus, erit IM = IA & planum AHQR ad radium applicatum = arcui AC.

Additamentum ad Problema Funicularium.

Poſtquam *Problematis* de *Curva Funicularia* ſolutionem nuperrime exhibuiſſet *Frater*, ſpeculationem iſtam continuo promovi ulterius, & ad alios quoque caſus applicui, quo pacto præter ea quorum tum mentio facta eſt, nonnulla ſeſe obtulerunt, quæ recenſere operæ pretium exiſtimo.

Fig. V. 1. Si craſſities vel gravamina funis aut catenæ inæqualia ſint & ſic attemperata, ut dum eſt in ſtatu quietis, gravamen portionis HI ſit in ratione portionis rectæ utcunque ductæ LM, iisdem perpendiculis HL, IM interceptæ curva AIHB, quam funis vel catena ſic ſuſpenſa proprio pondere format, erit Parabolica. Sin gravamen portionis HI ſit in ratione ſpatii LOPM iisdem perpendiculis HL, IM, intercepti, erit Funicularia AB curva Parabolæ vel Cubicalis, vel Biquadraticæ, vel Surdeſolidalis &c. prout Figura CLO eſt vel Triangulum, vel Complementum ſemiparabolæ communis, aut ſemiparabolæ Cubicalis &c. Quod ſi vero gravamen portionis HI ſit in ratione ſpatii QRST iisdem rectis horizontalibus HQ, IR, abſciſſi, erit Funicularia IB curva aliqua ex genere Hyperbolicarum (recta AG exiſtente una ex aſymptotis) puta vel Apolloniana, vel Cubicalis, vel Biquadratica &c. prout vid. Figura AQT eſt vel Triangulum, vel Complementum ſemiparabolæ communis, aut cubicalis, &c.

2. Si funis ſit uniformis craſſitiei, at a pondere ſuo extenſibilis, peculiari opus eſt artificio: Vocetur portio funis non extenſi, cujus ponderi æquipollet vis tendens imum funis punctum, a, & exceſſus longitudinis, quo portio hæc a dicta vi extenſa non extenſam ſuperat, b, ſuma-

Digitized by Google

ſumaturq; in perpendiculo FA=*a*, & in definita FC=*x*: tum fiat curva DE ejus naturæ, ut ſit applicata CD = $\frac{ab}{\sqrt{2aa+2bx-2a\sqrt{aa+bb+2bx}}}$, ſive a $\frac{\sqrt{aa+bx+a\sqrt{aa+bb+2bx}}}{2xx-2aa}$, (perinde enim eſt) ac ſpatio curvilineo ACDE conſtituatur æquale ▭FG, producanturque rectæ KG, DC ad mutuum occurſum in B; ſic erit punctum B ad requiſitam funiculariam AB. Suppono autem, extenſiones viribus tendentibus proportionales eſſe, tametſi dubium mihi ſit, an cum ratione & experientia hypotheſis illa ſatis congruat. Retinere autem iſtam nobis liceat, dum veriorem ignoramus.

3. Occaſione *Problematis funicularii* mox in aliud non minus illuſtre delapſi ſumus, concernens flexiones ſeu curvaturas trabium, arcuum tenſorum aut elaterum quorumvis, a propria gravitate, vel appenſo pondere aut alia quacunque vi comprimente factas; quorſum etiam Celeberrimum *Leibnitium* in privatis, quibus ſub idem me tempus honoravit, literis digitum opportune intendere video. Videtur autem hoc Problema, cum ob hypotheſeos incertitudinem, tum caſuum multiplicem varietatem, plus aliquanto difficultatis involvere priori, quanquam hic non prolixo calculo ſed induſtria tantum opus eſt. Ego per ſolutionem caſus ſimpliciſſimi (ſaltem in præmemorata hypotheſi extenſionis) adyta Problematis feliciter reſeravi; verum ut ad imitationem *Viri Excellentiſſimi* & aliis ſpatium concedam ſuam tentandi Analyſin, premam pro nunc ſolutionem, eamque tantiſper Logogripho occultabo, clavem cum demonſtratione in nundinis autumnalibus communicaturus. Si lamina elaſtica gravitatis expers AB, uniformis ubique craſſitiei & latitudinis, inferiore extremitate A alicubi firmetur, & ſuperiori B pondus appendatur, quantum ſufficit ad laminam eouſque incurvandam, ut linea directionis ponderis BC curvatæ laminæ in B ſit perpendicularis, erit curvatura laminæ ſequentis naturæ: Fig. VI.

Qrzumu bapt dxqopddbbp poyl ſy bbqnſqbſp lty ge mutds udtbb tubs tmixy yxdkſdbxp gqsrkſgudl bg ipqandtt tcpgkbp aqdbkzs.

Fig. VII. 4. Iſtis vero omnibus multo ſublimior eſt ſpeculatio de *Figura veli vento inflati*; quanquam cum *Problemate Funiculario* eatenus affinitatem habet, quatenus venti continuo ad velum adlabentis impulſus ceu funis alicujus gravamina ſpectari poſſunt. Qui naturam preſſionis fluidorum intellexerit, haud difficulter quidem capiet, quod portio veli BC, quæ ſubtenſam habet directioni venti DE perpendicularem, curvari debeat in arcum circuli. At qualem curvaturam induat reliqua portio AB, ut difficilis eſt perquiſitio, ſic in re nautica eximii prorſus uſus futura eſt, ut præſtantiſſimorum Geometrarum occupationem juxta cum ſubtiliſſimis mereri videatur. Cæterum in his Problematibus omnibus, quæ quis nequicquam alia tentet methodo, calculi *Leibnitiani* eximium & ſingularem plane uſum eſſe comperi, ut ipſum propterea inter primaria ſeculi noſtri inventa cenſendum eſſe æſtimem. Quanquam enim, ut nuper innui, anſam huic dediſſe credam calculum *Barrovii*, qualem appello, qui ab hujus viri tempore paſſim fere apud Geometras præſtantiores invaluit, quemque etiamnum *Nobiliſſimo Tzſchirnhauſio* ſolemnem eſſe video: hoc tamen non eo intelligendum eſt, quaſi utiliſſimi inventi dignitatem ullatenus elevare, aut *Celeberrimi Viri* laudi meritæ quicquam detrahere & aliis aſcribere cupiam; & ſi quæ conferenti mihi utrumque intercedere inter illos viſa eſt affinitas, ea major non eſt, quam quæ faciat, ut uno intellecto ratio alterius facilius comprehendatur; dum unus ſuperfluas & mox delendas quantitates adhibet, quas alter compendio omittit: de cætero namque compendium iſthoc tale eſt, quod naturam rei prorſus mutat, facitque ut infinita per hunc præſtari poſſint, quæ per alterum nequeunt: præterquam etiam quod ipſum hoc compendium reperiſſe utique non erat cujusvis, ſed ſublimis ingenii & quod Autorem quam maxime commendat.

JACOBI USSERII ARMACHANI ARchiepiſcopi hiſtoria dogmatica controverſiæ inter Orthodoxos & Pontificios de Scripturis & Sacris vernaculis nunc primum edita. Acceſſerunt ejusdem diſſertationes duæ de pſeudo Dionyſii ſcriptis & epiſtola ad Laodicenos antehac inedita. Deſcripſit, digeſſit & notis atque auctario locupletavit Henricus Wharton ArchiEpiſcopo Cantuarienſi a Sacris Domeſticis.

Londi-

Digitized by Google

Londini typis R. R. impenſis Richardi Chiſvvell, ad inſigne roſæ coronatæ in cœmeterio S. Pauli 1690, in 4. plag. 61.

CUm Pontificii linguarum vernacularum uſum in Scripturæ translationibus & publico ſacrorum cultu improbent, longe aliam Eccleſiæ ab omni ævo ſententiam fuiſſe, Epiſcopus Armachanus in poſthumo hoc tractatu prolixe probat, ut adverſarii, cum alias Reformatorum rationes variis argutiis eludere nitantur, ſaltem tot Veterum oraculis, & hiſtoria praxeos per tot ſeculorum centurias continuata confundantur. Et primo quidem capite veterum Hebræorum ſententiam, ac deinde c. 2 & 3 Græcorum & Latinorum Patrum, qui ad annum usque ſexcenteſimum floruerunt, teſtimonia adducit. Antequam vero ad ſequentia ſecula deſcendat, c. 4 nonnulla de Pontificii erroris origine interfatur, obſervans imperioſam civitatem Romam ſcilicet una cum jugo etiam linguam ſuam domitis gentibus per ſpeciem ſocietatis impoſuiſſe, & Romanos Pontifices imperium imitatos, ut Romanæ linguæ uſus in eccleſiaſticis officiis receptus Romanæ autoritatis in gentibus propagatæ indicium foret, non minori ſedulitate curaſſe, & Carolum M. id negotii haud parum promoviſſe, qui, cum Romana lingua in provinciis Romano Imperio ſubjectis per barbarorum incurſiones corrupta admodum fuiſſet, diſſonantia cantus eccleſiaſtici inter Gallos & Romanos offenſus per duos Clericos, qui cantum a Romanis didicerunt, Metenſem primum eccleſiam & deinceps omnem Galliam ad Romani cantus autoritatem revocavit. Origine erroris explicata ad eccleſiæ teſtimonia redit, & c. 5 orthodoxam ſententiam de Scripturis & Sacris vernaculis e novem poſtremis a Chriſti adſcenſione usque ad reformationis tempora ſeculis confirmat, ut oſtendat, nunquam veritatis teſtes defuiſſe, qui peregrinam linguam in ſacris improbaverint, & Scripturam omnibus legendam inculcaverint, ideoque etiam in linguas vernaculas vel ipſi tranſtulerint, vel ab aliis translatas commendaverint. Contrariam eccleſiæ Pontificiæ ſententiam & praxin, & ſævam Orthodoxorum S. Scripturam legentium perſecutionem ſuperiore ſeculo agitatam, ex nonnullis Anglicorum Antiſtitum regiſtris aliisque monumentis c. 6 breviter exponit, quam Conciliorum canonibus multisque juris civilis & canonici decretis & plurimorum Imperatorum ac Regum ſanctionibus adverſari c. 7 oſtendit. Capite, quod proxime ſequitur, octavo Scripturam

ram S. paſſim in vulgares linguas jam olim translatam fuiſſe ex Chaldaicis, Græcis, Gothicis, Syriacis, Armenis, Æthiopicis, Ægyptiacis, Perſicis, Arabicis, Dalmaticis plurimisque aliis Sacrorum Scriptorum verſionibus demonſtrat, & ex variarum gentium liturgiis primitivam eccleſiam commune officium vulgari lingua celebraſſe probat. Nono capite cum Pontificiis laicos a Scripturæ lectione arcentibus, & biblia in vulgares linguas translata inter libros prohibitos referentibus aut ad ignem damnantibus, comparat Jojakimum Jerem. XXXVI, 23; Antiochum 1. Macc. I, 59; Diocletianum, de quo Euſeb. lib. 8, c. 2; Georgium Cappadocem, de quo Athanaſius in epiſtola ad Orthodoxos agit, nec non veteres quosdam hæreticos quos Tertullianus de reſurrect. carn. c. 47 Scripturarum lucifugas appellat, aliosque Sacrorum Codicum adverſarios, quibus etiam Ulpianum & Paulum Jureconſultos annumerat, cum ille ſub libris improbatæ lectionis, hic ſub libris magicis etiam Scripturam Sacram comprehendiſſe videatur. Decimo denique eoque ultimo capite nonnulla adverſariorum teſtimonia producit. Et hunc Uſſerii tractatum Clariſſimus Whartonus non ſolum in ordinem digeſſit, & brevibus ſcholiis illuſtravit, ſed inſigni etiam auctario locupletavit, quod antequam recenſeamus, de interjectis duabus Epiſcopi Armachani diſſertationibus nonnihil referemus. Harum prior agit *de ſcriptis, quæ vulgo ſub Dionyſii Areopagitæ nomine circumferuntur*, quæ pſeudepigrapha eſſe pluribus rationibus evincit. De ætate autem pſeudo-Dionyſii diſſerens *Magdeburgenſium* ſententiam, qui ad 4 ſeculum hunc ſcriptorem retulerunt, tum veram eſſe dicit, ſi Apollinarius hæreticus librorum iſtorum Autor ſtatuatur, quod a Græcis nonnullis factum *Laurentius Valla* in annotationibus ad Act. 17 obſervavit. Ipſe autem hunc Pſeudo-Dionyſium ad quintum ſeculum referre mavult. Diſſentit igitur hæc Uſſerii diſſertatio ab ejusdem bibliotheca Theologica manuſcripta, in qua librorum Dionyſio Areopagitæ ſuppoſitorum autorem eſſe Apollinarium probare conatus eſt, ut Whartonus indicat, qui bibliothecæ illius Theologicæ legendæ copiam ſibi quondam datam, impræſentiarum vero denegatam addit, interim tamen ex eadem inſignem Uſſerii de *Johannis Scythopolitani* & *Maximi* in Dionyſium ſcholiis obſervationem excerpit, quam in uſum Cl. *Cavei* quondam inde tranſcripſerat. Animadvertit nimirum Uſſerius Johannis Scythopolitani

tani

Digitized by Google

tani & S. Maximi in Dionyſium ſcholia a Morellio & deinceps ab aliis ſimul confuſa fuiſſe, & uni Maximo tributa, cum olim non ſolum in antiquioribus exemplaribus, quæ Cypariſſiotæ tempore ferebantur, ſed etiam in utroque, quo ipſe Morellius uſus eſt, codice diſtincta fuerint. Obſervat præterea Johannis Scythopolitani ſcholia illa ipſa eſſe, quæ nonnulli Dionyſio Alexandrino tribuerunt. Id probat ex ſententia quadam, quæ a Cypariſſiota ex Dionyſii ad ſcriptorem ſibi cognominen ſcholiis allegatur, & in Johannis Scythopolitani Scholiis totidem verbis reperitur. Quod autem Scythopolitani illa ſit ſententia, non Maximi, confirmat ex Latina verſione ſcholiorum Scythopolitani a Roberto Lincolnienſi facta, quæ in bibliotheca Collegii Corporis Chriſti apud Oxonienſes manuſcripta aſſervatur. Brevior eſt altera Uſſerii diſſertatio *de epiſtola Pauli ad Laodicenſes*. In ea inquirit, cur Marcionitæ epiſtolam Pauli, quæ ad Epheſios inſcribitur, pro epiſtola ad Laodicenos habuerint. Cauſam eſſe dicit verba Pauli Col. IV, 15, 16 collata cum his duabus rationibus, quod 1. epiſtola ad Coloſſenſes cum ea quæ ad Epheſios ſcripta eſt, ejusdem argumenti ſit, & 2. eodem tempore utraque ſcripta videatur. Obſervat præterea, quod in epiſtola ad Epheſios c. I, v. 1, verba ἐν Ἐφέσῳ in antiquis nonnullis exemplaribus defuiſſe, ex Baſilii libro 2. adverſus Eunomium colligi poſſit.

Duplicem hanc diſſertationem excipit *Henrici Whartoni auctarium* ad Uſſerii hiſtoriam dogmaticam de Scripturis & Sacris vernaculis. In auctario capitis 1, quo veterum Hebræorum ſententiam Uſſerius recenſuit, de ætate Judæorum ab Uſſerio allegatorum nec non de variis Bibliorum verſionibus, quæ a Judæis & Samaritanis adornatæ ſunt diſſerit, & inter alia *Bartolocci* ſententiam refutat, qui Scripturæ lectionem Judæis quondam interdictam fuiſſe probaturus, arbitratur puncta quidem Hebraica a prima linguæ origine in uſu fuiſſe & in profanis ac civilibus ſcripturis paſſim uſitata, ſacræ autem Scripturæ codices ſine punctis conſulto exaratos fuiſſe, ut tantũ a peritioribus & doctioribus legi atq; addiſci poſſent, & ne quis idiota ſine Magiſtro aut Doctore legem pervolvere auderet, ſed ad Sacerdotes ſciſcitandi gratia confugere cogeretur. Cui Whartonus reſpondet, punctorum defectum a Scripturæ ſcientia populum Judaicum removere minime potuiſſe, cum in aliis etiam orientalibus linguis puncta deſint, neque in communi etiam

uſu adhibeantur & nemo tamen tam bardus ſit, qui linguæ maternæ ſolis conſonantibus deſcriptæ proprias vocales apponere nequeat, neque probari poſſe ſacri & profani ſeu communis characteris apud Judæos diſtinctionem, quam eruditiſſimus Waltonus in prolegomenis ad biblia polyglotta invicte refutaverit. In auctario capitis 2 & 3 nonnulla Græcorum & Latinorum Patrũ, qui 6 prioribus ſeculis vixerunt, teſtimonia ab Armachano Antiſtite prætermiſſa profert. Et Græcis quidem Patribus etiam *Autorem teſtamenti 12 Patriarcharum* annumerat, cujus ætatem præciſe determinari non poſſe, & id ſolum ſibi liquere ait, quod Origene, a quo allegatus, antiquior, & Chriſto poſterior ſit. Minime enim dubitat, quin Chriſtianus fuerit, etſi Judaicam ſectam ſimulet, & nonnullis impoſuerit, ut eum Judæum fuiſſe & Hebraice ſcripſiſſe exiſtimaverint. In auctario capitis 4 quod de origine erroris Pontificii agit, obſervat, Autorem linguæ ignotæ in ſacris introductæ, & certam mutationis hujus epocham indicari non poſſe, cum abuſus ille non ſimul & ſemel ſed paulatim in eccleſiam invectus fuerit, & alias regiones citius, alias ſerius occupaverit. Dixerat Uſſerius, Romanum Ordinem & Pſalmodiam a Carolo M. in eccleſiis Gallicanis introductam, at Whartonus, etſi eam rem a Carolo M. maxime promotam & conſummatam non diſſimulet, a Pipino tamen cœptam aſſerit, quem ipſe Carolus in conſtitutione de emendatione librorum eccleſiaſticorum ob unanimitatem Apoſtolicæ ſedis Gallicanum cantum ſuſtuliſſe, & Galliarum eccleſias Romanæ traditionis cantibus decoraſſe ſcribit. Interim plebis inſtructioni non uno modo cautum fuiſſe Whartonus obſervat, cum Caroli M. ætate inter linguam Latinam & Ruſticam Romanam non tanta diverſitas fuerit, quin populus Miſſam Latinam toties recitatam intelligere potuerit, & poſtea, ex quo Latina lingua apud plebem penitus exolevit, non ſolum officia divina a Sacerdotibus vernacula lingua in cœtibus eccleſiaſticis expoſita fuerint, ſed ſcholæ etiam paſſim fundatæ, in quibus pueri cujuscunque ſortis Latinam linguam gratis diſcerent. Auctarium capitis 5 plura teſtimonia pro Scripturis & Sacris vernaculis ex ſeptimi & ſequentium ſeculorum ſcriptoribus collecta continet. In horum numero *Cednomus*, cujus paraphraſin Saxonicam in Geneſin & præcipuas S. Scripturæ hiſtorias Franciſcus Junius Amſtelodami A. C. 1655 evulgavit, & quem Johannes Tinmuthenſis in hiſtoria aurea MSC. divinitus

vinitus

Digitized by Google

vinitus edoctum in lingua patria carmina, ut loquitur compunctiva tam feliciter ſcripſiſſe refert, ut nemo illi in his æquiparari potuerit. Primus quem ex octavo ſeculo Whartonus producit, eſt *Aldbelmus* Epiſcopus Schirburnenſis cujus epiſtolam ad Ehfridum hactenus ineditam exhibet. Eam quondam ex codice monaſterii Abendonienſis, qui poſtea ad doctiſſimum virum Thomam Allen Oxonienſem tranſiit, deſcripſerat Uſſerius, & cum aliis tribus codicibus in bibliotheca Regia Cottoniana & D. Wilhelmi Hovvard de Navvorth inventis accurate contulerat. Hoc apographum inter laceras quasdam ejus ſchedas mutilatum quidem Whartonus invenit, ſed quæ in fine deerant, ex Abendonienſi Codice ſupplevit, & Cottoniano contulit, ut integram evulgare poſſet. Ad idem ſeculum pertinet Venerabilis *Beda*, ex quo loca quidem nonnulla protulit Armachanus, ſed Whartonus alia ſuperaddit ex commentario ad 21 priora Geneſeos capita, qui ſi expoſitionem capitis 1 ſeu commentarium in hexaemeron excipiamus, inter Bedæ opera hactenus nondum comparuit, item ex expoſitione ſuper canticum Prophetæ Habacuc itidem MSC, & aliis quibusdam Bedæ monumentis. Inter Scriptores 9 ſeculi floruit *Otfridus* Wiſſenburgenſis Monachus, de quo Uſſerius ex Trithemio notaverat, quod ad Luitbertum Moguntinum Archiepiſcopum quatuor libros evangeliorum metrice in lingua Teutonica quibusdam regulis formata ſcripſerit, & quod hoc opus inſcripſerit: *gratia Dei Theotiſce*, & quod hanc evangeliorum expoſitionem *Achilles Gaſſarus* evulgaverit. At Whartonus in auctario ſuo obſervat, Otfridi opus non eſſe verſionem evangeliorum, ſed diateſſaron ſeu harmoniam evangeliorum rythmis germanicis concinnatam, & in libros non quatuor ſed quinque diſtributam, neque titulum operis fuiſſe: *gratia Dei Theotiſce*, ſed: *volumen evangeliorum*, occaſionem autem falſi tituli inde natam, quod Otfridus in limine veterum exemplarium dicat, ſe id opus Gratia Dei Theotiſce compoſuiſſe. Notat inſuper Achillem Gaſſarum, qui opus illud Otfridi edidit, non alium fuiſſe, quam *Flacium Jllyricum*, codice admodum mendoſo & hiulco uſum, cujus lacunas ex Vindobonenſi codice in ſuis de Cæſarea bibliotheca commentariis *Lambecius* ſupplevit. Addit Otfridum hoc opus non ſolum Luitberto Archiepiſcopo Moguntino, ſed etiam Salomoni ejusdem Deceſſori & Ludovico Franciæ Orientalis Regi nuncupaſſe, & rythmicam evangeliorum verſio-

verſionem, quam *Waldoni Friſingenſi* Epiſcopo Armachanus Beati Rhenani ductum ſecutus tribuit, non aliam eſſe, quam ipſam Otfridi harmoniam, quam Waldo Sigefridi Presbyteri manu deſcribi fecit. De *Methodio* & *Cyrillo* ad idem ſeculum pertinentibus parum accurate Armachanum tractaſſe, Auctarii Autor animadvertit. Id conſtare dicit, quod Methodius & Cyrillus Sclavis a ſe converſis S. Scripturam & liturgiam in lingua vernacula tradiderint, quod autem Latinam liturgiam abrogaverint, purum putum commentum videri, quum Slavi nullam antea liturgiam habuerint, quam a Methodio & Cyrillo converſi eſſent. Id probat ex annalibus manuſcriptis Andreæ Dandali a Lucio lib. 2 de regno Dalmatiæ citatis, & ex hiſtoria Presbyteri Diocleatis, quam Maurus Orbinus operi ſuo de regno Slavorum Italice ſcripto incluſam publicavit. Extare autem dicit in bibliotheca Lambethana codicem literis Slaviçis, quales a Cyrillo inventæ perhibentur, pulcherrime exaratum, acta Apoſtolorum & quædam alia cum liturgia ad finem addita continentem, neque tamen certo affirmare audet, quod illa verſio Cyrillum autorem habeat. Cæterum Johannem VIII, quem Uſſerius ob datam Slavis ſacra vulgari lingua celebrandi licentiam inter teſtes veritatis numeraverat, Whartonus invitum id feciſſe auguratur, veritum ſcilicet, ne Slavi, ſi ipſorum deſideriis non obtemperaret, Patriarchæ Conſtantinopolitano Bulgarorum exemplo ſe ſubmitterent, quem in finem etiam aſtutus Papa Methodium honorifice habitum Romæ detinuerit. Ad finem decimi & initium undecimi ſeculi refert *Ælfricum* Abbatem, qui Saxonicæ Geneſeos verſioni inſignem præfationem præmiſit, qua translationem S. Scripturæ in linguas vernaculas adverſus eos, qui pravum imperitorum intellectum objicere ſolent, ſtrenue vindicat. Eam hactenus ineditam una cum interpretatione Latina, quam ex viri doctiſſimi & literarum Saxonicarum peritiſſimi Georgii Hickeſii Decani Wigornienſis Anglicana verſione expreſſit, publici juris facere operæ pretium cenſuit. Sub Canuto Angliæ & Daniæ Rege biblia in Danicam quoque linguam translata fuiſſe, ex codice bibliothecæ Cottonianæ probat, qui Canuti quondam fuit, & Danico ſermone harmoniam quatuor evangeliorum complectitur. *Berengarii* Andegavenſis Archidiaconi teſtimonia ex ejuſdem in Apocalypſin commentario dum profert, non diſſimulat, in manuſcriptis quibusdam codicibus iſtam Apocalypſeos expoſitionem non Berengario

gario ſed *Beringuedi* vel *Berengaudo* adſcribi, cui etiam a Cl. Cave in Hiſtoria Literaria hunc tractatum adjudicari notat. Veretur autem Whartonus, ne Monachorum vel ignorantia vel odio adverſus Berengarium Beringuedis nomen confictum fuerit, cum aliunde de Beringuede vel Berengaudo nihil plane conſtet, & Pitſæus in appendice ſua, ac Boſtonus Burienſis in catalogo manuſcripto ſcriptorũ eccleſiaſticorũ de Beringuede & Berengaudo nihil aliud dicendum habeant, quam quod ejus nomen manuſcriptis quibusdam codicibus præfixum invenerint. Suam autem ſententiam de Berengario Johannis Subprioris autoritate confirmat, cujus in Apocalypſin commentarius in bibliotheca Lambethana manuſcriptus aſſervatur. In illius enim prologo cæteris Apocalypſeos interpretibus Berengarium adnumerat, & ſubinde ampla fragmenta inde tranſcribit. Adducitur etiam inter teſtes undecimi ſeculi *Ivo Carnotenſis*, ejusque liber de eccleſiaſticis officiis, qui in Lambethana bibliotheca manuſcriptus extat. Ex hoc ipſo autem manuſcripto Whartonus deprehendit, Ivonem autorem eſſe operis, quod ſub *Micrologi* nomine allegari ſolet. Equidem octo priora illius codicis capita, quæ de nocturnis vigiliis, de matutinis laudibus, de prima, de tertia, de ſexta, de nona, de veſpertina ſynaxi, & de completione inſcribuntur, nondum, quod ſciat, prodierunt; at ſequentia capitula 62 Micrologum conſtituunt, quibus in manuſcripto codice additur capitulum de Miſſa & ſingularum ejus partium autoribus, quod in Micrologo deſideratur. Eſt autem codex iſte præclaræ vetuſtatis & Ivone ipſo haud multo inferior, & in fronte iſtiusmodi titulum præfert: *liber Ivonis Carnotenſis Epiſcopi de eccleſiaſticis officiis.* Inter Scriptores 13 ſeculi, qui a Whartono pro Scripturis & ſacris vernaculis adducuntur, comparet *Rogerus Bacon*, cujus epiſtolam de laudibus S. Scripturæ ad Clementem IV bibliotheca Lambethana tenet. Obſervat autem, Autorem illum portentoſa quædam & impoſſibilia in prolixa illa epiſtola comminiſci. Non enim tantum neceſſarium eſſe docet, ut omnes Chriſtiani ſacram Scripturam tanquam fidei ſuæ fontem & regulam perfecte ſciant, ſed etiam fontes Hebraicos & Græcos ab omnibus conſulendos aſſerit. Et quamvis incredibile videatur, ut ſinguli Chriſtiani linguarum iſtarum notitiam ſibi comparare poſſint, id tamen Baconus factu perquam facile eſſe perſuadere ſuis Lectoribus cupit, imprimis cum ſe Grammaticam quandam univer-

Digitized by Google

ſalem inveniſſe glorietur, cujus ope intra paucisſimos dies quilibet linguam Hebraicam, Græcam, Latinam & Arabicam addiſcere queat; & ut omnes, quod legunt, etiam intelligant, ſe opus quoddam manuductorium ſeu præliminare ad promovendam S. Scripturæ intelligentiam editurum ſpondet, enixe Pontificem orans, ut artificium ſuum ſummis omnium votis expetitum & frequentibus vaticiniis confirmatum, apoſtolica autoritate confirmet, & univerſæ eccleſiæ commendet, unde innumera in eccleſiam beneficia redundatura minime dubitat. Inter Scriptores ſeculi 15 occurrit *Gualterus Hilton*, Carthuſianus Anglus, in cujus laudem non parum cedere ait, quod celeberrimum illud opus de imitatione Chriſti non minus æquo jure ſibi vendicare poſſit, quam Thomas Kempenſis, & quivis alius. In auctario capitis 6. de perſecutionibus orthodoxorum commemorat inſtrumentum A. C. 1530 a *Gulielmo Warhamo* Archiepiſcopo Cantuarienſi confectum, & Notariorum publicorum ſubſcriptionibus confirmatum. Narrat in ejus præfatione Archiepiſcopum Henrici Regis conſilium explicare, quod nimirum late ſerpenti hæreſeos veneno obicem poſiturus plures Præſules, Doctores, & Theologos congregaverit, ut libros quoſdam vernaculos examini ſubjicerent, & cenſura notarent. Refert porro, poſt hæreſes & blaſphemias ex variis libris excerptas & ſigillatim notatas, e quibus quatuor tantum ſpeciminis loco apponit, Regis interdictum ſequi, quo hæreſes illæ una cum libris illas continentibus, & translatione Scripturæ per Gulielmum Tindallum adornata prohibentur & damnantur, & ut hoc decretum plebi innoteſceret, monitorii cujusdam formulam, quæ a ſingulis Sacerdotibus e ſuggeſtu prælegeretur, compoſitam fuiſſe, in qua omnes & ſinguli, ut libros iſtos damnatos, & in his Anglicam Novi Teſtamenti verſionem Curatis ſuis traderent, ſub gravi pœna admoniti fuerunt, ac ne quis injuriam ſibi fieri quereretur, Epiſcopos & alios viros doctos a Rege conſultos decreti illius juſtitiam concordi ſuffragio approbaſſe. Dolet autem Whartonus, Pontificios non ſolum ſacros codices Chriſtianorum manibus excutere conatos, ſed etiam poſtea falſarias iisdem manus intuliſſe. Prodiiſſe dicit a triginta annis in Gallia plures Scripturæ verſiones vernaculas a Theologis Pontificiis elucubratas, & vix ullam in his ſinceram & fraudis immunem reperiri. Præ cæteris autem notat verſionem Novi Teſtamenti a Theologis

Digitized by Google

Jegis Lovanienſibus confectam, & A. C. 1686 typis Burdigalenſibus excuſam. Ex ea nonnulla corruptelarum ſpecimina ſeligit. Cum enim in vulgata, ex qua Lovanienſes Gallicam ſuam verſionem ſe expreſſiſſe dicunt, Act. XIII, 2, legitur: *miniſtrantibus autem illis Domino*, Gallica ſic habent: *or comme ils offroient au Seigneur le ſacrifice de la Meſſe*, i. e. offerentibus autem illis Domino ſacrificium Miſſæ. Sic I. Cor. III, 15. in Lovanienſium verſione legitur: *mais il ſera ſauve ainſi toutefois comme par le feu du Purgatoire*, cum tamen in vulgata nulla hic purgatorii mentio occurrat. Sic I. Tim. IV, 1. Gallica verſio pro apoſtaſia a fide, apoſtaſiam a fide Romana poſuit, ut cætera taceamus. In auctario capitis 7. nonnulla Conciliorum decreta pro Scripturis & ſacris vernaculis per modum ſpicilegii recenſentur. In auctario capitis 8. verſiones quædam Bibliorum, quorum notitia illuſtriſſimum Hiberniæ Primatem fugerat, commemorantur, & in his Biblia Moſcovitica A. C. 1581. characteribus Slavicis ſeu Cyrillianis Oſtroviæ impreſſa, in cujus præfatione interpres pro conceſſis viribus Deo gratias agit, cui orationi Baſilii Magni Ducis admonitio ſuccedit, qua omnibus catholicis linguæ Slavicæ peritis hæc Biblia commendat.

NOUVELLES CONJECTURES SUR LA Peſanteur, par Monſieur Varignon de l' Academie Royale des Sciences, & Profeſſeur de Mathematique au College Mazarin. i. e.

Dn. Varignoni novæ Conjecturæ circa gravitatem.

Pariſiis apud J. Boudot, 1690, in 12. Plag. 33½.

AUthor præmittit brevem diatypoſin totius ſyſtematis, quæ huc redit: ſupponit gravia non habere naturalem inſtinctum tendendi deorſum, ſed indifferenter ſe habere ad motum in quamcunque plagam inſtituendum; unde deſcenſum illorum proficiſci concludit a corporis alicujus externi preſſione. At cum Luna cæterique Planetæ, quanquã ſint vaſtisſima & ſolidiſſima corpora, non tamen decidere cõſpiciantur, infert, exilitatem & ſubtilitatem corporum non ſufficere ad hoc ut gravitatis ſint expertia, ſed fieri poſſe, ut maxima quoq; corpora in certa a Terra diſtantia poſita gravitate careant. In qua ſententia confirma-

Digitized by Google

tus fuit experimento, quod recenſente in Epiſtolis Carteſio, Pater Merſennus cum Dn. Petito ſæpius iterata vice inſtituerat circa majus tormentum bellicum, quo perpendiculariter erecto & diſploſo globum ejusve veſtigia fruſtra in terra quæſivere, argumento eum non recidiſſe, ſed etiamnum in aere hærere ſuſpenſum. Miri hujus effecti ut inveniret cauſam, ſuppoſuit gravia pelli verſus terram a materia quadam inviſibili proximeque ambiente, hoc eſt, ab aeris particulis ſeu grosſioribus ſeu ſubtilioribus ſeu utrisque; at cum corpora undique ab aere cingantur, hactenus nullam perſpexit rationem, quare potius Terram quam Cœlum verſus pelli deberent, donec tandem principium aliquod inæqualitatis animadvertere ſibi videretur. Fingit aerem iſtum cingi in extrema regione ingenti fornice ſolido & impenetrabili, aerem moveri in omnes partes conceptibiles æqualiter, inque aere ſuſpenſum hærere cubum Terræ tamen quam fornici multo propiorem. Quibus poſitis apparet, cubum in nullam plagarum lateralium moveri posſe, cum ab ortu & occaſu, meridie ac ſeptentrione æqualiter prematur; at hedræ ſummæ & imæ diſpar ratio eſt, adeo ut cum prior a multo majore aeris columna impellatur quam poſterior, cubum propterea deorſum ferri & quidem ſecundum perpendiculum neceſſum ſit; quo oſtenſo difficultatem diluit reſpondendo quærenti, qui fieri poſſit, ut etiam partes remotisſimæ hujus columnæ in cubum agere queant. Colligit hinc 1. quod ſi cubus ſtatuatur loco intermedio inter terram & fornicem, ibi quieturus ſit ob columnarum ſupernæ & infernæ æqualitatem: 2. ſi collocetur prope fornicem, non tantum non deſcenſurus ſed aſcenſurus ſit: 3. quod futurus ſit nunc magis nunc minus gravis, prout videlicet terræ fornicive propior a magis minusve alta aeris columna deſuper premitur. 4. quod ob reſiſtentiam aeris fieri quoque posſit, ut circa ejus medium ſat magnum plurium leucarum relinquatur ſpatium, in quo conſtitutum grave necdum aſcendat nec deſcendat, quod vocat *ſpatium quietis corporum gravium leviumve*, in quo globum Merſennianum (ſi vera ſit hiſtoria) ſubſtitiſſe judicat. Rationem etiam hinc patere arbitratur, cur Luna nec accedat nec recedat a nobis, itẽ cur cæteri Planetæ non accedant ad ſe invicem; quoniam videlicet vaſta hæc corpora ad findendum fluidum, quo ambiuntur, plus virium requirerent quam a columnarum inæqualitate accipere poſſunt. 5. quod alius ejusdem magnitudinis cubus, ſed ubique perforatus, ob tranſitum liberum quem permittit plurimis aeris vel materiæ ſubtilis filamentis,

minus

minus gravitate valeat quam prior, quod hinc lignum viride ſicco, metallum ligno gravius ſit. Infert hinc etiam, baculos ejusdem materiæ & craſſitiei, ſed diverſæ longitudinis, ad perpendiculum erectos æquiponderare, quin & (ſi accuratius loquamur) breviorem longiori præponderare debere, in eadẽ videlicet a terra diſtantia, eo quod utriq; immineant paria numero filamenta aerea eo longiora quo brevior eſt baculus. Quibus explicatis oſtendit, cur aqua aere licet gravior per vapores aſcendat, cur ſaccharum in aqua aut metalla in liquoribus acidis diſſoluta ſuperiora petant, cur lignum per fumum in ſublime feratur? Denique rationem explicat ex iſtis principiis, pluviæ, tonitrus, fulguris &c. tandemque fornicem illum, quæ pura mentis fictio fuit, iterum tollit, ejusque officium præſtare poſſe innuit circumferentiam vicinorum vorticum, qui rapidiſſimo ſuo motu impediant, quo minus aer noſtri vorticis in ipſos expelli poſſit.

HIERONYMI VITALIS, CLERICI Regularis, Lexicon mathematicum &c.

Romæ, apud Joh. Vannaccium, A. 1690. in 4. Conſtat plagulis 141.

TRes & viginti ſunt anni, ex quo *Autor* Lexicon Mathematicum Pariſiis primum in lucem emiſit; ſed Geometricum fere & Aſtronomicum, cum plurima farragine terminorum Arabicorum, Ægyptiorum & Barbarorum, ex Aſtrologia veteri depromtorum. At vero Operis dignitati, votisque hominum doctiorum conſulturus, *Universale Lexicon Mathematicum* adornare poſt cœpit, quod Erudito Orbi ſuperiore anno publice exhibuit. In hoc priſtinum inſtitutum adeo mutavit, ut in eo prius illud parum agnoſcas: cum vix quarta pars terminorum utrique editioni ſit communis. Conſtat enim prior 1345, poſterior 1269 titulis ſeu locis, quorum tantum 306 utrobique, immutata tamen in hac ſæpius, aut aucta exegeſi, extant, reliqui uniuscujusque editionis ſunt proprii.

Atque ut, quæ juvenili olim, ut *ipſe* fatetur, ardore & feſtinatione indigeſta appoſuerat, hic recoxit Autor; ſic & lacunas ibi obvias ſolicite nunc replere, ſenteſque & inutiles herbulas evellere ſtuduit. Pro inanibus ergo Genethliacorum commentis, aut etiam vulgo notis, utiliora variarũ diſciplinarũ mathematicarum argumenta repoſuit, iisq;

 promtua-

promtuarium hoc ſuum locupletavit. Cæterum doctrinæ ordinem Lexicis domeſticum retinuit, diſpoſitis juxta alphabeti ſeriem titulis: tractatione vero ſic inſtituta, ut plus quam Lexicographus ſubinde præſtitiſſe non immerito cenſendus ſit. Præcipue vero *Architectonicen* utramque exornandam ſibi ſumſiſſe *Autorem* Lector deprehendet; nec ingrata novitate explicata comperiet, quæ circa militares artes ingenium & induſtria hodiernorum Ingeniariorum protulit, veteribus ignota, nec Scriptorum Latinorum ſtylo multum hactenus frequentata. His aliisque ſparſim *figuræ, æri inciſæ*, ſunt adjectæ, oculorum illecebræ, & intellectus adjumenta. Præmiſſi etiam Operi *Indices locorum* ſive *verborum*; *Autorum*, quorum monumentis ſua *noſter* inædificavit; & *quæſtionum amœniorum*, quas extra ſepta mathematica, data occaſione hinc inde diſceptavit.

VAL. HENR. VOGLERI INTRODUCTIO univerſalis in notitiam cujuscunque generis bonorum Scriptorum, cum notis & augmento HENR. MEIBOMII.

Helmeſtadii apud Georg. Wolfg. Hamm. 1691. in 4. Plag. 28.

INter ea quæ ad diſciplinas ac bonas artes literarumque ſtudia ſpectant, haud poſtremum locum ſibi vendicat ſcriptorum librorumque cognitio. Cui comparandæ cum plures libelli in eruditionis ſtudioſorum verſentur manibus, queis veluti indicibus præclari autores & eorum ſcripta in quovis doctrinæ genere recenſentur; tum haud novimus, an utilitate ullus præſtet hunc Voglerianum, poſtquam recentioribus ſcriptoribus & eorum monumentis auctiorem eundem inſtructioremque reddidit doctiſſimus *Meibomius*. Ex hoc enim non duntaxat nominis, ſive ſcriptoris ſive ſcripti, nudam notitiam haurire licet, ſed præterea in penitiorem cujusque cognitionem is deducit, & quomodo in argumento, quod quisque ſibi tractandum delegit, ſe geſſerit, exponit. Editus eſt viginti abhinc annis ab Autore, non eo animo, ut notitiam omnium Scriptorum daret, ſed ut oſtenderet, qua ratione in ejusmodi cognitionem pervenire poſſint, qui eam expetunt. Pluribus interea editis *Morhofii*, *Bailleti*, *Labbei*, *Teiſſerii* libris (quibus addendam exiſtimamus *Thomæ Pope-Blountii* Cenſuram

Digitized by Google

ram, a nobis hoc anno p. 24. memoratâ) magnam cognitioni huic acceſſionem factam eſſe *Meibomius* in Additamentis, quibus amiciſſimi ſui Collegæ (qui vitam A. 1677 cum morte cõmutavit) librum auctiorem dedit, affirmat: quorũ ſcrinia tamen excutere, & ab iis annotata referre clariſſimo Viro propoſitum non fuit, ſed extemporanea opera, quæ in lectione Vogleriani libri, dum is recudebatur, in mentem veniebant, eidem annectere, & quosdam tantum in bibliotheca ſua extantes ſcriptores, Voglero non memoratos, proferre, & quid in hoc argumento ii præſtiterint explicare. In Præfatione *p. 126. ſqq.* oſtendit, notitiam Scriptorum, quæ circa ætatem, patriam, vitæ genus, mores, peritiam, famam, omnem denique vitam verſatur, quæque ingenuitatem librorum inquirit, ita eſſe comparatam, ut ſine ea cum fructu evolvi Scriptores nequeant, nullusque ea, ſive Theologus, ſive Jureconſultus, ſive Medicus, ſive Philoſophus, qui quidem nominum illorum juſtum ambitum implere velit, carere queat. *Pag. 145. ſqq.* de utilitate epiſtolarum eruditarum diſſerit, & earum auctores recenſet, non ſine laude *Ant. Magliabechii*, quo neminem ſtudioſiorem ejusmodi literarum eſſe ex vero prædicat. *Pag. 156.* Bibliothecam Academiæ ſuæ Juliæ commendat, & de ea ſcriptam *Chr. Heidmanni* orationem. *Pag. 157.* Catalogi Bibliothecæ *Thuaneæ*, a Bullialdo digeſti & a Quesnelio editi, laudes & nævos oſtendit. Jungendus ei videtur catalogus Bibliothecæ *Sluſianæ* Romæ anno ſuperiori editus. *Pag. 160. 161. Ant. Teiſſerii catalogum auctorum*, qui librorum catalogos, indices, bibliothecas, virorum litteratorum elogia, vitas aut orationes funebres, ſcriptis conſignarunt, anno 1686. editum, præ *Labbei Bibliotheca Bibliothecarum* recte commendat. *Pag. 162 Marquardi Gudii* ſtudio collectas veteres Inſcriptiones, quarum in quibusdam e marmoribus recte deſcribendis a ſe ipſum adjutum fuiſſe narrat, cum itineris comitem ante hos triginta annos in Italia haberet, e manuſcriptis ejus in publicum proferri optat. *Pag. 163. Balth. Venatoris* panegyricum *Jano Grutero* dictum in exemplum de vita eruditi Viri hiſtoriæ condendæ proponit. *Pag. 163.* imaginum doctorum virorum ſtudium laudat, & nonnullos qui eas congeſſerunt recenſet. *Pag. 165. & ſqq.* Ephemeridum ſive Actorum eruditorum inſtitutum laudabile eſſe, & plurimum conferre ad notitiam librorum acquirendam, affirmat; eaque occaſione cum aliorum in hoc genere laboribus noſtrum etiam ſtudium laudat; Parmenſium

Digitized by Google

menſium quoq; & Amſtelodamenſium operam commendat; iniquiorem tamen *Rerum Germanicarum* operi ab ſe edito *Joannem Clericum*, qui *Bibliotheque hiſtorique* evulgat, *p. 167. & ſeqq.* notat, & ad ea quæ is pulcherrimo utiliſſimoque operi objecerat, reſpondet. *Pag. 172.* quædam annotat de Vitarum ſcriptoribus, iisque qui propriam vitam deſcripſere, ut *Thuanus* & *Cardanus*. *Pag. 174. & ſeqq.* de Scriptoribus eccleſiaſticis, Patrumque & Eccleſiæ doctorum veterum & recentiorum vitis agit. *Pag. 178.* de epiſtolis theologicis diſſerit. *Pag. 181.* Parentis ſui, doctiſſimi Viri, *Jo. Henr. Meibomii* inſigne opus *de Vitis medicorum* ſe editurum eſſe pollicetur, cauſamque exponit cur nondum id hactenus publicæ luci dederit. *Pag. 184. 185.* de hiſtoria nummaria diſſerit, & earum collectores præcipuos enumerat. *Pag. 188.* Criticorum induſtriam in medii ſeu barbari ævi ſcriptoribus excutiendis exerceri cupit, quæ hactenus Veteribus ſaltem impenſa fuit. Nec obſcuram ſpem facit ſui in hoc genere adhibiti ſtudii in publicum aliquando proferendi, cum plurimas obſervationes habeat ſibi a multis annis in Hiſtoricis Germanicis, partim cum MSStis collatis, partim aliorum Hiſtoricorum ope examinatis, natas: quas ut, æque ac paternam *de Vitis Medicorum* hiſtoriam, dudum eruditorum votis expetitam, luci exponere velit, publico nomine Autorem, de ſtudiis cujuscunque generis præclare meritum & in omni eruditione inſigniter verſatum, rogamus.

LIBRI NOVI.

Chriſtiani VVeiſii Tabulæ Chronologicæ, quibus Rerumpublicarum mutationes a nato Chriſto ad noſtrum usque tempus ſub unum conſpectum revocantur. Dreſdæ 1691. in 4.

La Sience de la Nobleſſe, ou la Nouvelle Metode du Blaſon, par le P. C. F. Meneſtrier; & augmentée par...a Paris 1691. in 12.

Cornelii Nepotis ſeu Æmilii Probi Excellentium Imperatorum Vitæ, notis illuſtratæ ab Hermanno Eſſenio. Trajecti ad Rhenum 1691. in 12.

Voiage du Monde de Deſcartes. Suivant la copie à Paris. 1691. in 12.

L' Heritiere de Guyenne, ou Hiſtoire d' Eleonor fille de Guillaume dernier Duc de Guyenne, femme de Louis VII Roy de France & de Henri II Roy d' Angleterre. A Rotterdam 1691. in 8.

Johannis Claubergii Opera omnia philoſophica: quibus acceſſere opuſcula quædam nova, nunquam antehac edita. Amſtelod. 1691. in 4.

Nouvelle Pratique de Chirurgie Medicale & Raiſonnée, par Michel Ettmuller. A Amſterdam 1691. in 12.

Les Comedies de Terence traduites en François, par Madame d--Avec des Remarques. Derniere Edition enrichie de figures. A Amſterdam 1691. in 12.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Julii, Anno M DC XCI.

L' AMBASCIADORE POLITICO CRIſtiano.

id eſt,

Legatus Politico-Chriſtianus, auctore CAROLO MARIA CARAFA, Principe Buteræ, Roccellæ, S.R.J.&c.

Mazzareni, 1690. in 4. plag. 32.

NE Actorum Eruditorum volumen, cui colligendo operam damus hoc anno, pejoris conditionis eſſet, quam illud, cui ante ſemeſtre colophonem impoſuimus, tam beatis nobis nunc eſſe licet, ut ejusdem *Celſiſſimi Principis*, cujus *Exemplar Horologiorum Solarium civilium* literati orbis venerationi tunc expoſuimus p. 618, Opere præſenti, non minorem reipublicæ literariæ applauſum merente, iſti quoque decus ſingulare conciliare queamus. Eſt is *CAROLUS MARIA CARAFA, Dominus univerſalis familiæ Carafa, Branciforte, Barreſe, Santapaù & Speciale, Buteræ Princeps, inter Dynaſtas titulis claros in regno Siciliæ dignitate primus, atque in regno Caſtellæ e Magnatibus primi ordinis, Roccellæ ac Sac. Rom. Imperii Princeps, Marchio Licodiæ, Caſtriveteris, Militelli & Barrafrancæ, Comes Cryptæ aureæ, Graſſuliati, Mazzareni & Condoiannis, Dominus Prioratus Hieroſolymitanæ Roccellæ, &c.* Celſiſſimæ familiæ, cui origines ſuas Princeps noſter debet, hiſtoriam tribus tomis in folio nuperrime vernaculo idiomate recenſuit clariſſimus genealogorum Italorum, *Blaſius Altimarus*, quo de in poſterum plura dicere habebimus. Tanto igitur ſanguine cretus eruditiſſimus Auctor, natalium gloriam auget decoratque, bonarum ac principe viro dignarum literarum ſtudiis ad invidiam excultus. Cujus rei fidem affatim facit novus hic de *Legato Politico-Chriſtiano* liber, dono Auctoris, cura illuſtris *Magliabechii*, ad nos delatus.

Digitized by Google

Equidem hoc ipſum argumentum alii ſcriptores dudum occupaverant, e quibus recentior ac modernorum Politicorum uſui prioribus omnibus accommodatior eſt *Wiquefortius*, ab ipſo *Butera Principe* lectus. Non tamen CARAFÆ noſtro hi obſtitere, quin & ingenium in eo exerceret, & quæ alii fuſius tradiderant, ſtrictius ediſſereret, præcepta ab aliis obſcurius propoſita ſtylo perſpicuo pariter ac eleganti concinnaret, denique, quæ alii e veteribus ſolis ſolisve recentioribus hiſtoriis illuſtrarant, iis facem accenderet ex ſacra non minus quam profana, & veteri æque ac moderna hiſtoria, imo ex propria quoque experientia rerum a ſe geſtarum in legatione extraordinaria, quam juſſu Hiſpaniarum Regis apud Innocentium XI R. P. octo abhinc annis feliciſſime obiit. Adjiciemus jam recenſum capitum undeviginti, quibus Opus hoc abſolvitur. Poſt definitionem nominalem ac realem Legati, tribus prioribus capitibus enarratam, dotes Legati enumerat Illuſtriſſimus Auctor, eumque fidum & prudentem c. 4, nobilem & opibus affluentem c. 5, eloquentem c. 6, obedientem c. 7, ſincerum c. 8, taciturnum c. 9. eſſe cupit. Hinc monſtrat, qualem ſe gerere debeat erga Principem, a quo ablegatur, c. 10, in itinere c. 11, in aula Principis, ad quem ablegatus fuerat, dum negotia fidei ſuæ commiſſa exequitur c. 12. 13. 14, in civili converſatione c. 15. Addit, quibus privilegiis fruatur, c. 16. Docet, qua ratione familiæ ſuæ curam gerere debeat, c. 17, qualia præmia ac dona pro labore ſuo recipere queat, c. 18, quo denique modo legatione ſua defungi ejusque rationem apud herum ſuum reddere teneatur. Lectu præſertim jucunda eſt digreſſio c. XII. de ceremoniis, quibus Legati recipi ſolent in aulis Pontificia, Imperiali, Hiſpanica, Gallica, Anglica, Veneta, Belgii Fœderati Hagienſi, Helvetiorum pagorum, Turcica & Perſica.

DE ABBREVIATORUM DE PARCO MAJORI, ſive Aſſiſtentium S. R. E. Vicecancellario in Literarum Apoſtolicarum expeditionibus, antiquo ſtatu illorumve in Collegium erectione, munere, dignitate, prærogativis ac privilegiis, diſſertatio hiſtorica JOANNIS CIAMPINI Romani.

Romæ, ex typogr. R. Cameræ Apoſtolicæ 1691. fol. Conſtat plag. 53. & fig. æneis 2. quarum una *Magnus Parcus* repræſentatur.

Joannes

JOannes Ciampinus, Vir Clariſſimus & de quo a ſe edito Roma ſibi merito gratulatur, nobis plus ſimplici vice laudatur, præſertim in Actis Eruditorum A. 1690. p. 414. & in Supplementorum Sectione IV. p. 167. 171. Audiamus jam ſuimetipſius hiſtoriam condentem: *Anno* cIↃIↃcLXXII (inquit P. II. p. XLVIII.) *Joannes Ciampinus Romanus, Brevium Gratiæ Magiſter, ac Præfectus Minutarum Brevium Juſtitiæ, nec non S. R. E. Vicecancellario rerum Conſiſtorialium a ſecretis, literarumque Apoſtolicarum Proſummator, in Abbreviatorum albo deſcriptus, per obitum Nicolai Oregii die 27. Septembris. In fine anni 1689 ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Petro Cardinali Otthobono, S. R. E. Vicecancellario ac S. Laurentii in Damaſo Diacono Cardinali, ejuſdem inſignis Collegiatæ Eccleſiæ Vicarius deputatus, mox a felicis recordationis Alexandro PP. VIII. ſacrarum Congregationum Conſiſtorialis ac Indicis Conſultor electus eſt.* Ut ergo pateret, quanta obſervantia ac adfectu proſequatur Collegium, cujus non poſtrema pars eſt, hoc de eo opus magna induſtria congeſſit geminaque parte abſolvit. Priori præmittitur *Propylæum* de auctoribus ſeptendecim, apud quos Abbreviatorum mentio reperta, e quibus antiquiſſimi ac ſæculo orbis redempti decimo quinto clari ſunt *Paulus Barchinonenſis* & *Polydorus Vergilius.* Longe autem altius repetit origines Abbreviatorum ſuorum illuſtriſſimus Auctor, a *cancellariis* puta, de quibus *J. Gutherius* in *de Officiis Domus Auguſtæ* l. II. c. IX, aut *Notariis* ſeptem, quos per totidem Urbis regiones inſtituiſſe Clemens I. fertur, quique ſcribendis Martyrum actis olim occupabantur, poſtea vero, ceſſantibus perſecutionibus, ad alias res publicis ſcriptis conſignandas adhibiti videntur. His itaque analogos eſſe exiſtimat *Abbreviatores*, i. e. Scriptores Brevium ſive Epiſtolarum Papalium, plerumque minoris momenti, quibus non bulla plumbea appenditur, ſed tantum cera rubra imprimitur annulo Piſcatoris ſignata. Parcus vero ſignificat proprie locum muro, palis, cratibusve ſeptum, ubi feræ vivæ aſſervantur; eaque vox ab Anglis in Galliam, ac dein Avenione in Italorum linguam tralata eſt. Dum igitur Avenione hæreret Papalis curia, *Parcus major* per metaphoram dici cœpit *locus in interiori aula ipſius Palatii Cancellariæ, tornatilibus cancellis circumſeptus ad altitudinem fere hominis, in cujus medio ſtat ovalis forma menſa, cum quatuor magnis ſcamnis ad circuli ſive potius ellipſeos proportionem fabrefactis,*

C. I.
C. II.
C. III.

*in quorum ſingulis tres commode Abbreviatores ſedent. Ad iſtius
menſæ caput parvus eſt thronus, ad quem per duos gradus aſcenditur,
in quibus parva adeſt quadrata menſa; ſuper qua ſcribit Vicecancel-
larius, qando literariis expeditionibus in cancellaria faciendis inter-
venit. Menſæ imminet baldachinus holoſericus viridis coloris.* Ap-
pellatur *Parcus major*, ad differentiam alterius *minoris*, *qui conſpici-
tur in banco Scriptorum Apoſtolicorum, quique tanta latitudinis ac*
C IV. *altitudinis minime eſt, ſed hominis pectus tantum æquat.* Vetuſtiſſi-
mum monumentum, quo aliquot abhinc ſæculis Abbreviatores ejuſ-
modi in aula Pontificia fuiſſe probatur, eſt Extravagans Joannis XXII.
Cum ad ſacroſancta, data Avenione IV. Idus Decembris, Pontif. A.I,
Chriſti 1317. Huic verbotenus a Ciampino relatæ ſuccenturiantur
carmen Gaufridi ſeculo XIV. exaratum, itemque hoc recentiora
C. V. decreta Martini V, Eugenii IV, Calliſti III, ac Pii II. PP. RR. Juſtum
vero ac peculiare collegium Abbreviatorum majoris Parci inſtitu-
C. VI. tum demum eſt auctoritate Pii II. A. 1463. 1464. Sed iterum ſufflami-
C. VII. natum a ſucceſſore Paulo II. eodem A. 1474. Confirmatum autem,
non obſtante Pauli II. diplomate, a Sixto IV. A. 1478. hactenusque
ſartum tectumque conſervatum: memorabili ſane exemplo fallibi-
litatis ac inconſtantiæ humanæ. Quod enim neceſſarium judicarat
Pius, id *inutile* & *ſcandaloſum* vocavit *Paulus*, & rurſus utile ac omnino
C. VIII. reſtituendum cenſuit Sixtus. Multa nunc eſſent excerpenda de Ab-
breviatorum *munere*, *reſidentia in Cancellaria*, *admiſſione*, *ordine
ac ſeſſione*, *aſſiſtentia in Cappellis Pontificiis aliisque ſolennioribus*
XIX. *functionibus*, *ſolennibus equitationibus*, *veſtibus*, *quibus tum in equi-
tationibus illis*, *tum feſtis diebus induuntur*, *privilegiis*, *ſtatutis de-
cretisque*, *exequiis*, *Oratorio ſive Cappella privata*, *ac Subſtitutis.*
Sed quum hæc recenſere omnia prolixum nimis foret, ſufficiet di-
gitum quaſi tantum intendiſſe in fontem, unde rerum id genus curioſi
ſitim ſuam affatim reſtinguere queant.

Parte altera habetur Enarratio ſynoptica nominum, titulorum
geſtorumque omnium Abbreviatorum, quotquot in veteribus Re-
geſtis aliisque documentis hujuscemodi reperire licuit Ciampino.
His præmittuntur duo antiquiores, quorum regeſta deperdita ſunt.
Primus eſt *Nicolaus de Francavilla* A. 1355, proximus *Franciſcus Petri
de Ragazziis* A. 1410, celebres. Cæteri ab A. C. 1419. ad præſentem
annum

Digitized by Google

annum officio illo functi ſunt. Clariores aliquot recenſebimus. Sunt ex iis: *Æneas Piccolomineus*, poſtea *Pius* II. R. P. Abbreviator A. 1431. *Georgius Trapezuntius* A. 1448. *Radulphus Bartholomeus de Platina* a. 1464. celebris vitarum Pontificum conditor, de cujus infortuniis prolixius Noſter hac occaſione agit. *Matthias Palmerius* Piſanus A. 1475. Hunc Geſnerus ac Martinellus confundunt cum *Matthæo Palmerio* Florentino, qui Euſebii Chronicon ab a. 444. ad a. 1449. continuavit, eo quod alter idem Chronicon ab a. 1450. ad a. 1481. pertexuit, mortuus 19. Sept. 1483. *Laurentius Puccius* Florentinus A. 1506. *Hugo Boncompagnus*, A. 1540. qui poſtea *Gregorius XIII.* P.R. Porro *Camillus Burghesius*, A. 1573. vertente tempore *Paulus V.* P.R. dictus. *Jo. Antonius Odeſcalcus* A. 1576. (Hinc anſam arripit Ciampinus, *Odeſcalcos* non paucos ὡς ἐν παρόδῳ commemorandi, duces ſecutus eruditos autores *Propylæi ad Acta Sanctorum Maji* A. 1685. Antverpiæ evulgati.) His addantur *Maphæus Barberinus* ſive *Urbanus VIII.* R. P. a. 1589. *Franciſcus Nerlius* Cardinalis A. 1656, cui opus ſuum inſcripſit Ciampinus, quique compoſuit, at nondum publici juris fecit, verſionem Italicam Annalium Cæſaris Baronii. Is hodienum ſupereſt, æque ac *Franciſcus Barberinus* ſextus ſuæ gentis Cardinalis, A. 1678. inter Abbreviatores receptus, itemque *Palutius Palutius* Cardinalis, *Altierus* hodie dictus qui jam A. 1642 Abbreviatoris dignitate potitus eſt.

p. XXIV. conf. p. XXIX.

Mittamus nunc *Ciampinum*; propediem tamen de eo iterum ſermonem inſtituturi, cum Part. I. pag. 50. *Supplementum Pontificiorum numiſmatum* in lucem edendum minetur, id quod avide abs eo expectabimus.

ADAMI RECHENBERGII LIBER MEmorialis Prælectionum Hiſtoricarum in Academia Lipſienſi.

Lipſiæ impenſis Joh. Frid. Gleditſch, A. 1691 in 8. plag. 30.

CLariſſimus Autor libri hujus memorialis hiſtorici, tres ejus partes conſtituit. Quarum *prima* velut εἰσαγωγὴν hiſtoricam continet. Nam hiſtoriæ in univerſum conſideratæ indolem, naturam ac diviſiones varias non tantum exponit; ſed & ordinem in lectione hiſtorica obſervandum, cum adminiculis ex Chronologia, Geo-

Digitized by Google

graphia, Genealogia atque Politica doctrina petendis oſtendit; ut circumſtantiæ in hiſtoria juxta annotatæ rectius intelligi queant. *Altera parte*, quæ delineationem ſive connexionem hiſtoriæ cum antediluvianæ, tum poſtdiluvianæ complectitur, inſperſis variis quæſtionibus hiſtoricis, breviter ſimul quatuor monarchiarum, quæ vocantur, ortus & interitus, cum deſcriptione gentis Iſraelis, ſeu Reipublicæ Hebræorum exhibet. In *tertia* autem *parte* de magnitudine, potentia & interitu Imperii Romani veteris agit, qui poſt factam illam ſolennem diviſionem Imperii in orientale & occidentale contigit. Inde cum de Imperio orientali ſeorſim *cap. 2.* tractaſſet; de Imperio Turcico, quod illi interitum attulit, *cap. 3.* memorat. Hinc ad Imperium Romano-Germanicum progreſſus, tria ejus intervalla inſigniora conſtituit. *Primum* eſt a Caroli M. Imp. ætate, ad interregnum illud magnum, quod poſt Rudolphus Habsburgicus rerum potitus eſt: *alterum* ab ejus tempore ad Maximiliani I. imperium porrigitur; unde *tertium* inchoatur, cujus res memorabiles tum in Germania, tum in aliis Europæ regnis, per duo propemodum ſecula geſtas, paullo fuſius enarrat, inſperſis ſubinde lemmatibus quaſi interlinearibus, quæ materiam de hiſtoria civili, eccleſiaſtica & litteraria copioſius diſſerendi, hiſtoriam profeſſis præbere poſſunt. Scopus enim Autoris, ut ex inſcriptione libri adparet, non tam fuit hiſtoriam perpetuo filo contextam ſcribere, quam argumenta varia hiſtorica ſtudioſæ juventuti ſuppeditare: ut qui ſtudio huic ſane jucundiſſimo incumbunt, eo ceu libro memoriali uti, atque quæ ab aliis, juſtis jam commentariis, qui paſſim laudantur, uberius deſcripta proſtant, repetere inde poſſint. Sub finem libri diſſertationem de mutatione formæ ſtatusque Imperii R. Germanici adjecit, qua variæ ejus mutationes inde a Caroli M. ævo ad noſtram usque ætatem enarrantur. Appendicis velut loco duo Pontificis R. decreta, ſuperiori anno Romæ publicata ſubjunguntur, quæ forte Theologis de noviter excitatis controverſiis diſquirendi anſam præbere poſſunt.

GESTA PONTIFICUM ROMANORUM, auctore Jo. Palatio.

Venetiis, apud Jo. Parè. Vol. I. 1687. Vol. II. III. IV. 1688. Vol. V. 1690. in fol. cum figuris æneis. Conſtant Alphabetis circiter 20.

Oculos

OCulos non minus quam animum Lectoris opere hoc ſuo paſcere atque oblectare ſtuduit *Joannes Palatius* I. V. D. Collegiatæ S. Mariæ Matris Domini Plebanus & Archipresbyter ejusdem Congregationis, Canonicus Ducalis, in Veneto Lyceo Juriſprudentiæ, uti olim Patavii Sacrorum Canonum, Profeſſor, S. C. M. Hiſtoricus atque Conſiliarius, vir toto literario orbe celebris, ex Monarchiæ Occidentalis Hiſtoria a Carolo M. ad Leopoldum Imp. Aug. Latine compoſita & vaſtis voluminibus comprehenſa, ac Italico quoque idiomate in compendio exhibita, itemque commentariis in IV. Inſtitutionum libros, Leone maritimo ſive diſſertatione de dominio maris Adriatici, vita D. Petri Apoſtoli Italice exarata, vita M. Antonii Juſtiniani Ducis Veneti, paucos ante annos defuncti, aliisque pluribus animi ingenioſi ac ſolertis ſpeciminibus.

Habet Auctor bene multa, quæ & in numiſmatibus Pontificum *Caroli Molineti*, & in vitis Pontificum ab *Alphonſo Ciaconio*, hujusque Continuatoribus *Franciſco Cabrera*, *Andrea Victorello*, *Hieronymo Aleandro*, *Ferdinando Vghello*, *Luca Wadingo*, omniumque recentiſſimo *Auguſtino Oldoino* enarratis, ac eorum hermis & monumentis ſepulchralibus illuſtratis, reperias. Sed *Cæſarem Baronium*, annalium eccleſiaſticorum conditorem, omnium maxime facem ſibi prætuliſſe profitetur in hiſtoria, quæ quidem non tam primarium argumentum quintuplicis hujus libri, quam ejus fundamentum eſt. Namque illud, noſtra quidem ſententia, præcipue eſſe videtur *Elogium* forma lapidari in ſingulos Pontifices compoſitum. Huic præmittitur ubivis effigies Papæ æri inciſa, eundem in modum, quo in ligno ſpectatur apud *Ciaconium* Oldoini. Buſtum vero illud baſi innititur, cujus ſuperior pars exhibet *Pontificis monogramma*, *ſigillum* ſive *inſignia gentilitia*, quæ tamen in prioribus ſeculis deſiderantur; inferior *emblema* aliquod, plerumque e S. Bibliis petitum, ac ad res iſtius Pontificis poetica nonnunquam licentia accommodatum. Elogio ſubjiciuntur fuſiores *annotationes* hiſtoricæ, quibus acuminum in Inſcriptione ratio redditur; adjectis ſub finem *numorum* a Pontificibus illis percuſſorum & *epitaphiorum* imaginibus ære expreſſis.

Lubet exempli cauſa cum lectore ejusmodi elegantiarum cupido communicare breviuſculum aliquod *elogium*, quo in laudes *Benedicti VI.* R. P. CXXXVII, A. Sal. DCCCCLXXII. electi, Palatius effun-

ditur,

Digitized by Google

ditur, ac emblema a crucifixo Chriſto quæſitum iconique papali ſubſtratum explicat:

Quem e fune pendere ſuſpicis,
Romanus eſt Pontifex,
Benedictus filius Hildebrandi.
Qui adſtat carnifex,
Bonifacius Romanus Pſeudopapa.
Volebant ſuperi laqueum frangere;
Sed recordati, Deum ipſum inter latrones pependiſſe,
Permiſere vicarium Chriſto non diſſimilem.
Breve itaque ſit epitaphium.
SI CRUCIFIXUS DEUS:
SUSPENSUS PRO NOBIS EST BENEDICTUS.

In *annotationibus* annexis refert, quomodo Bonifacius VII. opera uſus Romani civis *Cincii*, Benedictum VI. in mole Hadriani ſtrangulaverit; addita hac in Platinam animadverſione: *Tanta injuria quia vindictam nec Romani exegerunt, nec Otho Imperator, (qui Romanæ eccleſiæ fuit defenſor acerrimus,) Platina, qui geſta Pontificum ſæpe interpretatur in pejus, veretur,* ne talia fuerint Benedicti merita, quale præmium a Cincio conſecutus eſt; *minime advertens, Cincium ſub Benedicto VII. meritas luiſſe pœnas.* Quæ Apologia ſi vel maxime locum habeat, *ſuſpenſus* tamen *pro nobis Benedictus* num dici debuiſſet, aliorum eſto judicium.

Quod reliquum eſt, cum Oldoinus in *Clemente IX.* ſubſtitiſſet, Palatius *Clementem* quoque *X*, *Innocentium*que *XI*, imo & *Alexandrum VIII.* recens tum electum non præteriit. Inter cætera memorat, ubi poſt Clementis IX. fata quinque fere menſibus de novo Pontifice eligendo diſſenſiſſent purpurati Patres, novum ſydus exortum eſſe, quod primo ſuper conclavi emicuerit, inde ad Vaticanum montem progreſſum prædixerit quaſi pontificatum Æmilii Alterii, mox Clementis X. nomine compellandi, utpote qui ſex ſtellas in gentilitio clypeo præferebat. Fuit vero & Alterius ille Roma, quam Tybris alluit, oriundus; unde Palatius impletum ait vaticinium S. Malachiæ: *De Flumine magno.* Nam paſſim ceu genuinum Malachiæ fœtum laudat prophetiam illam, ab Arnoldo Wiono primitus vulgatam, νοθείας vero nuperius poſtulatam a *Claudio Franciſco Meneſtrerio* S. J.

cujus

Digitized by Google

cujus librum Gallicum recenſuimus ſupra p. 144. ac Germanice redditum nundinis vernalibus venum expoſuerunt Frid. Lanckiſii Bibliopolæ quondam Lipſienſis hæredes.

Cum *vita Innocentii XI.* imprimeretur, ut ut nondum certis de cauſſis publici juris fieret, Innocentius adhuc in vivis erat: Hinc non miraberis, ab Auctore commendari, quod Nepotiſmum eccleſia Romana exterminare voluerit. Sic enim inquit Encomiaſtes:

Pro nepote Livio Odeſcalcho primum decretum,
Ut viveret more privati.
Christi vere vicarius, Vol. V. pag. 4.
Cui fratres & ſorores, qui faciunt voluntatem Dei.
Onerant alii Rempublicam, ut exonerent familiam:
Ad levandam rempublicam, gravat iſte familiam.
Sic thronum ſcandunt Pontifices Sancti:
Sine patre, ſine matre, ſine genealogia.
Annos ſupra duodecim regnat
Nepotiſmo ſepulto:
ABSIT, UT POST HUMUM RESURGAT INNOCENTII.

Putares igitur, difficile fuiſſe Palatio, *Alexandrum* quoque *VIII.* in appendice operis deprædicare, qui de nepotibus Principum in morem alendis majorem in modum ſollicitus fuit. Sed ingenio tam fœcundo pollet, ut nullo negotio repererit argumenta, cauſſæ quam deſperatam reddiderat prædeceſſoris exemplum, ſpecioſe defendendæ idonea; dicendo: *Fidos ut ſibi vitæ cuſtodes, ac certos populorum Principumque interpretes, validos onerum curarumque conſortes, ſuique arcani fideles miniſtros adſcriberet, Nepotes vocavit in partem ſollicitudinis, exemplo non ſolum prædeceſſorum plurium R. P. ſed ipſius Chriſti, qui plures cognatos inter Apoſtolos cooptavit.* pag. 207.

Dum Auctor Michaelis Molinæ dogmata recenſet aliunde nota, addit eodem tempore damnatum *Antonium Mariam de Leonibus*, e Comenſi diœceſi, ſpretorem ſenſuum S. Scripturæ allegoricorum, tropologicorum, ac anagogicorum, & cõmendatorem acerrimum orationis quietis. Ut alia mittamus illius dicta, ſequentia ipſis fere Palatii verbis adduxiſſe ſufficiet: *Per orationem Quietis anima unitur Deo & fit Deus: Dantur quatuor leges, Naturalis, Moſaica, Evangelica, Quietis, quæ ad ſimilitudinem virgæ Moſaicæ devorat leges*

 priores

priores, eritque Deus Deorum, ac poſt præſentem Pontificem reformabit mundum univerſum, ut fiat unum ovile & unus paſtor. Tunc anima cœlum conſcendent una cum corpore: interim Chriſtus & Deipara extra Paradiſum expectant, ut moriantur, & poſtea ad hanc quietem reſurgant, in qua nec jejunia, nec ſacramenta. Male dicitur in ſymbolo Athanaſiano: Filium eſſe increatum. *Eccleſia decipitur, cum deficiat ei Spiritus Sanctus.* Hæc ajebat revelari tantum, magiſtro Deo, in carcerem conjectis a Patribus Inquiſitionis, ac per ignem & aquam probare pollicebatur. Poſt bimeſtre ſpatium, quo Theologorum conſilia obſtinatus ſusque deque habuit, palinodiam cecinit, carceri perpetuo datus, *ut ibi recitatione diurna* (Palatium audis) *Symboli Apoſtolici & Corona Mariana Deum ſibi reconciliaret iratum.*

Tomo V a pag. 26 usque ad p. 74. prolixe recenſentur, quæ in cauſa Regaliæ tum inter Galliæ Præſules Clericosque alios (quorum plerique Regiis edictis velificaturi jus illud ad eas quoque Eccleſias, quæ ejusmodi oneri obnoxiæ antea non fuerant, extendi æquo animo patiebantur; quidam vero libertatis Eccleſiaſticæ tenaciores mala quæque & cruciatus perpeti quam Regiæ hoc in negotio auctoritati vel minimum cedere malebant) tũ inter Pontificem Innocentium XI & Regem Galliæ hodiernum magnis utrinque contentionibus fuerunt agitata. Subjiciuntur Vitæ Pontificis numiſmata honori ejus percuſſa, magnamque partem Chriſtianorum de Turcis triumphos, ad quos Innocentii in Fœderatos munificentia momenti haud parum contulerat, exhibentia.

Vitam Alexandri VIII. tumultuarie conſcriptam fatetur Auctor; unde nec numiſmatibus, ſed ſolum iconibus ipſius Pontificis, trium Othobonorum Cancellariorum Reipublicæ Venetæ, Antonii Nepotis Papalis, & Petri Cardinalis Pronepotis eam illuſtriorem reddidit. Juſto tamen ſtudio eandem impoſterum concinnare ſpopondit.

Cæterum non ſemel in hiſtoria Lutheri, iniquioribus memoriis, innixus fuit. Ea tamen nolumus ſigillatim perſequi; ſed Italos veritatis hiſtoricæ ſtudioſos remittimus ad incomparabile opus Viri Illuſtriſſimi *Viti Ludovici Seckendorfii*, Potentiſſimi hodie Electoris Brandenburgici Conſiliarii Intimi, Hiſtoriam Lutheraniſmi, quæ maximam partem ac in Folio quidem, ut loquuntur, typis Lipſienſibus jam impreſſa propediem venum proſtabit.

JOH.

Digitized by Google

JOH. CASP. EISENSCHMIDT PHIL. ET Med. Doct. Diatribe de figura Telluris elliptico-ſphæroide.

Argentorati ap. Joh. Frider. Spoor, 1691. in 4. plag. 7.

CUm doctiſſimus Auctor obſervaſſet, quam frivolis imo nullis rationibus inniteretur receptiſſima *de figura ſphærica telluris* ſententia, operæ pretium ſe facturum ratus eſt, ſi rem omnem accuratius meditaretur, exactamque terræ tum figuram tum magnitudinem calculo definiret. Hunc ergo in finem duas præcipuas rationes, quibus ſphærica terræ figura defendi ſolet, miſſis illis, quæ nihil aliud quam gibboſam eam eſſe evincunt, examinat ſuisque momentis ponderat. Quarum prima cum ex ſuperficie aquæ ſphærica globoſam terræ figuram deducat, altera vero ex eo, quod ſectiones telluris omnes per polos tranſeuntes ſint circuli, ſphæricam ipſi formam vindicet, utramque tamen perquam infirmam eſſe demonſtrare nititur. Illam ſiquidem perperam ſupponere figuram aquæ eſſe ſphæricam, cum ſuperficies aquarum niſi ex figura telluris, quæ adhuc controverſa eſt, determinari nequeat: hanc vero gratis ſumere, ſingulos latitudinis gradus eſſe ejusdem magnitudinis, cum tantum abſit, ut hoc ab ullo fuerit probatum, ut potius contrarium ex dimenſionibus terræ variis in locis inſtitutis eluceat. Ante vero quam ad harum recenſionem accedat, ſolicitus eſt de diverſis menſuris, quibus illius menſores uſi fuerunt, aſſeritque pedem Regium Pariſienſem

eſſe ad	Rhinlandicum	ut 1440 ad	1390
	Romanum antiqv.		1331
	Bononienſem		1686

falſumque adeo eſſe Ricciolum in ratione pedis Rhinlandici ad Pariſienſem determinanda. Porro de Eratoſthenis, Fernelii, Snellii, Riccioli & Piccardi dimenſionibus præcipue diſſerit, Eratoſthenem ab objectionibus, quibus a Snellio & Ricciolo premitur, liberans & Snellium contra Ricciolum defendens. Deinde magnitudines varias unius gradus terreſtris ab illis auctoribus obſervatas inter ſe contendendo oſtendit, illas magis magisque decreſcere, prout loca in quibus obſervationes fuere inſtitutæ, polo fuere viciniora, & quidem eadem quam proxime proportione, qua latitudines dictorum locorum a ſe invicem differunt, ut ex ſequenti tabella adparet:

Digitized by Google

Obſervatores	Latit. Locor.	Magnit. unius gradus in milliar. Rom. ant.
Eratoſthenes	27 gr.	100
Ricciolus	44$\frac{1}{2}$	80
Piccardus	49	74
Fernelius	49$\frac{1}{2}$	73$\frac{1}{2}$
Snellius	52	71$\frac{1}{3}$

Ex quibus proinde concludit, planum telluris ſecundum longitudinem axis ſectæ non eſſe circulum ſed ellipſin, in cujus verticibus poli ſunt collocati, & cujus diameter major ſive axis transverſus coincidit cum axe telluris, diameter vero minor ſive axis rectus communem ſectionem plani Æquatoris exhibet; atque hinc terram eſſe non ſphæram, ſed ſphæroides oblongum, cujus menſuram atque magnitudinem ſequens tabella exhibet:

Menſuræ	AxisTellur.	Diamet.Æquat.	Circumfer.per polos.	Circũf.Æqv.
Paſſ.Rom.ant.	10889750	8287665	30123813	26036467$\frac{1}{2}$
Toiſes	8388195$\frac{1}{2}$	6383852$\frac{1}{10}$	23203878	20055463
Pertic. Rhinl.	4344964$\frac{1}{2}$	3306743$\frac{1}{2}$	12019275	10388441$\frac{7}{10}$

Menſur.	Superficies convexa Telluris		Soliditas Telluris	
Paſſus Rom.ant.	262150525644091	Quadr.	391634468671764004687	Cub.
Toiſes	155543546198141		178991662885773951043	
Pertic. Rhin.	41733747916317		248763054482404417936	

Tandem ne ſolus videatur diſcedere a communi ſententia, J. Childræum, Claud. Franc. Milliet Dechales, Th. Burnetium, & Jſ. Nevvtonum allegat, figuram terræ ſphæroidem aſſerentes; miratus poſteriores duos ex converſione telluris circa axem effectus plane contrarios produxiſſe, quippe cum ille terram pro ſphæroide oblongo, hic pro ſphæriode lato venditet. Nevvtoniana autem ſententia cum Auctori e diametro adverſa ſit, hinc contra hypotheſes, ex quibus deducitur, diſputat, neque illas accuratiſſimis obſervationibus, quibus ſuus calculus nitatur, præferendas contendit. Coronidis loco fragmentum Tabulæ adjectum eſt, quæ magnitudinem unius gradus latitudinis in tellure, pro diverſa ejus ab Æquatore diſtantia, indicat.


DEMON-

J.B. DEMONSTRATIO CENTRI OSCILLAtionis ex Natura Vectis, reperta occaſione eorum, quæ ſuper hac materia in Hiſtoria Literaria Roterodamenſi recenſentur, articulo 2. menſ. Jun. 1690.

ANte decennium eruditus quidam Gallus Illuſtris *Hugenii* doctrinam de Centro Oſcillationis labefactaturus ſuppoſuit, *celeritatem totalem penduli compoſiti æquari ſummæ celeritatum partium ejus ſeparatarum.* Ego *Hugenii* aliquanto poſt ſuſcepta cauſa, principii hujus falſitatem ex natura vectis demonſtravi, juxta quam perpetuo partem celeritatis penduli in ipſo axe conſumi & deperdi neceſſum ſit; quod tum ſufficere poterat ad paralogiſmum Adverſario oſtendendum. Ideoque cum eadem opera determinare volebam, quanta præciſe celeritatis pars in axe abſumeretur, accidit mihi, ut rem quam præter inſtitutum eſſe judicabam, paulo negligentius curarem, indeque in calculum inciderem ab *Hugeniana* Propoſitione abludentem, quod ſuſpicari me fecit, diverſam eſſe rationem vectis, cujus alterum fulcrum ſit in motu, quam quæ eſt vectis ordinarii: id quod tunc quidem aliis diſcutiendum reliqui, ipſemet vero materiam hanc ab eo tempore prorſus ſepoſui. Interea prælustris & generoſus quidam Vir, qui avitæ *Hoſpitaliorum* gloriæ nunc inſuper ſcientiarum literarumque decus eximium addit, re maturius perpenſa obſervavit, huic meo principio e vulgari vectis natura deſumto apprime cum *Hugeniano* calculo convenire, inque eo duntaxat peccatum a me eſſe, quod celeritatem penduli acquiſitam conſiderarim, cum naſcentis tantum ratio habenda fuiſſet. Cujus correctionis certior per literas factus *Hugenius* approbavit methodum, ſed difficilem eandem pronuntiat, & quædam haud ſatis evidentia continere aſſerit: veluti, quod celeritas vel quantitas motus penduli initialis, non acquiſita ſpectanda ſit; quod diſtribuendus ejus exceſſus eo modo quo fecimus, & quod in pendulo trium pluriumve ponderum fulcrum vectis reſpectu unius ponderis concipiendum ſit in centro oſcillationis reliquorum: miratur denique cum illuſtri *Hoſpitalio*, quod Propoſitionis ſuæ veritatem, quam modo agnoſcere videbar, calculo meo dubiam reddere coner. Ad quæ ſequentia notanda habeo: *Primo*, miror mirari Viros acutiſſimos, cum verba mea ſatis clare innuant, ex calculi iſtius ab *Hugeniana* hy-

Digitized by Google

potheſi diſſenſu inferre me voluiſſe potius, peculiarem ut jam dixi in oſcillatorio vecte obtinere communicationis motus legem, quam dictam hypotheſin ullatenus ſuſpectam reddere; quanquam, ſi verum fateri licet, nondum a me obtinere poſſum, ut hujus veritatem vel in Axiomatum numero habeam, vel ab *Hugenio* ſatis in propatulo conſtitutam arbitrer, eo præſertim caſu, quo pondera durante motu ſuo mox inter ſe connexa, mox ſoluta ſupponuntur. *Secundo*, ratio cur celeritas penduli initialis, non acquiſita, ſpectanda ſit, attendenti obſcura eſſe nequit, nec mihi fuiſſet olim, ſi vel per momentum ſpeculationi inhæſiſſem diutius: Intelligantur pondera quotvis B, C, D, E,



virga inflexili AB connexa, junctim deſcendere in perpendicularibus, ut ante hac ſuppoſui: celeritates quas acquirunt eo momento quo perveniunt in H, I, K, L, ſunto HM, IN, KO, LP, quæ cum proportionales eſſe debeant ob commune vinculum ipſis ponderum diſtantiis ab axe AB, AC, AD, AE, ſequitur, virgam cui implicata ſunt ipſorum deſcenſui cum his celeritatibus continuando nihil afferre alterationis, & propterea nullum pondus hactenus in alterum quicquam de motu ſuo transferre. Supereſt ergo ſolus gravitatis impulſus, qui quolibet temporis inſtanti acquiſitis celeritatibus de novo ſuperadditur, qui alterationem patiatur. Repræſentetur hic, (cum omnibus corporibus æqualis imprimatur) per æquales lineolas MQ, NR, OS, PT, quæ quidem reſpectu celeritatum acquiſitarum HM, IN, KO, LP, uti hæ ipſæ reſpectu ſpatiorum percurſorum BH, CI, DK, EL, habendæ pro incomparabiliter parvis, ſic ut hæc tria QM, MH, HB, habeant ſe quodammodo, ut linea, ſuperficies & corpus. At vero ob inter

Digitized by Google

interpoſitam virgam fieri nequit, ut pondera ſimul ſint in punctis Q, R, S & T, hoc eſt, in recta QT parallela ipſi MA; quin potius in directum jacere debent cum axe A, ſecundum rectam VWXY, adeo ut cum pondera axi propiora terminos ſuos S & T nondum attigerunt, remotiora ſuos Q & R jam præterierint, parte reſidua virium gravitatis ab illis in hæc translata, parte in axe abſumta. *Tertio*, in pendulo trium pluriumve ponderum centrum oſcillationis omnium excepto uno conſiderat *Hoſpitalius* ceu fulcrum reſpectu reliqui. Hoc quia inevidens judicat *Hugenius* (quanquam verum deprehendam) & præterea quia ad demonſtrationem aliter quam per inductionem inſtituendam parum aptum, malo rem invertere, & pondus duntaxat extimum habere loco fulcri, quod ferat reliqua pondera omnia ſuis quæque locis vectem urgentia. *Quarto*, diſtributio ſeu translatio quantitatis motus (olim ſolas celeritates conſideravi, quia pondera ſuppoſui æqualia) nihil obſcuritatis habere tandem poteſt, fluitque ex natura vectis ordinarii: nimirum ponderis D incrementum celeritatis extra virgam eſt OS, in virga tantum OX, reſiduum XS, quantitas ergo motus transferenda tum in axem tum in pondus extimum $D x XS$; unde AB eſt ad AD, ſicut $D x XS$ ad $\frac{D x AD x XS}{AB}$ portionem quantitatis motus transferendam in ſolum pondus B: Similiter portio, quam de motu ſuo pondus E in pondus B transmittit, eſt $\frac{E x AE x YT}{AB}$. At pondus C, quod majus celeritatis incrementum in virga quam extra virgam accipit, motui ponderis B contraria ratione adimere cenſendum eſt portionem $\frac{C x AC x WR}{AB}$. Eſt vero totum incrementum quantitatis motus, quod ponderi extimo B a reliquis ponderibus accedit, præter id quod a propria gravitate nanciſcitur, $B x VQ$: tandem ſit Z interſectio rectarum QT, VY, & ducatur GZ parallela rectis BV, CW, &c.

Quibus poſitis centrum oſcillationis ſic invenitur: Per hypotheſin & ex natura vectis eſt, $\frac{E x AE x YT + D x AD x XS - C x AC x WR}{AB} = B x VQ$, quare æque-multiplicando & addendo erit, $E x AE x YT + D x AD x XS = C x AC x WR + B x AB x VQ$, ſeu (quia YT, XS, WR, VQ, ipſis ZY, ZX, ZW,

ZW, ZV, vel ipſis GE, GD, GC, GB, proportionalia) $E \times AEG + D \times ADG = C \times ACG + B \times ABG$, additisque utrique parti tum $E \times AEq + D \times ADq$, tum $C \times CAG + B \times BAG$, fiet $E \times EAG + D \times DAG + C \times CAG + B \times BAG = E \times AEq + D \times ADq + C \times ACq + B \times ABq$; unde tandem $AG = \frac{B \times ABq + C \times ACq + D \times ADq + E \times AEq}{B \times AB + C \times AC + D \times AD + E \times AE}$. Si quædam pondera ultra axem ex adverſa parte conſtituta ſint, eadem pro AG invenitur quantitas, niſi quod membra denominatoris ponderibus iſtis reſpondentia fiant negativa.

Jam vero puncti G a virga ponderibus B, C, D & E gravata abrepti & per rectam GZ deſcendentis, incrementum celeritatis, cum pervenit ad F, neceſſario eſt FZ, quæ eſt æqualis, ob Parallelogrammum FQ, ipſi MQ vel NR &c. incremento ſcil. velocitatis, quod pondus quodlibet ſeparatim deſcendens a propria gravitate acquirit; quod cum ſimiliter valeat in omnibus ſpatii GZ partibus, ſequitur, ſpatium iſtud, hoc eſt, angulum GAZ eodem tempore pertranſiri a virga, ſive omnibus ponderibus B, C, D & E, ſive unico tantum pondere in G gravata, & proin G fore centrum oſcillationis, quod itaque repertum eſt. Neque variat demonſtratio pro pendulo ordinario, cui pondera ita inhærent, ut per arcus circulorum deſcendere cogantur: cumque reperta quantitas AG eadem ſit cum illa, quæ alias pro centro percuſſionis invenitur, ſequitur, *centrum oſcillationis* & *percuſſionis* corporum, ut recte notavit *Hugenius*, unum idemque eſſe, quanquam *Walliſius* in Cono ex. gr. aliud percuſſionis, *Hugenius* aliud oſcillationis centrum aſſignat: fallitur enim *Walliſius* in eo, quod integræ baſi Coni circulisque baſi parallelis non majorem diſtantiam ab axe rotationis celeritatemque tribuit ea, quam ipſa horum circulorum centra obtinent. Hæc vero centri oſcillationis demonſtratio ſic reformata, uti generalis eſt & facilis, inque Geometrica exactitudine *Hugeniana* neutiquam cedit, ſic eidem in eo præferenda videtur, quod principium vectis, quo nititur, indubitatum eſt ac evidens, cum *Hugeniana* hypotheſis obſcura fere ſit, nec aliam ob cauſam pro vera habeatur, quam quod nihil in contrarium afferri poſſit, intellige in ſolidis corporibus: in liquidis enim res magis dubia videtur; cum vix appareat, quomodo cum iſta hypotheſi conciliari poſſit ſpontaneus communis centri gravitatis aſcenſus, qui accidit, cum metallum in imo liquoris acidi poſitum ac diſſolutum, aut

Digitized by Google

aut liquor levior graviori leniter ſuperinfuſus eidem ſenſim permiſcetur; id quod anſa & fundamentum extitit Perpetui Mobilis nuper a *Fratre* inventi ac in Actis publicati, cui proin ibidem ſubjunctam ſtricturam neutiquam officere exiſtimamus. Cæterum collegeram, quod ſi celeritas totalis penduli compoſiti minor eſſe debeat ſumma celeritatum partium ejus ſeparatarum, reliquum in axe premendo conſumi neceſſum ſit. Negat *Hugenius* hanc conſequentiam, dicendo, ſæpenumero deperdi aliquid de motu, quod nullibi inſumatur: at ego contra ſentio, ſi quid amittatur, illud perpetuo alicubi impendi, ſed quandoque in premendo firmo obice, quandoque in tollendo motu contrario, adeo ut cum penduli noſtri pondera moveantur in eandem partem, jure inferre potuerim, motum deperditum neceſſario in axe premendo conſumtum eſſe. Denique & illud dubium eſt, quod mihi objicit Vir acutiſſimus, effectum videlicet reſiſtentiæ aeris, diſruptionis vinculi, quod partes penduli connectit, aliorumque obſtaculorum indeterminatæ quantitatis eſſe, minuique in infinitum poſſe, ſic ut non tollat (ut exiſtimaram) poſſibilitatem motus perpetui, qui alias obtineret, ſi ſine his impedimentis centrum gravitatis penduli altius aſcendere quam deſcendere ſupponeretur. Conſtat enim, id quod de motu communicatur aut abſumitur occurſu obſtaculorum, ad celeritatem mobilis, & hanc ad motus altitudinem determinatam ſemper relationem obtinere. Tantum de his. Notum occaſione præſentis materiæ Eruditis facio, *Fratrem* meum obſervaſſe, quod præter *Hugenii* Cycloidem infinitæ dentur curvæ, per quas deſcendens grave oſcillationes peragat iſochronas: item non ſolum cum *Newtono* & *Tſchirnhauſio* infinitas cycloides animadvertiſſe, quæ ſui evolutione ſeipſas deſcribant, ſed & detexiſſe quampiam ex alio quam cycloidalium genere, quæ eadem proprietate gaudeat.

HISTORIA VVESTFALIÆ IN QVA INprimis de origine gentis &c. &c. ſumma fide atque diligentia tractatur. Opus poſthumum Auctore R. P. Nicolao Schaten Societ. J.

Neuhuſii apud Joannem Todt, Paderbornenſis Aulæ Typograph. 1690. in fol. Conſtat Alphab. 7. pl. 9.

 Ad

Digitized by Google

AD conſcribendos hosce Annalium Weſtfalicorum libros ut animum Autor Clariſſimus applicaret, ſe non pietate tantum ac ſtudio erga patriam adductum, ſed aliorum quoque exemplo provocatum, cumprimis vero Epiſcopi ſui, raræ atque eminentis doctrinæ Principis, Ferdinandi, (qui *Monumenta Paderbornenſia* edidit,) autoritate & ſubſidio, permotum fuiſſe profitetur. Florentiſſimo enim hoc literarum ævo cum plerique per Germaniam non minus, quam per cætera regna & provincias, majorum ſuorum res domi foriſque præclare geſtas legantur celebraſſe, is ſibi non committendum ratus eſt, ut patriæ res hærerent in tenebris: utpote quæ non minus, quam cæterarum gentium origines, & res laudabiliter geſtæ mereantur illuſtrari.

Propoſitum ſuum itaque ſic exequitur, ut primas nominatæ gentis origines, ejusve bella cum præcipuis orbis populis, Romanis atque Francis geſta, propugnatam invictis animis per plura ſecula libertatem, abjuratam ſervitutem idolorum, ſuſceptam religionem Chriſti, aliaque ad gloriam gentis ſpectantia ſcitu lectuque digniſſima, luculenter hoc in opere exponat. Narrationem tamen longius ſubinde fundi per vicinorum quoque populorum campos non miraberis, quod rerum ac temporum ſtatus, fœderati, hoſtesque, & innexa ſociorum bella intermitti non potuerint, ne affinium luce ſpoliarentur. Romanos etiam Cæſares paſſim obſervabis introductos vinculum ſcriptionis, ut quæ ſub ſingulis geſta ſunt a Germanis, Francis & Saxonibus, ordine ſuo poſſent dilucidius exponi. f. 2.

Tribus vero partibus opus totum diſtinguitur. Quarum prima Weſtfaliam Romanam, altera Francicam & Saxonicam, tertia Weſtfaliam Chriſtianam contemplandam nobis ſiſtit. Et in Romana quidem actum legas potiſſimum de gentis hujus origine, de priſcis harum regionum populis, Tacito etiã memoratis, & de bellis, quæ pro libertate cum Romanis tum ante, tum poſt nativitatem Domini ſtrenue geſſerunt. Atque iſtam laudis partem Paderbornæ potiſſimum vendicandam Autor cenſet, quod fontes Luppiæ, ad quos toties Romanorum exercitus legatur conſediſſe: quod caſtra & ſtativa: quod montes Teutonicos Variana clade nobiles: quod campum Martis: quod ſedem belli ad Aliſonem, aliaque ex bellis Romanorum memoratu non indigna, ibi locorum reperire liceat. Idque egit Libro I. & II.

Parte media Francorum exponuntur origines, ipſique Franci ex iisdem populis Rhenum inter & Viſurgim incolentibus, deducuntur.

Docet

Digitized by Google

Docet hic enim prolixius, quomodo ſumto Francorũ nomine pro liber- f. 144. ſq.
tate aſſerenda, & limite Rheni tuendo decertarint, donec ex æquo
Marte diu certantes, victores tandem Rheno perrupto, utramque
Belgicam, & Galliam occuparent, conditoque nobiliſſimo Francorum regno, imperium quam latiſſime extenderent. Inde Autor conficit, Franciam veterem non alibi quam in Weſtfalia quærendam eſſe, meritoque eam partem, Weſtfaliam *Francicam* a ſe inſcriptam: iſta gentis ſuæ gloria nihil ullam Germaniæ partem ex omni antiquitatis memoria habere illuſtrius: tantum abeſſe, ut Weſtfali pro gente obſcura, abjecta & ignobili haberi cum antiquitatum imperitis debeant. Cum ipſis quoque Francis aurora quaſi Chriſtianæ religionis hic oſtenditur: quæ Pipino Auſtraſiæ præfecto ac Majore domus, Carolo 325.
Martello Principe, & Pipino Rege, per viros Apoſtolicos cœperit in eas regiones introduci: id quod Libro III, IV, V, & VI. præſtitum invenias.

Poſtrema partium Weſtfaliam Chriſtianam exhibet, jucundaque ratione Libro VII, IIX, IX atque X. cruentum tricennale bellum, a 418. ſqq.
Carolo M. geſtum, quo de Saxonia & barbaris harum regionum populis eſt triumphatum, memorat. Tandem enim gentem bellicoſiſſimam, quæ ſubigi hactenus neque Romanorum, neque Francorum in ipſos Francos atque Saxones reflexis armis potuerit, perdomitam a Carolo, juxta cum Francorum imperio Chriſtianæ legi ſe ſubmiſiſſe. Aureum hoc, poſt tot ferrea, ſeculum cœli munere tandem illuxiſſe, quo proculcata idololatria, plena Solis luce religio Chriſti fuerit introducta, & gens a fœdiſſima dæmonum ſervitute liberata. Quo loco inſimul refertur, qua ratione per Saxoniam primum Epiſcopatus conditi, ſancti Paſtores conſtituti, & diſtributi per parœcias Sacerdotes fuerint: quomodo item populus ex tenebris denſiſſimis in admirabile illud lumen gentium emerſerit. Ut adeo intelligatur, quam barbarus olim is fuit & pertinax, tam mitem ac ferventem Chriſtiana religione recepta eundem evaſiſſe. Chriſtianam interim religionem, quam imperante Carolo M. Saxonia ſuſcepit, nequaquam imperante Carolo V. uti quidẽ Autori viſum, abjecit, licet ſordes & maculas, abs hu- f. 657.
mana traditione profectas, procul eſſe juſſerit, Lutheri miniſterio admonita. Carolũ M. enim nobiſcũ potius, quã cũ hodiernis Pontificiis ſenſiſſe, ſeu, ut ipſe loquitur, *formaliter non fuiſſe Papiſtam*, peculiari libro

 Franco-

Digitized by Google

Frācofurti A. 1670 excuſo oſtendit *Chriſtianus Niſanius*, cumq; oppoſito & Neuhuſii A. 1674 edito libro alio hic ipſe *Schatenus* noſter Carolum M. pro Romano-Catholico venditaſſet, iterū juſto opere, quod inſcribitur, *Carolus M. Veritatis Evangelicæ Confeſſor denuo exhibitus atque ab Impugnationibus* Nic. Schaten S. I. *vindicatus*, Francof. A. 1679. edito, demonſtratum ita dedit, ut dubitandi de eo nullus ſit relictus locus. Sub finem habes accuratum rerum memorabilium in hac hiſtoria contentarum indicem.

GUILIELMI FLEETVVOOD INSCRIPTIonum antiquarum Sylloge.

Londini, proſtat apud Tim. Childe, 1691. in 8. plag. 37.

DE juventute rerum antiquarum ſtudioſa bene mereri cupiens *Guilielmus Fleetvvood*, antea Collegii Regalis apud Cantabrigienſes ſocius, Londini nunc munere Eccleſiaſtico fungens, in illius uſum *Syllogen* hanc bipertitam edidit.

Prior pars *Inſcriptiones ethnicas* ſingulares & rariores complectitur, e *Gruteri* corpore, *Reineſii* ſyntagmate, *Sponii* miſcellaneis, *Ferretii* Muſis lapidariis, aliiſque id genus libris ſelectas, digeſtaſque in claſſes quinque. Harum prima eſt *Deorum*; altera *operum publicorum*; tertia *Imperatorum*; *Sacerdotum*, *Magiſtratuum*, *Honoratorum*, *militum* quarta; ultima variorum, *parentum* puta, *liberorum*, *conjugum*, *fratrum*, *ſororum*, *gentilium*, *cognatorum*, *hæredum*, *amicorum*, *ſodalium*, *benemeritorum*, *corporum*, *ſingulariorum*, *dominorum*, *patronorum*, *libertorum*, *ſervorum*. Secunda pars *Chriſtiana monumenta antiqua*, quæ hactenus e libris impreſſis innotuerunt, *ad unum omnia* ambitu ſuo, non ſane magno, comprehendere fertur.

Ut chartæ lectorumve ſumptibus parceretur, Inſcriptiones univerſæ non capitalibus, ſed minuſculis literis exprimuntur. Notæ neceſſariæ ac ſuccinctæ hic illic interſperguntur, quas partim ex aliorum obſervatis, partim ex ſuis conjecturis depromſit Auctor. Carminum Græcorum abs eo emendatorum exempla vide p. 303. 322. 338. Ultimo loco habetur epitaphium *Philænidis Samiæ* ab *illuſtri Viro* aliquibus cum mendis, ſi *Fleetvvoodo* credas, non paucis abhinc annis primitus vulgatum. Sæpe viciſſim de lapidis ſenſu eruendo conclamandum dictitat

Criticus

Digitized by Google

Criticus noſter. Quandoque tamen non omnem ſpem deponere, æquum erat. Exempli loco ſunto, quæ apud eum leguntur p. 100. n. 1.

Interamna.

Providentiæ. Titi Cæſ. nati. ad. æternitatem.
Romani. nominis. ſublato. hoſte. pernicioſiſſimo.

NOT. Neſcio, quis hic hoſtis, niſi Cæcina, quem Titus interfecit, circa A. D. 77. patre vivo.

Quin enim ſuſpicemur, hanc nullibi terrarum exiſtere inſcriptionem, niſi in alia, eaque Tiberiana, quam primus exſcriptor paulo negligentius legit & in compendium præter neceſſitatem redigere auſus eſt? Integra autem legitur apud Noſtrum p. 51. n. 3.

Interamna in Umbria.

Saluti. perpetuæ. Auguſtæ. libertatique. publicæ. Pop. Romani.
Genio. Municipi.
Anno. poſt. Interamnam. conditam. DCCIIII. ad. Cn.
Domitium. Ahenobarbum . . . . Coſ.
Providentia. Ti. Cæſaris. Aug. nati. ad. æternitatem.
Romani. nominis. ſublato. hoſte. pernicioſiſſimo. P. R.
Fauſtus. Titius. Liberalis. VI. vir. Aug. iter. P. S. F. C.

NOTA Fleetwoodi: *Ahenobarbus cum Vitellio Nepote Coſ. erat anno Tiberii XVIII. Chriſti XXXII. Hic hoſtis pernicioſiſſimus erat Sejanus, anno præcedente Conſul occiſus.*

Omnia recte, niſi quod dum Vitellio *Nepotis* cognomen additur, Virorum magnorum error nobis in memoriam revocetur, a ſummo eruditæ antiquitatis arbitro, *Henrico Noris*, confutatus in *epiſtola conſulari* p. 14. ſeqq. unde etiam diſcere licebit, Cn. Domitii Ahenobarbi ordinarium collegam fuiſſe non A. Vitellium, ſed M. Furium Camillum Scribonianum. Nam quanquam Vitellius Coſ. mortuus ſit, juxta Suetonium in Vitellio c. 2. ex Grutero tamen p. MLXXXVII. n. 1. aperte patet, Kal. demum Juliis *ſuffectum* fuiſſe *A. Vitellium*. Hinc lacunam in marmore aut *Furii* aut *Vitellii* nomine explere neceſſe fuerit; qua de re vide Noriſium c. l.

Non raro in notis hiſce, etſi ethnicas inſcriptiones illuſtrantibus, Pontificiorum dogmata ſale aliquo perfricantur; e. c. p. 90. 95. 189. 249. Nec illepidum eſſe videtur id, quod ex p. 181. repræſentabimus:

1. Fl. Celina, in ripa, in Noricis.

Digitized by Google

C. Hoſtilius. et. P. Egnatius. Veitor. XV. leg. Tribuni P.S.P.Q.P. dimicantes. pariter. heic. occiſi. pariter. jacent. ſingulare. poſteris. exemplum. et. caritatis. et. fortitudinis.
Cilienſes. XXI. dies. atrati. luxerunt.

2. Prope Goritiam.

C. Hoſtilius. et. P. Egnatius. Veitor. XV. Legionis. Tribunus. pro S.P.Q.R. cum. barbaris. dimicantes. pariter. occiſi. pariter. hic. jacent. ſingulare. poſteris. exemplum. et. caritatis. et. fortitudinis.
Noreenſes. XXI. dies. atrati. luxerunt.

NOTA: Audiebam multoties, ſanctorum corpora diverſis locis eodem tempore manere, Tribunorum autem, non antehac.

Inſcriptionem utramque recenſet *Gruterus* p. DXLIV. n. 4. & 5. ac priorem extare ait, fide *Aloiſii Lolini*, in Celinæ fluminis ripa in Noricis; poſteriorem prope Goritiam, auctoritate *Wolfgangi Lazii*. Altera alteram emendat, adeo ut in priori legendum ſit: *P. S. P. Q. R.* pro *P. S. P. Q. P.* In poſteriori: *Tribuni*. Contradictionem, quam perſtringit Fleetvvoodus, non incommode ſuſtuleris, ſi obſerves, Tribunos iſtos non in ripa fluminis Celinæ *pariter ſepultos*, ſed ibi tantum *pariter occiſos* dici. Contra vero, prope Goritiam *pariter ſepultos*, non ibidem *pariter occiſos* ferri. Prior itaque lapis erectus eſt loco, quo obiere, alter eo, quo ſepulti ſunt.

Utut autem heic aliisque locis bene multis jocis ſubinde delectetur Auctor, jocoſas tamen inſcriptiones, æque ac ſuppoſititias vel quoquomodo recentioris ætatis ſuſpectas Sylloge ſua eliminavit, paucis tantum ex Ferretio admiſſis, quemadmodum in præfatione non ſine ſingularis pœnitentiæ profeſſione ipſemet notat.

Sed fortean nec tam antiquum eſt epigramma illud elegans, quod Fleetvvoodus p. 305. n. 4. exhibet, non adjecto loco, ubi marmor viſatur, id quod fraudis optimo viro factæ ſuſpicionem auget:

D. M.
Flaviæ Rufillæ.

Quid gnatum cadit Venus? Arcum perdidit. Arcum
Quis rapuit? Tuſco Flavia nata ſolo.
Qui factum? Petit hæc, dedit hic; nam lumine forma
Deceptus, matri ſe dare crediderat.

Diſtinximus, *Fleetvvoodi* pace, textum commatibus punctisque interrogationis, & pro *credideris* reſcripſimus *crediderat*.

Si vertente tempore contingat, ut divenditis libri hujus exemplis de nova editione cogitandum ſit, e re lectoris ſine dubio foret, accuratos indices nominum præſertim propriorum addere. Annectitur enim ſolummodo unus, quem gloſſarium antiquitatum in marmoribus occurrentium non injuria forte dixeris. Sed rari illic apparent numeri paginarũ Sylloges; qui ſi adeſſent, valde utiles deprehenderentur illis, qui auctoritate marmoris gloſſam aliquam Fleetvvoodi illuſtrare confirmareque cuperent. In altera etiam illa editione non incongruum eſſet, ſingularum inſcriptionum titulis, cum ſpatium lineæ nunquam fere expleant, adjicere literam *G.* vel *R.* aut *S. A. B. P. F. W.* quo innoteſceret, num eas *Fleetvvoodus* depromſerit ex *Grutero*, an ex *Reineſio* aut *Sponio, Aringho, Baronio, Papebrochio, Ferretio, Whelero, &c.* Sic namque, ſi forte de menda typographica ſuſpicio ſubnaſceretur, vel fuſior explicatio deſideraretur, ad fontes recurrere facile foret.

GEORGII ADAMI STRUVII JCTI Commentarius ad Lib. V. Decretalium, editus a Filio Georgio Gottlieb Struvio J. U. L.

Jenæ literis Bauhoferianis 1691. in 4. plag. 27.

ETſi indefeſſo literarum ſtudio ac longa rerum gerendarum experientia nomen ſuum inter JureConſultos Germaniæ jam pridem celebratiſſimum reddiderit Autor Magnificus, pulchrum tamen ducit continuare labores, & omiſſo vacationis privilegio tueri ſpartam, quam in vicina Salana nactus eſt, primariam. Hæc cum ex more & in aliis Academiis recepto, Decretalium interpretationi deſtinata ſit, illam docendi rationem egregie ſibi finxit Autor, ut poſt ſingulorum titulorum & capitulorum expoſitionem obſervationes practicas jus modernum potiſſimum reſpicientes adjungeret. Eodem ergo ordine & ſucceſſu, quo ante tredecim annos, circa librum tertium Decretalium, materiam Conventionum & Contractuum editis Deciſionibus Sabbathinis illuſtraverat, hac vice etiam ex libro quinto Delictorum ſpecies varias ac pœnas competentes exponit, collatis utrobique Juris Cæſarei Saxonicique ſuffragiis, & ex iis deductis Collegiorum Juridicorum præjudiciis. Speciminis loco obſervationes quaſdam, præ cæteris notabiliores quæ nobis viſæ ſunt, exhibere deproperamus. *Cap. 1. Obſ. ult.* expo-

Digitized by Google

exponit, quomodo apud Proteſtantes Jurisdictio in cœmeteriis & locis religioſis, ut & in perſonas Eccleſiaſticas exerceri ſoleat. Porro refert *c. 2. obſ. 7.* ſi matrimonium ſit initum contra prohibitionem graduum ex Jure humano dependentem, & in alio loco nuptiæ ſint celebratæ, in alio vero conjuges illi domicilium habeant, non ſufficere diſpenſationem in foro, ubi nuptiæ celebratæ, impetratam, ſed & in foro domicilii ulteriorem diſpenſationem petendam eſſe. *C. 3. obſ. 3.* ex moribus Germaniæ Canonicatus ſeu præbendæ reſignationem certæ perſonæ, quæ remunerationem præſtat, hodie licitam reputari. *Ejusd. Cap. obſ. 5.* non incidere in crimen aliquod Simoniæ, quando gradus Doctoratus vel Magiſterii confertur accepta pecunia. *C. 4. obſ. 7.* admittendum eſſe Judæum ad juramentum ſuppletorium, ſecus ac opinatus Fulv. Pacian. in Tr. d. Probat. *l. 1. c. 7. n. 33.* & Schraderus ad *l. 31. ff. de Jurej. n. 307.* §. *6. Obſ. 6.* exhibet præjudicium, quo fœminæ perpetua relegatio dictata, quæ propter infanticidium culeo in aquas ſubmerſa, & poſt aliquod ſpatium conſueto more extracta, rurſus convaluerit. *Cap. 8. obſ. 4.* ſiſtit reſponſum Facult. Theol. Jenenſis, in quo collatis rationibus dubitandi & decidendi juxta normam Juris divini, pœna ultimi ſupplicii homicidæ remittitur, qui rixa ſubitanea ab altero excitatus, in iræ fervore, interveniente licet hoſpite, abſq; neceſſitate adverſarium vulnere lethali confodit. Quod vero ſcrupuloſitas nimia circa vulneris lethalitatem in homicidio, ſanctioni Carolinæ parum ſit conveniens, *obſ. 11.* taxat. In *c. 12. obſ. 9.* ſingulares circumſtantiæ recenſentur, quarum intuitu, ob interceſſionem conjugis innocentis, Princeps pœnam ordinariam in adulterio duplicato remittere ſolet. In *c. 29. obſ. 4.* reſpondetur D. Theodorico Paulo, qui in diſſertatione quadam litem moverat Autori circa actionem injuriarum, quatenus illa contra Sacerdotem, verba contumelioſa pro concione contra aliquem proferentem, locum habeat. Poſtrema duo capita, de pœnitentiis videlicet & ſententia excommunicationis, ad ordinationes Eccleſiaſticas Principum Proteſtantium, Saxonicorum maxime ac Luneburgenſiũ, obſervationes ſuas componunt & ad uſum noſtri fori attemperant. Quæ denique mutua titulorum hujus tractatus & libri quinti Decretalium ſit connexio, quique textus ex iſtis præ cæteris fuerint tacti, index ſpecialis poſt primam ſtatim paginam liquido demonſtrat.

AN

Digitized by Google

AN ANSVVER TO THE LATE OBIECTIONS made by Mr. Eraſmus VVarren againſt the Theory of the Earth.

id eſt,

Reſponſio ad objectiones nuperas Eraſmi VVarreni adverſus Theoriam Telluris Sacram.

Londini, imp. Gualteri Kettilby 1690. in Fol. plag. 21.

RECenſu Geologiæ, quam *Eraſmus Warren* Theoriæ Telluris *Thomæ Burnetii* oppoſuit, Acta Eruditorum Kalendis Martii 1691. publicata auſpicati ſumus. Nunc Reſponſum auctoris Theoriæ ad Geologi exceptiones commemorabimus. Sequitur *Burnetius* antagoniſtam ſtricto pede, & ad ſingula ſibi objecta habet, quæ reponat, cumprimis autem ſtigma injuriarum in Scripturam ſacrã adeoq; Spiritum Sanctũ, & in philoſophiam ſanæ rationi conſentaneam, quod Warrenus ei inurere ſubinde auſus fuerat, omni ſtudio ei ipſi intentat. Nolumus in litigia illa evagari. Enarrare tantum lubet, quæ Burnetius in maxime portentoſa, aut (mollius ut loquamur) paradoxa Warreni de *Cataclyſmo Noachico* ſententia reprehenderit. Ut ergo ſequentia melius percipias, non incongruum fuerit, Acta Eruditorum allegata levi oculo perſtringere ac illorum ſummam, quam repetere non vacat, in memoriam tuam revocare.

Animadvertit primo Burnetius in Warrenum, quod (juxta Acta noſtra p. 98. l. 8.) hemiſtichium poſterius Gen. VII. 20. divellat a priori, cum tamen hoc illius ἐξηγητικὸν ſit, æque ac verſus præcedens undevigeſimus. Indignatur quod vocem תהום *abyſſus* Gen. VII. 11. de loco altiſſimo exponat, (quemadmodum p. ead. l. 14. monuimus,) demonſtratque, potius imum aliquem locum notare, ſecundum *Gen. XLIX. 25. Deut. XXXIII. 13. Rom. X. 7.* non obſtante dicto *Pſal. LXXVIII. 15.* (quo de confer ſupra p. 98. l. 21.) utpote ubi conſentientibus tantum non omnibus in univerſum interpretibus, ut & verſus ſequentis ϛυναφεία exigente, ſubintelligere oporteat particulam comparativam, h. m. *Diffidit rupes in deſerto & potavit populum* (TANQVAM) *abyſſis magnis.*

Objectionem ſibi fecerat Warrenus, a nobis quoque p. 102. in

Digitized by Google

literas relatam: *Cacumina montium apparere cæperunt decreſcente diluvio, Gen. VIII. 5. Ergo prius aquis fuere cooperta:* reſponderatque, non emerſiſſe ex aqua, ſed e tenebris, ſicque apparuiſſe. Regerit Burnetius, ſibi potius credibile videri, poſt nubes omnibus vaporibus in aquas olim condenſatis, continuo imbrium per quadraginta dies defluxu, exhauſtas, aerem non turbidum ſed pellucidiorem atque a nebulis liberum evaſiſſe. Quærit itaque, cur non montium cacumina poſt ceſſationem pluviarum ſive die diluvii XL, ſed demum poſt plures centum quinquaginta diebus apparuerint? Neque aliam rationem dari poſſe perſuaſus eſt, quam quod ultra ſesquicenteſimum diem diluvii, montium apices aquis undiquaque, non vero aere tenebricoſo tecti fuerint. Explodit conjecturam Warreni nulla prorſus ratione ſtatuminandam, Solem ſtatim poſt quadraginta pluvioſos dies exactos, magnam imbrium delapſorum partem iterum in vapores commutaſſe & in altum evexiſſe, hacque ratione aquas ex orbe noſtro removendi initium feciſſe, id quod p. 102. adjicere neglexımus. Contrarium enim liquere ait ex *Gen. VIII. 3.* ubi initium decrementi aquarum in diem demũ centeſimum quinquageſimũ rejicitur. Et quia Solem in partes heic vocaverat Warrenus ad turbandũ & obtenebrandũ atmoſphæram, Burnetius ſalſe ridet, (quod & ſupra ex profeſſo fecerat) hypotheſin ejus de vaporibus materiæ humidæ ac flatulentæ primigeniæ tertia creationis die calore Solis in altum eductis, dein ſubſidentibus ac inter ſe in moles prægrandes terreas lapideasque, quas montes vocamus, vario modo concreſcentibus; hac occaſione problema ventilari poſſe feſtive arguens: *Utrum Henricus VIII. prior fuerit Henrico VII?* eo quod Warrenus ſimilem in modum diſputarit, num Sol, quem quarto demum die creationis memorat Moſes, aliquid ad opus diei tertiæ contulerit?

Inter cætera argumenta, quibus depugnat Burnetius in diluvium Warrenianum, reperias & iſtud, non opus fuiſſe arca Noachi, niſi omnes montes undique inundati fuerint. Potuiſſe enim Patriarcham cum familia novique orbis ſeminario, faciliori negotio in montem ſecedere, ac ſeſe hunc in modum periculo cataclyſmi quindecim-cubitalis ſubducere.

Sed mittamus opinionem illam quadrata rotundis, ſuperna inferis pro lubitu miſcentem, ſimulque ejus antagoniſtam Burnetium, qui defunctus

functus pugna cum Warreno inita, alii ex adverſariis ſuis reſponſum ullum dare recuſat, *Herberto* puta *Crofto*, epiſcopo quondam *Herefordienſi*, de quo menſe Martio, an ſuperaret vivus, dubitabamus, nunc autem inter mortuos referendum eſſe, ſub finem jamjam menſis Maji ex novellis publicis ſignificavimus.

BIBLIOTHECA CHRONOLOGICA ILLUſtrium Virorum provinciæ Lombardiæ Sacri Ordinis Prædicatorum, qui ab Ordine condito ad hæc usque tempora in eccleſiæ utilitatem calamum acuerunt. Autore P. F. Andrea Rovetta de Brixia Theol. M. Inquiſitore Veronenſi & Priore Provinciali ejusdem provinciæ.

Bononiæ 1691. typis Joſephi Longi in fol. 3. alphab. 7. plag.

HIſtoriam Ordinis FF. Prædicatorum plures illuſtrarunt. Aliqui annales & chronica hujus Ordinis conſignarunt, ut *Thomas Malvenda*, & Hiſpanico idiomate *Ferdinandus de Caſtillo*, ejusque continuator *Johannes Lopezius*, quorum hiſtoriam generalem Ordinis Dominicani *Timotheus Botonus*, & *Hyacinthus Cambius* Italice reddiderunt, ut *Johannem a Cruce*, *Ludovicum de Cacecas*, & reliquos, quos labor ille occupavit, taceamus. Alii viros hujus Ordinis ſcriptis aliisve rebus præclare geſtis illuſtres recenſuerunt, ut *Antonius de Conceptione*, qui ab inſigni erga Catharinam Senenſem affectu Senenſis cognominari ſolet, in bibliotheca Ordinis FF. Prædicatorum, quam ejusdem Ordinis chronico adjunxit; *Leander Albertus* in opere de Viris illuſtribus hujus ordinis; *Ambroſius Gozzæus* in catalogo Virorum ex familia Prædicatorum literis inſignium; *Seraphinus de Razzu* in hiſtoria Sanctorum & illuſtrium hujus Ordinis Virorum; *Alphonſus Fernandez* in concertatione Prædicatoria pro eccleſia catholica contra Hæreticos, Gentiles, Judæos & Agarenos per epitomen in annales diſtributa, cui adjuncta eſt notitia Scriptorum Prædicatoriæ Familiæ; *Ambroſius de Alta Mura* in bibliotheca Dominicana; *Petrus Malpaus* in Athenæo Dominicanorum; *Johannes Baptiſta Lancius* in elencho Scriptorum Ord. Dominic. *Vincentius Maria Fontana* in theatro Ordinis

Digitized by Google

dinis Dominicani &c. Alii intra certas illuſtrium Dominicanorum claſſes conſtiterunt, ut *Hieronymus Burſellus*, & *Sebaſtianus de Olmedo*, qui Generalium hujus Ordinis hiſtoriam expoſuerunt; *Antonius Malletus*, qui Paparum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Doctorum & aliorum virorum illuſtrium, qui in conventu S. Jacobi Pariſienſis vel Priores vel Religioſi fuerunt, hiſtoriam contexuit; *Balthaſar Sorionius*, qui de illuſtribus Dominicanis Provinciæ Aragoniæ egit, & quis omnes enumerare poſſit?

Progredimur ergo ad Rovettam præſentis voluminis Autorem, qui provinciæ Lombardiæ Dominicanos, quotquot ingenii ſui monumentis claruerunt, juxta annorum ſeriem ita delineat, ut ipſorum ſtudia, dignitates, virtutes, aliaque ad vitæ curriculum ſpectantia, & denique elucubrata ab ipſis opera breviter enarrat. Auſpicatur hoc opus ab ipſo Ordinis Prædicat. fundatore Dominico, cui Poſtillam in epiſtolas Paulinas, & aliam in epiſtolas canonicas, nec non in Davidis Pſalterium, & Matthæi evangelium, & ſeorſim in illa Matthæi verba c. 8. *Adſcendente Jeſu in naviculam*, item duos fidei libellos, quos ſæpe in ignem conjectos nunquam tamen combuſtos fuiſſe tradit, nec non tractatus nonnullos de laudibus Mariæ, & diverſos ſermones de Pſalterio Virginis tribuit; etſi *Natalis Alexander* ejusdem Ordinis ſocius Dominicum inter Scriptores eccleſiaſticos non retulerit, cum veteres, qui Dominici acta ſcripſerunt, operum illorum non meminerint, nec uſlibi hodie inveniantur, & præterea quidam non duos libros, ſed ſchedulam tantum in ignem conjectam & miraculo illæſam manſiſſe memorent: qua de re Dominicani fratres inter ſe tranſigant. A Dominico ad cæteros Dominicani Ordinis Lombardiæ provinciæ Rovetta pergit. Scriptores numero fere ſexcentos Permiſtæ ſunt Fratribus etiam nonnullæ Sorores, nempe Petronilla Bava, Martha de Roſa & Paulina de Aymericis. Inter autores, quibus in hac bibliotheca adornanda ſe uſum profitetur, memorantur *Jacobus de Suſato, Ambroſius Tagius, Johannes Michael Plodius*, & *Vincentius Maria Rivalius*, cujus catalogum MSC. Scriptorum Provinciæ Lombardiæ ad manum habuit. Atque his aliisque, quos uſurpavit, Scriptoribus errores ſuos acceptos referri cupit. Refert autem ad Lombardiam non eos modo, qui in hac provincia nati, ſed etiam qui ſolenni profeſſione conventuum hujus provinciæ filii facti ſunt, ut Cardinales Urſinum & Hovardum.

Adjun-

Digitized by Google

Adjuncta eſt huic bibliothecæ Syntaxis Ampliſſimorum Virorum Provinciæ Lombardiæ Sacri Ordinis Prædicatorum, qui ab ordine condito usque ad hæc tempora primos ordinis gradus atque dignitates obtinuerunt. Quod opus in ſex partes ſeu tabulas diſtributum eſt. Prima tabula eos complectitur, qui ad totius Ordinis regimen aſſumti ſunt. Secunda illos, qui ad munus Magiſterii ſacri Palatii in Romana Curia exercendum a Romanis Pontificibus electi ſunt. Tertia eos, quibus regimen Commiſſariatus generalis Romanæ univerſalis inquiſitionis commiſſum & demandatum fuit. Quarta eos, qui Conciliis aliisque diſceptationibus & colloquiis adverſus hæreticos interfuerunt. Quinta eos, qui ad varia ardua & difficilia Romanæ ſedis negotia tractanda adhibiti fuerunt. Sexta denique eos, qui pro fide ſanguinem fuderunt.

DICTYS CRETENSIS DE BELLO TROjano, ſive L. Septimii Ephemeridos belli Trojani Libri ſex; cum notis Joſiæ Merceri, Caſparis Barthii, Ulrici Obrechti, Pauli Vindingii, & indice Sam. Artopœi. Acceſſit Daretis Phrygii Hiſtoria Trojana.

Argentorati ſumtibus Joſ. Stædelii 1691. in 8. Plag. 24.

HIſtoriam ſive fabulam de Trojæ obſidione & excidio plurimi veterum literis mandarunt, neque Trojanorum virtute atq; fortuna, & ut Priamus ſtulta in Paridem filium, qui rapinæ juxta & adulterii crimine ſe commacularat, indulgentia, ſimul quid patris quid regis officiũ eſſet oblitus, potius duxerit implicari bello funeſtisſimo quam reddere Helenam, eaque ratione & genus regium & omnem Trojanorum potentiam admoverit fatis ultimis, quicquam decantatum magis a vetuſtis ſcriptoribus, quos ferme omnes temporũ injuria nobis ſubduxit. *Dictyn Cretenſem* & *Daretem Phrygium* ex naufragio iſto tot belli Trojani ſcriptorũ utcunq; evaſiſſe quidam exiſtimant, ſed ita ut non niſi eorũ Interpretes ſint ſuperſtites: ac *Dictyn* quidem Phœniceis literis ſcriptum & ſtannea arcula conditum, a paſtoribus forte inventum & Neroni inde oblatum, a *L. Septimio*, *Daretem* autem a *Corn. Nepote* in Latinam linguam translatos, præfationes commentariis his præfixæ ſuaviter fingunt. Rectius eruditi exiſtimant, *L. Septimium* virum quempiam haud vul-

Digitized by Google

garis ingenii, inclinantibus jam rebus Romanis, Conſtantini aut Theodoſii ætate, cum cerneret multa diverſis modis de famoſiſſimo illo bello differri, ſtatuiſſe omnem hiſtoriæ ſeriem, omiſſis & reſecatis iis quæ de Deorum pugnis fabuloſe vulgata & a Poetis conficta erant, quæque fidem antiquiſſimæ & maxime memorandæ Græcorum expeditionis elevabant, inſtar certæ narrationis ſex libris complecti, iisque omnem belli hujus hiſtoriam ab ipſo initio uſque ad Græcorum ducum reditum deſcriptum includere: uſum autem fuiſſe nomine *Dictys*, & commentum ac ſi e ſcriptoris iſtius libris ſuos traduxerit, ut autoritatem & fidem ſibi conciliaret, dum narrationem petiiſſet ab eo qui bello ipſi interfuerit, ab Idomeneo juſſus rerum geſtarum ſeriem literis exponere: libellum de excidio Trojæ *Daretis* nomine præſcriptum, ab Argonautica expeditione injuriarum Græcis illatarum initium repetentem, dein ab inſecuta Heſionæ ſervitute, Cornelii Nepotis nomine præfixa epiſtola, nemini imponere, cum cuivis manifeſtum ſit, ejus vetuſtati ſcriptorem hunc reſpondere minus: utriusque autem libros *commenta* eſſe *eorum, qui de bello famoſiſſimo ludere voluerunt*, ceu de iis loquitur *Lud. Vives Lib. V. de trad. diſcipl.* Etſi autem ambo hi ſcriptores ex compacto rem egerunt, quaſi in velabro olearii, multum tamen alter alteri præſtat, & judicio ac elocutione Dictys longe eſt ſuperior: quibus virtutibus *Scioppio* impoſuit, ut *Velleji, Valerii Maximi & Curtii ætate ab aliquo elegantis ingenii & judicii homine animi gratia & exercitationis* ſcriptos ejus libros ſibi videri affirmet, *Joſias* autem *Mercerus* elegantem mediæ ætatis ſcriptorem *maxima eruditione & judicio pollentem* eum vocare haud dubitet. Cui *Mercero* etiamſi non ſalutem & integritatem, certe quod plurium manibus terantur, uterque horum ſcriptorum debet. Is enim poſt Mediolanenſem anni 1477 & Venetam anni 1499 ac Baſileenſes anni 1573 & 1583 editiones, novam adornans ope duorum manuſcriptorum codicum, quorum alter Petri Danielis, alter Pauli Petavii fuerat, infinitas in Dicty mendas, quæ priores editiones inſederant, ſuſtulit, & Daretem e codicibus duobus bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis meliorem conſtituit, geminosque hos Pſeudonymos, adjectis Dictyi annotationibus, anno 1617 in Gallia evulgavit. Quæ editio poſtea aliquoties in Belgio repetita, undecim abhinc annis doctiſſimam in Galliis virginem *Annam Tanaquilli Fabri filiam*, (quæ in Andr. Dacerii matrimonio jam agit) ſtimulavit, ut

& ipſa

Digitized by Google

& ipſa binos hos commentitios ſcriptores interpretatione & notis ſuis nitidiſſime ad Delphini uſum adornatos, & ex Homero aliisque Græcis & Latinis autoribus illuſtratos, in publicum ederet. Cum vero in Academiæ Argentoratenſis bibliotheca MSCtus Codex Dictyis extaret, eundemque olim, cum ſtudiis iſtam Academiam exornaret, qui hodie univerſam eam urbem conſilio & auctoritate regit, Vir illuſtris *Ulricus Obrechtus* accurate contuliſſet, eruditas etiam obſervationes in difficiliores & impeditos Septimii hujus, qui Dictyn in Latinum ſermonem transtuliſſe ſe finxit, locos literis conſignaſſet, eas nactus Juvenis eximius & literarum elegantiæ ſtudioſus *Samuel Artopæus*, has de bello Trojano ephemeridas, capitibus diſtinctas, eumque fere in modum, quo ex iſta Academia olim Tacitus, Suetonius, Juſtinus, Florus, Cornelius Nepos & Velleius Paterculus concinnati, ab utili & bonis autoribus conveniente induſtria Berneggeri, Freinshemii & Bœcleri prodierant, adornatas dedit, ac integras *Merceri*, collectasque ex *Adverſariis* ordine diſpoſitas *Barthii*, & ineditas hactenus doctiſſimorum Virorum *Obrechti* & *Vindingii* notas adjecit. Utque numeris omnibus abſoluta extaret editio, *Indicem* etiam ejus concinnitatis, quam Argentoratenſes primi reperiſſe ex vero laudari poſſunt, annexuit: in quo non rerum ſaltem in Dicty memoratarum ſumma capita, verum etiam phraſium & locutionum rariores annotavit, oſtenditque cum Salluſtiana dictione Septimianæ prorſus convenire. De Pſeudo Darete autem, quod non omittendum duximus, in *Præfat.* obſervavit Artopœus, ejus libellum periocham videri carminis illius, quod ſex libris Hiſtoriam de bello Trojano complexum, olim Cornelii etiam Nepotis nomine circumlatum fuit, procul dubio hanc ipſam ob cauſam, quod expoſuiſſet hiſtoriam quæ a Cornelio Nepote e Daretis Græco in Latinum ſermonem translata ferebatur; ſed a *Joſepho Iſcano* ſive *Exonienſe* Anglo, quem *Devonium* nonnulli vocarunt, ſcriptos fuiſſe ſex iſtos poematum libros, *Cambdenus* in *Britannia* annotavit, eosque vero autori ſuo aſſertos *Samuel Dreſemius* anno 1620 cum Notis edidit.

FASCICULUS DISSERTATIONUM Hiſtorico-Critico-Philologicarum, collectus ac pleniſſimis indicibus auctus a Thoma Crenio.

Roterodami apud P. Vander Staart, 1691. in 8. plag. 35.

Cum

CUm pro exercitiis Academicis publicis, quibus ad diſceptandas rite ſcholaſticas controverſias ſtudioſa juventus aſſuefieri amat, non nudæ ſemper theſes, ſed luculentæ ſubinde Diſſertationes juſto ſtudio elaboratæ, certumque argumentum velut exhaurientes, ad diſputandum proponantur, quas Poſteritatis etiam uſibus conſervari Litterariæ Reipublicæ intereſt: improbandum minime videtur *Crenii* noſtri inſtitutū, quo Diſſertationes ejusmodi diverſos in faſciculos colligendas typis denuo committere decrevit. Neque id ſine judicio atque ſelectu, qualis in tali opere omnino requiritur, præſtitum ab eo iri, vel primum hoc, quod nuper exhibuit, Specimen abunde comprobat, quinque Diſſertationes, eruditas ſane eas quasque legiſſe neminem pœnitere poſſit, complexum. Verum eas quidem, quia novæ non ſunt, ſed in multorum jam manibus verſantur, & perluſtrari ab aliis brevi temporis ſpatio poſſunt, indicaſſe nobis hoc loco ſuffecerit.

Prima eſt *Edmundi Dickinſonii*, quam Delphos Phœnicizantes inſcripſit, Oxonii, etſi non per modum Academicæ Diſputationis, A. 1655 edita, & poſtea Francofurti A. 1669 denuo impreſſa, qua Græci, quicquid apud Delphos celebre erat, e Joſuæ Hiſtoria & Scriptis ſacris traxiſſe demonſtrantur. Altera eſt *Adami Tribbechovii*, in Academia Kilonienſi (in qua Profeſſorio tum munere fungebatur, Superintendens poſtea Saxo-Gothanus, *νῦν ἐν ἁγίοις*) publicæ olim ventilationi expoſita, qua veritas creationis, prout a Moſe deſcripta eſt, in traditionibus gentium ac vetuſtiſſimis antiquitatis profanæ monumentis oſtenditur. Tertia *Martinum Geierum* auctorem agnoſcit, Theologum Saxoniæ noſtræ poſt fata etiam venerandum, & locum Eſaiæ LIII. 8. 9. 10. de morte, ſepultura & reſurrectione Meſſiæ illuſtrat, pro Licentia olim adeundi ſupremum in Theologia gradum, in Academia hac noſtra ad diſputandum propoſita. Quarta Hiſtorico-Chronologica Computum ſacrum LXX Hebdomadum Danielis explicat, in Wittebergenſi quondam Academia, cujus antequam ad Gedanenſes abiret, illuſtre ornamentum fuit, ab *Aegidio Strauchio* edita, ſæpiusque poſtea recuſa. Quinta denique de Davidis & Salomonis Satellitio, Crethi & Plethi, auctorem habet *Henricum Opitium*, præclaris in litteras & orientales cumprimis meritis celebrem, & SS. Theologiæ hoc tempore in Academia Kilonienſi Profeſſorem.

RELA-

RELATIO DE LITERIS APOLOGETICIS Carolæ Catharinæ Patinæ, Pariſinæ, Academicæ Recuperatæ, Patavio A. 1689 Lipſiam ad Actorum Eruditorum Collectores datis.

CUm *Collega deſideratiſſimus*, cujus obitum immaturum paucis abhinc menſibus ex merito luximus, celeberrimi viri *Caroli Patini* commentarium in monumentum Marcellinæ ad Acta Eruditorum A. 1688, p. 557. ſ. retuliſſet, appendicis loco, (ut ſæpius in ſimilis argumenti libris olim fecerat,) adjecit de ſuo *conjecturas* nonnullas, quas non ægre laturum ſperabat Auctorem a ſingulari modeſtia æque ac exquiſita eruditione commendatiſſimum. Neque ſane ſpes eum fefellit, cum is hactenus nihil regeſſerit. At doctiſſima ejus filia, CAROLA CATHARINA, (anno jam 1684. p. 587. una cum ſorore *Gabrielide Carola* nobis laudata,) pro ea, qua meritiſſimum Parentem colit, pietate, objectiones Patino factas, non multo poſt, *epiſtola* ad nos data, refellere juſto ſtudio ſategit.

Hanc in compendium redigere, ac publici juris facere non tamdiu diſtuliſſemus, niſi συνεργὸς ille noſter, cujus potiſſimum res agebatur, aliquid in literas referre incepiſſet, quo & rationes τῆς ἐξ ἐναντίας ſumma fide recenſebat, ac quandoque quidem herbam ei porrigebat, cauſſa diſſenſus in æneum apographum a Patino publicatum rejecta, quandoque tamen oſtendebat, habere ſe nonnihil, quod reponere poſſet, niſi ab altercandi pruritu abhorreret. Sed cum per concatenata negotia alia partim, partim per mortem beatam, non integrum ei fuerit, id ſcriptionis, quod olim molitus erat, ad umbilicum perducere, nobis incumbit, vel nunc tandem Lectori ſignificare, quibus armis Pallas illa Patavina contra eum depugnarit.

Non vero negamus, nobis haud inſciis, aut impedientibus, conjecturas illas a Collega noſtro, Patini eruditorumque aliorum judicio ſubjectas. Utut enim non per omnia (præſertim quoad *ſiſtrum*, quod putabat, & *ciſtam ſacram*) cum eo conſenſerimus, cætera tamen, quæ conjiciebat, non omni probabilitatis ſpecie deſtituebantur, ac ad minimum anſam dare poſſe videbantur *Patino*, ut adhuc ſemel marmor inſpiceret, & ne figura ænea aut nobis aut aliis fraudi eſſet, epiſtola brevi ac nihil habente nigri ſalis, doceret, quid ſibi de dubiis illis videretur.

Digitized by Google

Quod a Patino expectavimus, præſtitit Patina. Obſervat illa ante omnia, patrem non quæſiviſſe, cur *ampliſſimo* Ἀρχιερείας *honore* Marcellinam affecerint, ſed cur *monumentum* publicis ſumtibus ei *fecerint Magnetes* ac *Smyrnenſes*? Legerat Noſter in marmore non ΟΥΑ. Θ. uti Patinus, ſed ΟΥΑ. Θ. h. e. ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ. Sed Patina ad monumentum ἀρχέτυπον provocat, quod Patavii tam ab aliis, quam a Germanis etiam, hosque inter a viro celeberrimo, *Gothofredo Guilielmo Leibnitzio*, Lipſienſi, Conſiliario Brunſuico-Luneburgico inſpectum fuerit. Neque ſe ait tam imperitam eſſe Græcæ linguæ, quin Α ab Λ rite diſtinguere valeat. His lectis, ingenue fatebatur Noſter, quæ de Valeriis diſſeruiſſet, a ſcopo aliena fuiſſe. Sed querebatur ſubinde, non curaſſe ſatis Patinum, ut ſculptor ſuus orthographiæ ſtudioſus eſſet. Quod ſi enim figuram æneam inſpiciat aliquis, vel lynceis oculis præditus, non appariturum ei aliud quidquam, præter ΟΥΑ, hoc eſt ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ, non ΟΥΛ, h. e. ΟΥΛΠΙΟΥ.

Inſtrumentum illud, quod altera Marcellinæ miniſtra tenet, non noſſe ſe dixerat Patinus. Noſter *ſiſtrum* eſſe conjectabat, adducto in partes ſuas *Pignorio*. Sed Patina obtendit, ſiſtrum Pignorianum inſtrumentum illud ſphæriſterii referre, quo pilæ propulſari ſolent. Et quamquam non potuit oſtendere, quem uſum habuerit in ſacris Iſidis inſtrumentum ejuscemodi *foliatum* & *cuſpidatum*; ſiſtrum tamen non eſſe certo certius autumavit, quia nullæ virgulæ intermediæ per latera inſtrumenti, quæ recurva eſſe deberent, trajectæ in marmore integerrimo viſantur.

Miniſtram iſtud tenentem Patinus nominaverat *lugentem*; Noſter *meditabundam* vel *devotam* ac *ſubmiſſam*. Patina concedit eam *meditari*, ſed obitum Antiſtitis ſuæ, quem non poterat non lugere. Sicque obſervat, loco ſacerdotularum ejusmodi, in aliis epitaphiis Cupidines Muſasve præpropera mortuorum fata lugentes conſpici.

Miniſtras ambas *calamiſtratas* agnoverat Patinus; Noſter *vittatas*. Sed auctoritate ipſius archetypi litem hanc iterum dirimit Patina, nullumque *reticulum* muliebre in marmore extare aſſeverat. Nimirum acceperat Noſter dubio procul *umbras* pro reticulo; nec dubitamus, adſtipulatum poſtea Patinæ.

Quoad veſtitum, *probe induſiatas* ſacerdotes illas dixerat Patinus. Noſter, *induſium* accipiens pro linea veſte cutim proxime tangente, (quæ

(quæ Gallis *une chemiſe*, nobis ein Hembde vulgo appellatur,) illud non apparere objecerat, ſed tantum *camiſiam* veſtem ſuperiorem & *tunicam* talarem, hoc eſt, *une camiſole & une jupe*, ein Camiſol und Rock; ſub quibus intus lateat *induſium*, ſive *la chemiſe*. Non niſi de nomine *camiſiæ* Collegæ noſtro controverſia moveri potuit. Nam non admodum alias diſſenſit a Patino; niſi quod hic tunicam ſive ſtolam talarem ipſi cuti ſacerdotum harum adhæſiſſe adeoque & induſium fuiſſe, æque ac filia ſtatuere videatur. Hinc, explicata ſententia per voces Gallicas, non eſt neceſſe, ut quæ contra eam prolixius diſputat Patina, excerpamus; hoc ſolum addimus, ſi barbara *camiſiæ* voce Noſter, non ad ſenſum Gallorum ac Italorum, uſus eſt, nec Patinianam *induſii* acceptionem pro quolibet *indumento*, uſu ſatis receptam eſſe.

Sacerdotula altera aram offerre Marcellinæ Patino viſa eſt; Noſter inquit: *Fert illa omnino aram* Ἔρωτι Οὐρανίῳ *ſacram. Nam & in ſacris Deæ Iſidis, quæ eadem cum Venere cæleſti eſt, a ſacerdotibus aræ gerebantur.* At Patina: *in ſacris Deæ Iſidis a ſacerdotibus* aræ gerebantur, *dum procedebant*, *fatemur. Sed in marmore noſtro omnia ſtant, nunquam proceſſura.* Quia vero ex ænea figura adeo firmiter ſibi perſuaſerat Noſter, aram illam non tantum penes ſacerdotulam extare, ſed & abs ea ipſa manibus ferri, addit tandem virgo literatiſſima: *Quid dein repugnaret, aram hanc PROCEDENDO, Marcellinæ, ſummæ Uraniæ Veneris miniſtræ, offerri?*

Gravius diſſidet Patina a Noſtro quoad hujus *ciſtam vimineam*, ex qua ſerpens promineat; qualem etiam in onychino vaſculo a. 1683. p. 141. depictam ſtitimus. Verum nec pauci fuere e noſtratibus, qui in ſculptura quoque a Patino divulgata, facile agnoverunt arborem, & id quod *Appendicis* auctor *baſin* ciſtæ eſſe putavit, pro reliquo ſerpentis corpore habuerunt. Cæterum neque illa Patinæ verba heic prætermittenda arbitramur: *Veram eſſe Parentis conjecturam circa ſerpentem & cupreſſum, affirmabunt opinor, qui ejus in ſua priora marmora Smyrna allata commentarios legerint, in quibus nihil dubii relictum mihi videtur.*

In ſuperiori eaque dextra parte tabulæ viſuntur duo πάρεργα *ornamenta ſculptoris*, ut Noſter putavit, aut potius, quæ Patini Patinæque ſententia eſt, *arculæ* duæ, quæ thus vel alias res ad ſacerdotium pertinentes continent.

Digitized by Google

Pergit Noſter: *Marcellinam -- ipſam inter duos dextræ manus priores digitos aliquid ſacri inſtrumenti tenere dixeris.* Reſpondet Patina: *Nil ipſa tenet; manum admovet velo ſeu tunicæ parti, caput operienti & ab ipſa pendenti. Patere id Vobis potuit ex alta velantis panni parte, ab ejus ſiniſtra pendente, quamvis nonnihil obſcuriore. Solent pictores noſtri, -- figurarum latus luci expoſitum albo, oppoſitum nigro ſeu umbris exprimere; ſtatuarum inciſores, extantiæ beneficio gaudentes, tali arte non indigent. Sic in marmore noſtro apertiſſime conſtat veli ſpecies in utroque latere. Et ne fallere vos videar, ſinceros, quæſo, admovete oculos ſiniſtræ colli parti; inter umbras animadvertetis æqualem pendere pannum ac in dextra.*

Fatetur tandem Patina, non cingulum ſed tunicam à Patre *ceſtum Veneris* dici. Ac hic iterum de ἀκριβολογία tantum lis videtur mota a τῷ Μακαρίτῃ. Unde non potuit non contentus eſſe illis Patinæ verbis: *Ipſe parens confirmavit,* (in marmore) *eſſe indumentum, non cingulum, opinaturque eſſe ſtolam Medicam ſeu Perſicam, fluxam ſcilicet & talarem, qualem repræſentat Oct. Ferrarius in Analectis p. 80.* Monet porro, a Noſtrate confundi *Veneres, cæleſtem* & *vulgarem*; cum de illa ſola Patinus loquatur, de hac vero exaudiendum ſit proverbium: *Veneris ceſtum habere.* At hoc ipſum eſt, quod male habebat collegam noſtrum, cum non imaginari ſibi poſſet, qua ratione *ceſtum*, Veneri terrenæ adſcribi ſolitum, *Cæleſti Veneri* tribueret Patinus.

Hæc contenta ſunt epiſtolæ a doctiſſima Patini gnata exaratæ. Epitomen hanc ſumma fide confecimus. Et ſi quid porro nos velit virgo illa erudita, poterit monere. Contentiones ejusmodi rem literariam mirifice illuſtrant, modo a conviciis utrinque abſtineatur, quæ eruditos minime decent.

AANTEKENINGEN OVER DE VIJF Boeken Moſis, Pſalmen en Hoogelied, met een bericht belangende ſommige tegenwerpingen tegen de onvervalstheid van de Hebreeuſche Text, ende de aantrekkinge van de Rabbijnen in deſe Aantekeningen, door Henricus Ainsworth, ende nu uit 't Engelſch vertaalt door Sibrandus Vomelius, Dienaar Jeſu Chriſti tot Bolsward. i. e.

Henrici

Henrici Ainsvvorthi Annotata in Pentateuchum, Pſalmos & Canticum Canticorum, cum enumeratione refutationeque objectionum quarundam contra Hebræi Textus integritatem, ac Rabbinorum in iisdem Annotatis citationem: ex Anglica lingua in Belgicam translata a Sibrando Vomelio, V. D. Miniſtro Bolsvvardenſi.

Leovvardi, apud Heronem Nautam, 1690. in fol. Alph. 12. pl. 16.

DUdum eſt, quod inter lumina decoraque Sacrorum Interpretum, quibus Anglia gloriatur imprimis, Henricus Ainsvvorthus innotuit, itaque ingenio judicioque, ac doctrina in Divinioribus literis interpretandis abunde ſpectata probataque affecit legentes & tenuit, ut nec pauci Commentatorum Moſaicæ potiſſimum Scripturæ ſuos inde duxiſſe latices, & de iſto fonte ſe ingurgitaſſe probe haud temere videantur. Quo factum ut Matthæus etiam Polus in ſua Criticorum Synopſi paſſim ſæpiusque vocare ad partes, & deflorare accuratius hæc ipſa Ainsvvorthi Annotata penſi habuerit, *tanto* ſcilicet *acumine & judicio, tanta fide & peritia exarata, ut digna auſit pronuntiare, quæ in exteras linguas tranſfundantur.* Quare omnino operæ pretium fecit Vomelius, dum vertendi hanc aleam jecit, nec poſſumus non approbare induſtriam ſtudiumque in iſto labore Belgis civibus ſuis navata. Adeo enim exquiſita & egregia plurima habet, quæ a vulgo Interpretum fere aliena ſunt, & demorſos ungues, ſolertiamque amuſſitatam ſatis ſuperque præferunt. Quippe cum id ſedulo Auctor agat, ut non tantum phraſin & dictionem ex fontibus excutiat, explicetque, ſi quid obſcurum & ambiguum, verum etiam ut in μυστικώτερα inquirat, evolvatque, ubi ſenſus reconditior inſit, qui Chriſtum ejusque diſciplinam tegat figuris, & ambagibus typorumque involucris cœleſte velet arcanum; nec alia incedit linea, quam ut ſigna ac umbras cum corpore, priſcumque Fœdus cum Novo conſiderate atque apte jungat contendatque, & inſuper ea, quæ quavis ratione faceſſunt negotium ac turbant, ex clarioribus ipſiusmet Scripturæ locis diſcutiat amoliaturque. Id quod pulchrum eſt, & mirifice decet, ut ipſa vis orationis, & linguæ indoles, Scripturæque virtus ac dignitas, ex ipſa potius Scriptura magis eniteat ac

magis. Namque ſolet fieri, ut varient mutentque ſermonem Scriptores Sacri, & eaſdem res alio aliove quaſi amictu conveſtiant, & nunc preſſe atque conſtricte agant, nunc dilatent ſe, & quiddam amplius afferant, itemque ſub tenebris & denſa quadam involvant nocte, quod aliquanto plenius ac apertius alibi, &, remota caligine, diſertius exponunt. Atque hanc ſibi jucundam rationem potiſſimum duxit Ainſvvorthus, ut nec aliam ad germanos Scripturæ ſenſus eruendos, pertentandasque omnes latebras, viam inſiſteret, ſequereturque ipſum Spiritum Divinum, velut Ariadnæum filum, ac optimum verborum ſuorum
p. 21. ἐξηγητὴν. Hinc Geneſ. IV. v. 1. *Et Adam* ידע חוה optime exponit ex
Numer. XXXI. 17. אשת ידעת איש למשכב. Sic Numer. XIV. 21.
חי אני, tanquam Divini juramenti formulam ex Jeſaiæ XLV. 23. arceſſit, בי נשבעתי, quod Paulus Rom. XIV. 11. ita adducit: ζῶ ἐγώ,
λέγει Κύριος. Et Deuteron. VI. 13. ובשמו תשבע, ubi jurare in
p. 597. ſolo Dei nomine jubemur, de ἐξομολογήσει, ſeu religioſa Divini Nominis confeſſione cultuque ex Apoſtolo intelligit, qui Jeſaiæ iſtud, לי תכרע כל ברך תשבע כל לשון, cap. XLV. 23. ad Romanos loco antea citato tranſtulit: ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, καὶ πᾶσα γλῶσσα
p. 740. ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ. Genes. XLVIII. 16. ויקרא בהם שמי ושם
אבתי אברהם ויצחק vertit, juxta Belgicam expreſſionem, *ende laat mijn name over haar genoemt worden, ende de name van mijne Vaders*
p. 165. *Abraham en Iſaak*, ſenſumque petit ex Deuteron. XXVIII. 10. II. Chron. VII. 14. Jerem. XIV. 9. ubi *nomen Dei vocari* dicitur *ſuper nos*, quos ut
p. 166. filios nempe adoptavit, inque nomen ſuum aſſumſit. Secus atque τῶν ἐξ ἐναντίας ſententia, qui hunc Geneſeos locum ad Sanctorum invocationem cogunt inflectuntque, quos male inde urit Ainſvvorthus in Præfatione, qua præparandis Lectorum animis, & quodam imbuendis guſtu de Moſaica Interpretatione, multa haud contemnenda eruditaque inſpergit. At enim de Græca Septuaginta Verſione, Chaldaicoque textu, quantum inter ſe confligant, aut bene reſpondeant concinantque, non tralatitie juxta ſatagit: tum ipſa Hebræorum quoque monumenta, egregii & non vulgaris commatis, varie atque ſubinde ad partes aſſumit, præcipue in ritibus Judaicisque cæremoniis pertexendis enucleandisque. Quarum cum ubique in Levitico occaſio & copia præſto ſit, emolumentumque ingens ac fructus largiſſimos Maimonidis Scripta præ cæteris afferant, horum vineta ſane quam inſigniter cædit,

Digitized by Google

cædit, reſecatque ad vivum omnia, quæ in Divinis oraculis adprime vim atque momentum habent. Cæterum cum vanum non tantum, ſed noxium prope nonnulli exiſtimarent, in Rabbinorum fæce illuſtrandæ Scripturæ præſidia & adminicula petere, in quibus nihil ſani atque perpenſi magnopere ineſſe poſſit; detrahenda omnino hæc larva erat, & Judaicorum monumentorum auctoritas utilitasque in appendice dignis modis aſſerenda: juxtaque tuenda Divini textus integritas contra maleferiatorum inſultus, qui ex diverſa lectione קרי & כתיב nubes & inania captabant indeque velut ex arce Hebraicam veritatem oppugnabant. Ainſvvorthus totam hujus fabulæ ſcenam explicat, & utriusque lectionis cauſam pluribus diſceptat, ut authentiam utrinque evincat ſtabiliatque. Nihil poſthæc ſolicitus magis, quam ut vocis יהלם, quam ipſe Exodi XXVIII, 18. *Sardonichem* reddiderat, uberiorem paulo συζήτησιν, & quendam ἀπολογισμὸν breviter attexat, quo ψευδερμηνείας culpam enixiſſime deprecaretur, quam inter cætera accuſationis capita obtrectatores intentabant. Nec aliud præſentius promptiusque patrocinium videbatur, quam ex Apocalypſi Johannea cap. XXI. 20. jam tum deſumtum. Ubi duodecim lapidum nomina in Aharonitico Pectorali expreſſa ſignataque notari plane perſuaſum habebat, indubitatumque *Adamantem* a Prophetis Zacharia VII. 12. Ezechiele III. 9. Jeremia XVII. 1. per שמיר ſignificari. In quo tamen hodiedum pugnant diſſentiuntque Scriptores, qui partim אנך ex Amoſo cap. VII. 7. quod Septuaginta ἀδάμαντα vertunt, partim vero illud יהלם ad *Adamantem* trahunt, non levibus ſane rationibus inducti, quarum inire numerum inſtituti noſtri non eſt, ,præſertim cum *Joannes Braunius* id jam fecerit. Quibus & iſtud Aben Ezræ ad Exodi XXVIII. ſi recte ponimus calculum, decretorium fere: ואין לני דרך בבירות לרעית אבני המלואים. Atqui in re difficili & impedita ſatis certo & firmiter judicare, fraudem plerumque ac noxam affert. Interim deſideratiſſimum Bocharti libellum *de gemmis S. Scripturæ* fatorum injuria nobis interceptum ereptumque etiam atque etiam dolemus, qui egregia in hac arena, ſi quisquam alius, ſpatia fecerat.

p. 290.

p. 290.

LIBRI NOVI.

Curſus Mathematicus. Mathematical Sciences in nine books: by William Leybourn. London printed for Th. Baſſet 1690. fol.

Political Arithmetick, or A Diſcourſe concerning the Extent and Value of Lands, People, Buildings &c. by Sir William Petty. London 1691. in 8.

Medici-

Medicina Hydroſtatica: or Hydroſtaticks applyed to the Materia Medica. By the Honourable Robert Boyle. London printed for Sam. Smith, 1690. in 8.

Φαρμακο-βάσανος: or the Touchſtone of Medicines. Diſcovering the Vertues of Vegetables, Minerals & Animals; by their Taſtes & Smells. Vol. II. by John Floyer. London printed for Mich. Johnſon 1691. in 8.

Oſteologia nova: or ſome nevv obſervations of the Bones, by Clopton Havers. London printed for Sam. Smith, 1691. in 8.

Prodromus de oſſium tum generatione tum corruptione interna, auctore Diderico Goodſchalk. Lugd. Bat. apud Petrum de Graaf 1691. in 8.

Laur. Odhelii Synagoga bifrons, ſeu de ſcrutandis collapſæ Synagogæ ruderibus Diſſertatio. Francof. ad Mœnum apud J. D. Zunnerum 1691. in 4.

Summa & Cenſura libri, cujus hæc inſcriptio: Jacobi Perizonii cum V. A. Ulrico Hubero Diſquiſitio de prætorio & vero ſenſu Pauli Phil. I. 13. auctore P. F. Franequeræ apud Henr. Amama &c. 1691. in 8.

Abſterſio Cenſuræ Huberianæ in nuperas reſponſiones Jac. Perizonii ad librum ſingularem Ulrici Huberi de Prætorio. Franequ. apud Joh. Gyſelaer 1691. in 8.

Les Conciles Generaux. Tome I. contenant le premier Concile de Nice, avec des Notes. A Paris chez Dan. Horthemel 1691. in 8.

Nouvelles Découvertes dans le globe de Jupiter faites à l'Obſervatoire Royal par M. Caſſini. A Paris chez Jean Cuſſon 1691.

La vie de S. Thereſe, ecrite par elle meme. Traduction nouvelle exactement conforme à l'original Eſpagnol, par Mr. l'Abbé Chanut. A Paris chez Ant. Dezallier 1691. in 8.

Hiſtoire des Albigeois, des Vaudois & des Barbets, par le P. Benoit. A Paris chez Jaques le Févre 1691. in 12.

Réponſe au livre qui a pour titre: Petri Danielis Huetii Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ, ſervant d'éclairciſſement à toutes les parties de la Philoſophie, & ſur tout à la Metaphyſique, par Pierre Silvain Regis. A Paris chez Jean Cuſſon 1691. in 12.

Du Royaume de Siam. Par M. de la Loubere Envoyé Extraord. du Roi aupres du Roi de Siam. A Paris chez J. B. Coignard 1691. in 12.

Examen d'un Libelle, intitulé: Avis important aux Refugiés ſur leur prochain retour en France. A la Haye chez Abraham Troyel 1691. in 12.

La Cabale chimerique, ou Refutation de l'Examen d'un Libelle &c. A Rotterdam chez Reinier Leers, 1691. in 12.

Hiſtoire de Charles VIII par Mr. Varillas. A Paris 1691. in 4. & à la Haye chez Adrian Moetjens, 1691. in 12.

Joh. Fred. Gronovii de Seſtertiis, ſeu ſubſecivorum pecuniæ veteris Græcæ & Romanæ Libri IV. Lugduni Bat. apud Joh. du Vivié, 1691. in 4.

Les juſtes bornes de la Tolerance, contre l'Avis ſur le Tableau du Socinianiſme. A Amſterdam 1691. in 12.

Memoires de la Cour d'Eſpagne. A la Haye chez Adr. Moetjens 1691. in 12.

Sacrum Muſeum Mantuanæ Congregationis Carmelitarũ de obſervantia, authore Clemente Maria Felina. Bononiæ ex typographia Piſariana, 1691. in 4.

(o)

Digitized by Google

N. VIII.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Augusti, Anno M DC XCI.

VITI LUDOVICI a SECKENDORFF CONſiliarii intimi Saxonici & Brandenburgici Commentarius hiſtoricus & apologeticus de Lutheraniſmo, jam integer proditurus, in libros III. diſtributus.

Lipſiæ apud Jo. Frid. Gleditſch in fol. Alphabeta, ut vocant, habebit circiter XV, non computatis Procœmiis, Summariis & Indicibus ampliſsimis.

Cum de prima hujus Operis parte in Actis anni 1688 p. 1. *& de ejus Supplemento in Actis* anni 1689 p. 301. *egerimus, repeti quidem ſine tædio non poſſent quæ dicta ſunt, non pauca vero dicenda nobis ſupereſſent, niſi Autor ipſe, Vir Illuſtris, de Opere ſuo, quod proximo menſe, Deo dante, integrum proditurum eſt, non ſolum in novo, quod ſub initium Voluminis Lectores reperient, præfamine, ſed & in Actis hiſce noſtris rationem reddere conſtituiſſet. Fecit autem id per modum Epiſtolæ, ad quendam ex noſtratibus, quam integram, ut ad nos pervenit, exhibemus.*

Quamvis non dubitem, *Vir Clariſſime*, quin aliquis e veſtratibus enarrationem *Commentarii* mei *de Lutheraniſmo* Actis inſerendam benevole & lubenter ſuſcepturus ſit; cauſas tamen habui, ut ipſe potius legentibus, quid expectare ex labore meo poſſint, ſimplici quadam recenſione aperirem, quam ut in alium hanc moleſtiam devolverem, & ſimul occaſionem darem ut denuo elogia, quibus in enarratione *Libri primi* ante quadriennium editi, honoratus ſane, ſed & oneratus ſum, adderentur. Magni equidem facio Virorum doctiſſimorum mihique amiciſſimorum judicia & laudes, ſed tanto majus harum tædium ſentio, quanto propius ad metam curſus a Deo mihi præfiniti accedo;

Digitized by Google

ideoque, qui mihi ſuperſunt ex lumine a Deo conceſſo, radios, ab externis & vanis retractos, ad meipſum penitius introſpiciendum & cognoſcendos emendandosque nævos, intentius reflecto. Expoſui ſatis prolixe in *Prœloquio partis primæ*, ut & in *Proœmio Supplementi* anno 1689 publicati, quo inſtituto & fine ſcripſerim, quibusque adminiculis uſus ſim; faſſus etiam, me poſt editam *Partem primam*, ad inſpectionem accuratiorem ampliorum documentorum ex Archivis Principum acceſſiſſe. Natum inde non ſolum mihi eſt *Supplementum* iſtud, de quo dixi, & ſpeciminis loco tunc evulgatum, ſed & poſtea, habita cum Amicis deliberatione, conſilium cepi totum illum *Librum primum* revidendi, corrigendi & augendi, tum curandi ut una forma unoque volumine, cum *duobus* ſequentibus qui nunc producuntur, excuderetur. Dolui quidem, quod hoc modo emtoribus Partis prioris nummi erogati pereant, ſed damnum illud & per ſe exiguum eſt, & majori commodo penſabitur, dum integrum opus uſui publico & Eccleſiarum, quibus id favore & providentia Sereniſſimorum Principum quorundam & Illuſtrium Civitatum deſtinatum eſt, aptius fiet. Invenient etiam novi Voluminis emtores librum *primum* non correctum ſolum, ſed etiam centum fere & quinquaginta locis auctum: addita enim ſunt non modo quæ in *Supplemento* exhibui & ad paucos pervenerunt, verum & alia ex ſcriniis & bibliothecis illuſtribus aut ab amicis ſubmiſſa, quæ nunc primum lucem adſpiciunt: *Additamenta*, quæ in priori editione ad finem Libri rejecta erant, in nova hac locis convenientibus inſerta reperiuntur.

Inter augmenta autem notabiliora & ampliora Libri *primi* (de quo prolixa relatio in Actis *d. l. 1688. p. 1.* extat) hic tantum indicare & referre volui ex Manuſcriptis deſumta, quæ ſequuntur. *Paragr. II. Addit. I.* Friderici Myconii relationem de ſtatu Eccleſiæ ante reformationem. §. *VI. Add. II. lit. l.* diploma indulgentiarum memorabile anno 1516 Smidbergenſi Paſtori datum. §. *VII. Add. e.* Myconii narrationem de actis Guardiani Franciſcani cum Alberto Archiepiſcopo Magdeburgenſi & Moguntino, circa præconium indulgentiarum: itemque de initio oppoſitionum Lutheri adverſus abuſus indulgentiarum. §. *XXXIV. Add. II.* epiſtolam Capnionis ad Fridericum Sax. Elect. de Melanchthone, anno 1518 ſcriptam. §. *XXXVII. Add. II.* duas Lutheri epiſtolas ad Staupitium. §. *XLII. Add. II. e.* ex Luthero quædam de Friderico Saxoniæ Electore: item epiſtolam Conradi Mutiani, *ibid. f.*

§. *XLVII.*

Digitized by Google

§. *XLVII. & LXVII.* multa ex actis & ſcriptis Caroli Miltitii. §. *XLVIII. Add. c.* literas Lutheri ad Fridericum Electorem de Degenhardo Pfeffingero, & de tributis. §. *LXI.* epiſtolam Jo. Eccii de diſputatione Lipſienſi. §. *LXII. Add. II. f. g.* de Moſellano quædam recens inventa. *Ibid. lit. m. n.* literas D. Simonis Piſtoris, & Spalatini narrata MSta de diſputatione illa Lipſienſi. §. *LXXIV. Add.* Burcardi Baronis Schenckii, monachi Franciscani, literas de Luthero Venetiis ſcriptas. §. *LXXXI. n. 6.* relationem ex MSto Spalatini de colloquio Friderici Electoris cum Eraſmo Roterodamo. §. *LXXXIIX. Add. II.* colloquium magni momenti inter Joannem Glapionem confeſſionarium Caroli V, & Pontanum Cancellarium Saxonicum de reformatione: item Jo. Fabri Dominicani literas de eadem. *Add. III. b. & ſeqq.* gravamina Georgii Saxoniæ Ducis de Eccleſiæ Romanæ abuſibus. §. *XCI. Add.* ſummam orationis ab Aleandro Wormatiæ habitæ, diverſæ ab ea quam Pallavicinus compoſuit. §. *XCIII. Add.* literas Viti Warbeccii de adventu Lutheri ad Comitia Wormatienſia. §. *XCVI. Add. I.* relationem ex MSto Spalatini de actis Wormatienſibus: *Add. III.* literas Friderici Elect. Sax. de iisdem. §. *CX. Add. I. c.* Myconii narrata de ſeipſo, & alia de illo. *Add. II.* de Henrico Sax. Duce quædam, & de literis uxoris ejus Catharinæ, ex quibus converſio illius ad Evangelicam doctrinam intelligitur. §. *CXVIII. Add. d.* acta Friderici Electoris cum Melanchthone in cauſa Anabaptiſtarum. §. *CXXI. Add. II.* ſingularia quædam de Caroloſtadio. §. *CXXX. Add. I.* amplam narrationem de reformatione Wittenbergenſi, ortaque inde diſceptatione per literas inter Fridericum Electorem & Georgium Ducem Saxoniæ: item, acta viſitationis ab Epiſcopis Miſnenſi & Martisburgenſi in ditione Electoris Sax. ſuſceptæ. *Add. II.* relationem de fundatione Eccleſiæ collegiatæ Wittenbergenſis, & de cultu reliquiarum in ea repoſitarum. §. *CXXXII. Add. I.* literas Lutheri de Paſtore Coronacenſi. *Add. II.* quasdam Hartmuthi Cronebergii. §. *CXXXIX. Add. I. b* de reformatione oppidi Curienſis in Variſcis. *Add. II.* de reformatione Francofurtenſi ad Mœnum. *Add. III.* de Hamburgenſi. *Add. IV.* de Magdeburgenſi. *Add. V.* ſcriptum Lutheri ad Stetinenſes. *Add. VII* ſupplementum ad hiſtoriam de Guttelio. §. *CXLVII. n. 10. & ſeqq. &* §. *CLXIII. Add. I.* relationes Planitii Legati Saxonici ex comitiis Norimbergenſibus. §. *CXLIX. Add. II. & III.* de reformatione

matione Danica & Holſatica. §. *CLIII. Add. II.* de reformatione Canonicorum Wittenbergenſium. §. *CLXXVI. Add.* de actis & dogmatibus Munzeri. §. *CLXXIX. Add.* epiſtolam Eraſmi ad Lutherum. §. *CLXXX. Add.* aliam ejusdem ad Electorem Saxoniæ.

Librum *ſecundum* cum Maimburgio exorſus ſum ab hiſtoria belli ruſtici anno 1525, & finivi in actis Comitiorum Auguſtanorum anno 1530. Servavi in hoc & ſequenti libro accuratius, ut puto, ordinem temporum & connexionem materiarum: ſcriptaque Lutheri potiora, non edita ſaltem, ſed & inedita, ſive literas aut reſponſa manuſcripta, quia id deſiderari & probari a viris piis & gravibus intellexi, operoſius recenſui. Index autem ſcriptorum Lutheri diligenter elaboratus in fine Voluminis invenietur. Quapropter nullam hic eorum mentionem facio, niſi quod paragraphos enumero, in quibus de iis tractatur; de reliquis autem ſummarium quoddam in hac epiſtola exhibeo. A §. *I.* ad §. *IV.* egi de bello ruſtico, & ex documentis idoneis oſtendi, nullam ejus culpam nec ad Principes Evangelicos nec ad Lutherum pertinere. §. *V.* de conjugio Lutheri diſſerui. §. *VI.* de adhortatione ejus ad Albertum Moguntinum, ut uxorem duceret, & de ſimili ad D. Wolfg. Reiſſenbuſchium. §. *VII.* de reformationis & viſitationis in Saxonia primis moliminibus; ſpeciatim ex epiſtola manuſcripta Lutheri *d. l. n. 5. adde* §. *XVI.* §. *IX. X. XI. XIII.* de ſcriptis Lutheri hoc 1525 anno. In *Additione* ad §. *X.* de teſtamentis, morte & exequiis Friderici Elect. Sax. relatio accurata invenitur. §. *XII.* incrementa & impedimenta reformationis Evangelicæ hoc anno 1525 indicantur; ſpeciatim Georgii Sax. Ducis oppoſitiones. Dicto §. *XII. n. 5.* item *XIV.* reformatio Haſſiaca. §. *XV.* geſta in Comitiis Spirenſibus anno 1526, in quibus jus reformandi Proceribus Imperii permiſſum fuit; etiam primum inter Evangelicos fœdus, & conſilium ſingulare MStum de reformatione & uſu bonorum eccleſiaſticorum; item literæ Regis Galliæ Franciſci I. notabiles, *Add. III.* *Ibid. n. 9.* acta Comitiorum Eslingenſium. *Add. IV.* progreſſus reformationis & ſufflamina hoc anno 1526. §. *XVIII.* conſilia de conjunctione Evangelicorum, & de ea Lutheri conſilium *n. 3.* Ejus ſcripta *a* §. *XIX. ad XXV.* §. *XXVI. XXVII.* de actis quibusdam Caroli Cæſaris. §. *XXVII. Add. a. b. c.* digreſſio de vita Georgii Fronsbergii. *Ibid. a lit. d. ad bb.* alia de Sebaſtiano Schertelio, abavo meo materno, tota fere ex Diario ejus MSto excerpta. §. *XXIIX.* annotatio

Digitized by Google

tatio ad longam Maimburgii narrationem de capta anno 1527 a Caroli V. exercitu Roma. *A* §. *XXIX. ad XXXIV.* acta & ſcripta Lutheri hoc 1527 anno; ſpeciatim indicantur quæ ſcripſerit occaſione perſecutionum quarundam, & imprimis ſupplicii quod *Leonhardus* cognomento *Cæſar* in Bavaria paſſus eſt §. *XXXI. n.5. & ſeqq.* §. *XXXIV. Add. I.* de diſputatione Friderici Myconii, cum Johanne Corbachio monacho Franciſcano anno 1527 Duſſeldorffii habita, memorabilis narratio. *Add. II.* acta Georgii Ducis cum Alexio Croſnero ex manuſcripto. §. *XXXV.* relatio tumultus, ex delatione Othonis Paccii de fœdere contra Evangelicos anno 1528 orti, maximam partem ex MSStis deſumta. §. *XXXVI & XXXVII.* conſtitutio viſitationis & reformationis eccleſiaſticæ in Saxonia publicata, ejusque executio, quæ tota ex MSSta hauſta eſt. *A* §. *XXXIIX.* ad §. *XLI. item* §. *XLIII.* ſcripta Lutheri hoc anno 1528 edita recenſentur. §. *XLII.* progreſſus reformationis in Saxonia inferiori, Franconia & alibi narrantur. *Ibid. Add. III.* de fuga Eliſabethæ Electricis Brandenburgicæ religionis cauſa; item *n. 13.* egreſſus Urſulæ, Ducis Monſterbergenſis filiæ, ex cœnobio Freibergenſi. §. *XLIV. XLV.* acta Comitiorum Spirenſium 1529, in quibus decretum pro libertate religionis, anno 1526 publicatum, abolitum eſt, in contrarium proteſtantibus Evangelicis; maximam partem ex MSStis ſumta. §. *XLVI. Add.* hiſtoria de legatione Proteſtantium ad Cæſarem male accepta. §. *XLVII. & Add.* acta conventus Marpurgenſis inter Theologos Saxonicos & Helvetios. §. *XLIIX.* conventus Principum & Ordinum Evangelicorum Smalcaldiæ & Suabaci. §. *XLIX.* acta inter Cæſarem & Pontificem Bononiæ §. *L.* progreſſus & impedimenta reformationis. §. *LI. LII. LIII. LIV.* Lutheri hoc anno 1529 ſcripta. §. *LV. n. 5.* de conſultatione Electoris Saxoniæ cum Luthero ante Comitia 1530 Auguſtæ indicta. §. *LVI.* de itinere & adventu Evangelicorum ad Comitia, & acta ante adventum Cæſaris, aliquot etiam Lutheri ſcripta & reſponſa. §. *LVII.* de Melanchthone digreſſio. §. *LVIII. ad LXVII.* de actis poſt adventum Cæſaris. §. *LXII.* de articulis Confeſſionis, qui a Melanchthone Secretario Imperatoris Alph. Valdeſio traditi eſſe putantur, admonitio. *A* §. *LXV. ad* §. *LXVIII* de exhibitione Confeſſionis Auguſtanæ, & ejus Confutatione, & de tractatibus concordiæ cauſa ſecutis. §. *LXIX. LXX.* de literis a Luthero & ad eum tempore Comitiorum ſcriptis; ſpeciatim §. *LXXI. & LXXIV.*

Digitized by Google

d libello ad Ordinem eccleſiaſticum. §. *LXXII.* de conſiliis Cæſaris conſideratio. §. *LXXIII.* de actis & ſcriptis Melanchthonis illo tempore quædam. §. *LXXVI.* Eraſmi ſcripta occaſione Comitiorum. §. *LXXVII* de ſeparata confeſſione Argentoratenſium, & aliarum Civitatum. §. *LXXIIX.* de abitu Electoris Saxoniæ, & decreto Comitiali. *Eod.* §. *Add.* compendium Apologiæ inſignis manuſcriptum, contra narrationem de Comitiis Auguſtanis ab adverſariis publicatam, ex Archivo Vinarienſi. §. *LXXIX.* de Apologia a Melanchthone compoſita & publicata. §. *LXXX.* acta quædam poſt publicatum decretum Comitiorum; cum epicriſi de ſucceſſu actorum in Comitiis. §. *LXXXI. LXXXII.* de actis inter Cæſarem & Pontificem circa indictionem Concilii. §. *LXXXIII.* ſcripta Lutheri hoc anno 1530, & incrementa quædam reformationis. Hæ fere ſunt materiæ Libri *ſecundi*; inter quas eminet tractatio de Comitiis Auguſtanis. Quamvis enim de his clariſſimorum autorum monumenta extent, *Georgii* puta *Cœleſtini* & *Davidis Chytræi*, quibus etiam adjutum me eſſe minime diſſimulo; puto tamen detecta a me eſſe ex Actis authenticis haud pauca, quæ illos latuerunt, neque operam, quam in prolixa hac de Comitiis Auguſtanis relatione impendi, quæ folia integra plus quam triginta implet, ingratam aut inutilem lectoribus futuram eſſe.

Libro *tertio* hiſtoriam anni 1531 & ſequentium quatuordecim ad 1546 complexus ſum, labore quidem longe majori, quam is fuit, quem prioribus duobus impendi. Tanta enim hic rerum copia & gravitas ex Actis ſeſe obtulit, ut hic Liber priores duos ſimul ſumtos mole ſuperet. Maimburgii quidem artificium fuit, ut libros ſuos æquales faceret, ita ut major non ſit qui XV, quam qui VII annorum geſta refert. Sed ego ad id neque ingenioſus ſatis fui, nec violentiam in reſecandis aut contrahendis, quæ ſcribenda erant, conſultam eſſe exiſtimavi, ne latronem illum Atticum imitarer, qui homines ad ſpondæ ſuæ menſuram crudeliter truncabat, aut cum membrorum diſtortione extendebat. Libri autem *tertii* contenta præcipua hæc ſunt. §. *I.* & *IV.* agitur de fœdere Evangelicorum Smalcaldico, anno 1531 inito, & ſpeciatim de ſcriptis & decreta legatione ad Reges Galliæ & Angliæ. §. *II.* de impugnatione electionis Ferdinandi I. in Regem Romanorum. §. *III.* ſiſtitur Lutheri cōmonitio ad Germanos de Comitiis Auguſtanis. §. *IV.* *Add.* conſilia theologica & juridica de jure defendendæ religionis.

§. *V.*

§. *V.* Regum Galliæ & Angliæ reſponſa & legationes ad Evangelicos: horum acta in conventu Francofurtenſi: & ſpeciatim inter Electorem Moguntinum & Saxonem, quibus ad tractatum de induciis mox ſecutis præparatio facta eſt. §. *VI. & VII.* ſcripta quædam Lutheri hoc anno 1531 edita. §. *VIII.* reformationis progreſſus & impedimenta hoc anno. §. *IX.* prolixa & notabilis expoſitio actorum Suinfurti, Norimbergæ, Ratisbonæ de induciis in cauſa religionis anno 1532. §. *X. XI.* de bello hoc anno cum Turcis in Auſtria & Hungaria geſto, item congreſſus Pontificis & Cæſaris Bononiæ. §. *XII.* morbus, mors & exequiæ Johannis Electoris Sax. cum refutatione falſi rumoris & mendacis epiſtolæ de mutata ab eo ſub vitæ finem religione. § *XIII. XIV. XV.* Lutheri ſcripta hujus anni. §. *XVI.* reformatio in Principatu Anhaltino & alibi, item ejus remoræ. *Add.* acta Crammeri & Pageti Legatorum Anglicorum cum Saxonicis. §. *XVII. XVIII.* de Legatis Pontificis & Cæſaris, Hugone Rangono & Lamberto Briardo, et quæ a Proteſtantibus cum iis anno 1533. acta ſunt. §. *XIX.* de Pontificis conſiliis, & de Landgravii Haſſiæ actis ſingularia quædam. § *XX.* Eraſmi de concordia in religione propoſitiones. §. *XXI.* Georgii Sax. Ducis cum Luthero rixa, Lipſienſium potiſſimum occaſione. §. *XXII. XXIV. XXV.* ſcripta hoc 1533 anno a Luthero. §. *XXV. Add. I.* de reformationis cujusdam ſpecie in Ducatu Juliacenſi & Clivenſi. *Ibid.* & *Add. II.* de perſecutionibus, Anglicis præſertim, itemque de converſionibus illuſtrium. *Add. III.* repetita viſitatio Eccleſiarum in Saxonia. *Add. IV.* ordinatio eccleſiaſtica Georgii Marchionis Brandenburgici & Senatus Norimbergenſis. Sequuntur geſta anni 1534. §. *XXV. & XXVI. Add. I. & II.* de Clementis VII. Pont. obitu & electione Pauli III; de conventu Proteſtantium Norimbergenſi; de expeditione Landgravii in Ducatum Wurtembergicum, & ſecuta transactione Cadanenſi; de rebus Monaſterienſibus; & de Proteſtantium gravaminibus contra Cameram Spirenſem. §. *XXVII. XXIIX.* ſcripta quædam Lutheri, ſpeciatim de controverſia Sacramentaria, & præparatio ad tentandam in ea concordiam. §. *XXIX. XXX.* plura de ſcriptis Lutheri hoc 1534 anno. §. *XXXI.* incrementa quædam reformationis Auguſtæ Vindelicorum, & in Dania atque Anglia. *Add.* tentamenta concordiæ Lipſiæ fruſtra inita, & rixæ novæ inter Georgium Sax. Ducem & Lutherum. §. *XXXII.* de actis quibusdam Pauli III. Pont. anno 1535; cum digreſ-

Digitized by Google

digreſſione de Nicolao Schonbergio Cardinale & ejus familia. *A* §. *XXXIV. uſque ad* §. *XXXVII.* de Petro Paulo Vergerio a Pontifice ad Proteſtantes Legato, & horum cum illo actis & decretis in conventu Smalcaldico. §. *XXXIX & XL.* ſpeciatim de ſcriptis & legatione Regis Galliæ ad Proteſtantes, cum apologia Sleidani adverſus injurias Maimburgii; item de Melanchthonis in Galliam itinere deſiderato & impedito. §. *XXXIX.* de actis Henrici VIII. Angliæ Regis, ejusque Legatorum, cum Electore Saxonico & Theologis Wittenbergenſibus. §. *XLI.* de Anabaptiſtis ſcriptum Lutheri; & quæ cum iis in Saxonia acta ſint. §. *XLII. XLIII.* ſcripta alia Lutheri hoc anno 1535 edita. § *XLIV.* reformatio Ducatus Wurtembergenſis; item Auguſtani miniſterii cum Saxonicis in doctrina de Cœna conciliatio. *Add.* mutationis in Marchia Brandenburgenſi initia, poſt mortem Joachimi I. Electoris. §. *XLV & XLVI.* acta quædam inter Cæſarem & Proteſtantes anno 1536, & circa indictionem Concilii. *Ibid.* & *Add. I.* diſſidia & compoſitio inter Electorem & Georgium Ducem Saxoniæ. §. *XLVII.* de concordia in lite Sacramentaria anno 1536. Wittenbergæ tractata. §. *XLVIII. XLIX.* ſcripta Lutheri hoc anno; ſpeciatim §. *L.* epiſtola de ancilla a dæmone obſeſſa; legatio item Pontificis ad Proteſtantes. *Ibid.* & *Add. I.* Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis reformationis initium. *Add. II.* de Pomeraniæ reformatione compendioſa relatio. *Add. III.* acta quædam Proteſtantium in conventu Francofurtenſi, & ſpeciatim Electoris Sax. §. *LI. LII. LIII.* acta Proteſtantium anno 1537. cum Petro Vorſtio, Legato Pontificis, & cum Heldo, Cæſaris Oratore. *Add. II.* libellus Proteſtantium, quo Concilium recuſarunt; conſilia Theologorum & Politicorum in illa cauſa. §. *LIV.* acta in conventu Smalcaldico, præcipue in negotio cum Rege Galliæ. §. *LV. LVI.* de articulis Smalcaldicis a Luthero, & de poteſtate Pontificis a Melanchthone conſcriptis. §. *LVII.* de viſitatione ab Henrico Duce Sax. in ditione ſua Freibergenſi inſtituta. §. *LVIII.* acta quædam fœderatorum Evangelicorum Smalcaldiæ ſingularia. *Add. I.* de literis, quas Ferdinandus Rex ad Lutherum ſcripſiſſe putatur, diſquiſitio. *Add. II.* ordinatio eccleſiaſtica in Haſſia. §. *LIX.* de reformatione curiæ Romanæ ſine effectu tentata. §. *LX.* Lutheri morbus in conventu Smalcaldico, & acta quædam. §. *LXI.* ſcripta Lutheri hujus 1537 anni. §. *LXII. LXIII.* molimina Pontificia adverſus Evangelicos anno

Digitized by Google

anno 1538. & procuratio fœderis Norimbergenſis, quod Catholicum vocabant. § *LXIV.* fœdus Evangelicorum cum Daniæ Rege. §. *LXV.* præparatio ad pacificationem Francofurti tractandam. §. *LXVI.* legationes Proteſtantium in Galliam & Angliam. *Ibid.* reformationis progreſſus in Marchia, in Ducatu Hannoverano & Megapolitano, in urbe Nordlingenſi & Bopfingenſi. *Ibid. n. 15.* tentamen quoddam reformationis a Georgio Sax. Duce. §. *LXVII. LXIIX.* ſcripta Lutheri hoc anno 1538. §. *LXIX. LXX.* acta conventus Francofurtenſis de pacificatione cum Cæſare & Pontificiis anno 1539. item Wormatiæ. §. *LXXI.* de morte Georgii Ducis, &, quæ eam anteceſſit, tractatione de concordia in religione, Lipſiæ fruſtra tentata; & alia quædam ad hiſtoriam Georgii, &, qui ei ſucceſſit, fratris Henrici Ducis, ſpectantia. § *LXXII.* acta reformationis in Ducatu Saxonico, poſt Georgii mortem ad Henricum delato. §. *LXXIII.* acta Evangelicorum varia, maxime in Anglia; refutatio ſparſi apud Anglos per calumniam libelli de mutata ab Evangelicis in religione ſententia. *Ibid. n. 13.* acta cum Rege Poloniæ. §. *LXXIV.* acta cum Ferdinando Rege Rom. *Ibid. n. 6.* de conventu Proteſtantium Arnſtadienſi. §. *LXXV.* de converſione Electoris Brandenburgici Joachimi II. & ſecuta in Marchia reformatione. §. *LXXVI. LXXVII.* ſcripta Lutheri anno 1539. §. *LXXIIX.* acta anno 1540 inter Cæſarem & Proteſtantes, item cum Gallis & Anglis. *Ibid. Add. I.* contenta ſcripti apologetici Proteſtantium ad Legatos Cæſaris pro cauſa ſua. *Add. II.* conſilia Dresdenſium Theologorum, item Brandenburgenſis Electoris. *Add. III.* reſponſa theologica notabilia. §. *LXXIX.* acta conventus Hagenoenſis. *Ibid Add. I.* relatio de digamia Philippi Landgravii Haſſiæ, & ſecutis inde diſceptationibus; cum refutatione Boſſueti & aliorum. *Add. II.* ſcripta Ruperti a Mosham. §. *LXXX.* acta conventus Wormatienſis, aliaque in aula Cæſaris, & in conventu Proteſtantium Numburgenſi. §. *LXXXI. LXXXII. LXXXIII.* ſcripta Lutheri hoc 1540 anno. §. *LXXXIV.* cum *Add. I. II. III.* de Societate Jeſu ampla diſſertatio, ex auctoribus ipſius Societatis, aut Pontificiarum partium aliis, fideliter conſcripta. §. *LXXXV. n. 3.* de actis Card. Contareni in comitiis Ratisbonenſibus anni 1541. §. *LXXXVI. LXXXVII. LXXXIIX.* alia in comitiis iſtis inter Cæſarem & Ordines, maxime Evangelicos, geſta; item de colloquio Ratisbonenſi, & de libro ſuper quo in Colloquio tractatũ eſt. §. *LXXXIX.*

Digitized by Google

de declaratione Cæſaris, Evangelicis ſeparatim data; multaque ſpecialia & notabilia alia. §. *XC.* refelluntur iniqua Maimburgii judicia. §. *XCI.* mors Henrici Sax. Ducis; ſucceſſio Mauritii; de Sueciæ Regis epiſtola ad Lutherum, hujusque ad Regem. *Add.* reformatio urbis Halenſis in Saxonia, & relatio de reliquiis ibi cultis. § *XCII. XCIII.* ſcripta Lutheri per hunc annum 1541. §. *XCIV.* acta in Comitiis Spirenſibus 1542. Gallica item & Pontificia conſilia. §. *XCV.* occupatio Ducatus Brunſuicenſis Guelferbytani per Smalcaldicos; acta in Comitiis Norimbergenſibus. §. *XCVI.* de Epiſcopatu Numburgenſi, & Nicolai Amsdorffii ad eum vocatione. § *XCVII.* reformatio urbis Ratisbonenſis, item Palatinatus Neoburgici, nec non urbis Hildeſienſis, & de Epiſcopi cum illa & cum Ducibus Brunſuicenſibus litigiis; quædam reformationis molimina in urbe Metenſi; viſitatio in diſtrictu Wurzenſi; literæ Evangelicorum Italorum, & Lutheri reſponſa. §. *XCIIX.* acta Electoris Saxoniæ cum Mauritio Duce; item cum Gallis. *Add.* quædam ex Raynaldo excerpta & notata. §. *XCIX. C. CI.* ſcripta Lutheri anno 1542. §. *CII.* acta in Comitiis Norimbergenſibus anni 1543. Evangelicorum anguſtiæ; conventus Smalcaldienſis; legatio ad Cæſarem; conventus alius Francofurtenſis. §. *CIII.* acta viſitationis Cameræ Spirenſis. §. *CIV. CV.* varia conſilia & acta Evangelicorum in periculo, in quo ſe verſari videbant. §. *CVI.* de ſuſpenſione Concilii Tridentini. §. *CVII. CVIII.* de reformatione Evangelica ab Hermanno Archiep. Colonienſe inſtituta, ejusque formula & eventu. §. *CIX.* ordinatio Eccleſiaſtica in occupato ab Evangelicis Ducatu Brunſuicenſi; *Add.* item in urbe Brunſuiga. §. *CX.* continuatio reformationis in Ducatu Mauritii Sax. Ducis. §. *CXI. CXII.* ſcripta Lutheri anno 1543. §. *CXIII.* acta in comitiis Spirenſibus anno 1544. §. *CXIV.* de literis expoſtulatoriis Papæ ad Carolum V. cum annotationibus. § *CXV.* de aliis ejusmodi literis a Raynaldo evulgatis, cum reſponſo Cæſaris. §. *CXVI.* acta Evangelicorum particularia in comitiis Spirenſibus, & de ſocietate Gallica & Bavarica. §. *CXVII.* de electione Auguſti Sax. Ducis ad Epiſcopatum Mersburgenſem, & demandata Georgio Principi Anhaltino, Præpoſito Magdeburgenſi, inſpectione Eccleſiaſtica: acceſſit ampla de Georgii hujus vita & ſcriptis relatio. §. *CXIIX.* ſcripta Lutheri hoc 1544 anno. § *CXIX.* ultima conſultatio de reformatione, & quatenus in ea pergendum aut cedendum ſit, a Luthe-

Digitized by Google

a Luthero & collegis Electori Saxoniæ anno 1545 exhibita; quæ integra ex autographo editur. §. *CXX.* Electoris Sax. & Landgravii Haſſiæ de ſcripto illo communicationes. *Add.* Buceri aliud de reformatione conſilium. § *CXXI.* acta in comitiis Wormatienſibus ex MSto excerpta; Valentini Teutlebii Epiſcopi Hildeſienſis conſilium de reformatione, ſive aſſertio religionis Romanæ adverſus Auguſtanam Confeſſionem & doctrinam Evangelicam. §. *CXXII.* deliberationes ulteriores de reformationis formula; item de ſcriptis & ſtylo Lutheri judicia. *Add. I.* Buceri libellus, quem inſcripſit *Admonitio chriſtiana.* *Add. II.* alter, Germanicus, de actis Lipſiæ 1539. *Add. III.* tertius, *de Concilio.* §. *CXXIII.* Pontificis ad comitia Wormatienſia legatio, & acta inter Proteſtantes de concilio. §. *CXXIV.* pericula & geſta Proteſtantium; clades & captivitas Henrici Ducis Brunſuicenſis; legatio Proteſtantium ad Galliæ & Angliæ Reges, pro pace inter eos conſtituenda. *Add. I.* de conſiliis Philippi Landgravii & Mauritii Sax. Ducis pro novo fœdere. §. *CXXV.* de actis quibusdã in concilio Tridentino; itẽ conſultationes de colloquio Ratisbonæ habendo; quædã ex Raynaldo; Electoris Sax. conſtitutio de ſtipendiis; Evangelicæ religionis ſtatus in Italia. §. *CXXVI.* afflictiones & acta quædam Lutheri, ejusque conſilium de deſerenda Wittenberga, mutatum ab Electore Sax; item falſa de ejus morte ſparſa fama. §. *CXXVII. CXXIIX.* ſcripta ejus hoc anno 1545. §. *CXXIX.* de decretis anno 1546. in prioribus concilii Tridentini ſeſſionibus. §. *CXXX. n. 2. & ſeqq.* libellus Proteſtantium, quo Concilium anno 1546 recuſarunt, integer refertur, lectu digniſſimus, ſtylo Melanchthonis compoſitus, ſolidiſſimis argumentis neceſſitatem reformationis adſtruens. §. *CXXXI.* acta Proteſtantium in conventu Francofurtenſi, ob belli ſibi imminentis ſuſpiciones, & ſpeciatim cum Friderico II. Electore Palatino, hujusque reformatione Evangelica; formula item novi fœderis inter Evangelicos propoſita, ſine ſucceſſu. §. *CXXXII.* acta colloquii Ratisbonenſis. § *CXXXIII. CXXXIV. CXXXV.* de morte Lutheri, actisque proxime ante & poſt eam, ſpeciatim de exequiis & teſtamento. §. *CXXXVI* Hiſtoria de cæde Joannis Diazii Hiſpani, Evangelicæ doctrinæ cauſa, fratris germani Alphonſi Diazii ſcelere procurata; ejusq; in *Add.* confeſſio doctrinæ. §. *CXXXVII.* Landgravii Haſſiæ iter ad Cæſarem; Evangelicorum acta in conventu Francofurtenſi, & poſtea in comitiis Ratisbonenſibus, horumque diſſo-

Digitized by Google

lutione; de reformatione urbis Leutkirchenſis in Suevia; de Th. Naogeorgi opinione de electione & gratia. *§. CXXXVIII. & CXXXIX.* ſcripta Lutheri ultima.

Habes, *Vir clariſsime*, ſceleton quoddam operis; quomodo vero corpus, ut ita dicam, libri carne & muſculis ſuccoque veluti veſtiverim & repleverim, a legentibus deprehendendum & judicandum eſt. Ego, qui laudes ab aliis, ut dixi, non affecto; proprias, ut fœtidiſſimas, prorſus deteſtor. Hoc tamen, ut in Procemio & Epilogo operis pluribus feci, ea aſſevero fi de, quam, teſte toto vitæ meæ tenore, omnibus rebus potiorem habeo, & de qua annorum quinque & ſexaginta ſenex Deo propediem reſponſurus ſum; me veritatem & conſcientiam meam ſincere ſecutum eſſe, fraudesque calumnias & cavillos, quos magno cum tædio & d olore in adverſæ partis ſcriptoribus, tum in veteribus, *Cochlæo* præſertim & *Surio*, tum recentioribus, *Pallavicino*, *Raynaldo*, *Boſſueto*, *Varillaſio*, &, quem ubique oppoſitum habeo, *Maimburgio* detexi, ſumma cum ſollicitudine vitaſſe, modeſtiæ etiam ſcientem volentemque minime eſſe oblitum, immo non dicta & ſcripta velle, ſi quæ contra illam peccavero. Interim mihi, ut homo ſum, nec vigore, quo junior gaudebam, inſtructus, tum etiam a diſtractionibus & curis neutiquam immunis, multa ſine dubio exciderunt, quæ emendationem poſcunt; ut de typographorum erroribus, quos nulla diligentia præcavere potui, nihil dicam: quædam loco aut tempore non commodiſſimo, quædam etiam bis aut otioſe, plurima minus polite aut terſe ſcripta deprehendentur. Si quid tamen de meo labore, non quatenus ille meæ induſtriæ, ſed gratiæ divinæ, ex qua ſola quicquid eſt boni habemus, donis tribuendus eſt, promittere mihi licet; affirmare & fiduciam lectoribus facere auſim, reperturos illos eſſe in hoc opere plurima & prope innumera (quorum in Indicibus, quos adorno, locupletiſſimis recenſio fiet) quæ, ſi absque mea fuiſſet opera, in tenebris ad finem forte mundi delituiſſent. Inter hæc, ſi quædam minuta & exilia eſſe videbuntur, quod non diffiteor, ſunt tamen multa etiam graviſsima, & tam Politicis quam Theologis profutura. In univerſum autem demonſtratum eſſe ſpero, quod demonſtrandum ſumſi, & in Epilogo operis, qua poſſum perſpicuitate, paulo pluribus oſtendam; nempe reformationem a Luthero cœptam & poſtea auſpiciis Principum & Civitatum continuatam, neceſſariam, juſtam & piam fuiſſe, nec eſſe, ut ejus

nos

Digitized by Google

nos pœniteat, multoque minus ut adverſariorum doli aut violenti inſultus nos a profeſſione religionis, qualem majores noſtri ex divinarum literarum præſcripto formarunt, & ab erroribus abuſibusque plurimis purgatam ad nos transmiſerunt, ullo modo dimoveant. Illis vero, qui ex oppoſita parte honeſti candidique animi ſunt, quos profecto plurimos eſſe ſcio, ex intimo cordis affectu precor, ut (etſi non mea, ſed Dei ſolius ope) ex conceptis adverſus nos præjudiciis odiisque eluctati, ſolem veritatis apertis oculis intueri poſſint: eosdemque hoc tantum oro, ut de fideli Actorum allegatione non dubitent. Extant enim cuncta in locis a me indicatis, nullumque folium a me excerptum & relatum eſt, quod non ipſe ex quingentis fere voluminibus manuſcriptis, quorum ſupra *viginta & quadringenta* ſolum ex Archivo Vinarienſi, reliqua ex Bibliothecis illuſtribus aut amicorum, mecum communicata fuerunt, legerim, & ſepoſita omni interpolatione aut corruptione, quæ cum moribus meis minime convenit, exſcripſerim, aut integra, partim qua ſcripta ſunt lingua, pleraque tamen fideliter verſa, retulerim. Magnum etiam documentorum numerum ad mei ipſius confirmationem deſcribi ex autographis feci, & ſervo. Si quid autem commodi ad Eccleſias noſtras in veritate confirmandas, aut adverſarias ad eandem convertendas, vel ſaltem ad æquiorem erga nos animum pacisque ſincerum ſtudium induendum, conferre labor hic meus poſſit, id omne Deo optimo maximo acceptum fero, illiusque benignitati gratias ago, qui mihi ad opus difficile & ingens ad hanc usque metam perducendum vires, inter tot ſenectutis & valetudinis incommoda, largitus eſt. Excitet is alios, qui me ingenio, eruditione, judicio atque facundia ſuperent, ut iſta vel augeant vel emendent, vel etiam quæ ego, feſſus annis & morbo fractus, omittere cogor, eadem fide, majori vero cum induſtria & ornatu, proſequantur & perficiant. Vale. Dabam Meuſelvvizii pridie Non. Jul. MDCXCI.

C. SVETONIUS TRANQUILLUS EX RECenſione Joannis Georgii Graevii, cum ejusdem animadverſionibus, ut & commentario integro Lævini Torrentii, Iſaaci Caſauboni & Theodori Marcilii, nec non ſelectu aliorum. Editio ſecunda auctior & emendatior.

Digitized by Google

Hagæ Comitis apud Jo. a Velſen, Trajecti ad Rhenum typis Rud. a Zyll & Ant. Schouten 1691. in 4. Plag. 136. Icones 12.

INter eos ſcriptores qui ſummorum principum aut illuſtrium virorum res geſtas fidelibus hiſtoriarum monumentis commendarunt, primæ merito partes tribuendæ ſunt Suetonio; cujus hiſtoria, a Julio in Domitianum uſque deſcendens, duodecim Cæſarum res bene ac male geſtas mira perſpicuitate ac elegantia exponit, ut haud immerito a Flavio Vopiſco *emendatiſſimus & candidiſſimus ſcriptor* appellatus fuerit, multique hodie mirentur, tam multa & varia (nam plurimos alios libros ſcripſit temporum injuria perditos, quos recenſet Ang. Politianus in præfat. *de Græcorum luſibus, de Romanorum certaminibus & ſpectaculis, de anno Romano, de ſignis quæ in libris reperiuntur, de republica Ciceronis contra Didymum Grammaticum, de veſtium genere atque nominibus, de ominoſis verbis, de Roma ejusque inſtitutis & moribus annales, ſtemma & ſeries illuſtrium Romanorum, de officiorum inſtitutione, de prætoribus, de vitiis corporalibus*) eum commentari potuiſſe, qui & in foro cauſas ſumma cum laude ageret, & Hadriani epiſtolarum eſſet magiſter. Factum inde, ut ſummo ſemper in pretio Scriptor hic haberetur, & ab ipſis renaſcentibus literis eſſent ſubinde qui eundem aut ſi quibus in locis corruptus eſſet emendarent, aut ubi difficilior videbatur dilucidiorem redderent & ex aliis ſcriptoribus explicarent: quos commentarios junctos exhibet Pariſienſis editio, quæ anno 1610 in fol. prodiit, annexos Caſauboni animadverſionibus, qui ex fide vetuſtiſſimorū librorum Scriptorem hunc recenſuerat & anno 1595 evulgarat. Iſtorum commentatorum ſtudium continuarunt, & ſpicilegia poſt meſſes ſibi relicta arbitrati, corrupta quæ videbantur adhuc aut obſcuriora loca emendare & illuſtrare ſategerunt hoc ſeculo viri docti: quorum omnium induſtriam ſupergreſſus eſt inſigni erga bonas literas favore & ſtudio emaculandorum veterum auctorum celeberrimus *Joannes Georgius Graevius*, dum ante annos undeviginti (anno 1672.) Trajecti ad Rhenum, quam doctrina ſua exornat, Suetonium eleganti cura recenſitum, & integris Torrentii ac Caſauboni commentariis, nec non Marcilii & Guyeti notis, ut & ab ingenio ſuo profectis obſervationibus, ac Bernæggeri abſolutiſſimo indice, inſigniter inſtructum edidit: jamque, divenditis iſtius libri exemplis, novam eamque auguſtiorem Tranquilli editionem in publicum emiſit. Hæc & ea omnia, quæ prior continebat, repræſentat,

tat, & epiſtola ad Potentiſſimum Electorem Brandenburgicum (cujus laudes ſuccincta brevitate & gravitate decora exponit) ſplendidiorem, iconiſmis Imperatorum duodecim venuſtiorem, & Gul. Coetierii & Gul. Goeſii annotationibus auctiorem ſe exhibet: obſervationes etiam doctiſſimi Editoris non paucis acceſſionibus locupletatas, & ſeorſim a pag. 775 ad p. 822 excuſas (cum prior editio eas Torrentii & Caſauboni commentariis ſubſtratas referret) ſiſtit; ut ad dignitatem hujus Scriptoris quod faciat nihil plane omiſſum, & nativa ejus venuſtas inſignium additamentorum bene collocatorum gratia haud parum aucta videatur.

GERHARDI FELTMANNI DISSERTAtio de Acceſſionibus memorabilibus, immani aquarum vi vel terræ motu factis.

Amſtelodami apud Henricum & Viduam Th. Boom 1691 in 8. plag. 9.

INſignes illæ aquarum exundationes, quibus tum noſtro tum ſuperiori ſeculo Oſtfriſiæ & Comitatus Oldenburgici tractus fuerunt expoſiti, rarioribus aliquot Juris controverſiis fecere locum. Dum enim illæ alibi ingentes terrarum portiones, cum arboribus & prædiis, nec non hominum pecudumque magno numero, ſede ſua naturali avulſas & vi fluctuum longius protruſas, alienis fundis ſuperinjecerunt, alibi veto totos ruperunt aggeres, materiam JCtis præbuerunt, de natis inde quæſtionibus in utramque partem diſſerendi. Præcipua vero contentio fuit iſta, utrum ſcilicet ager aliunde advectus & alterius territorio ita ſuperinjectus, ut illud plane tegat, accederet agro, qui huic novo tanquam fundamentum ſubſternitur, an vero maneret ejus, cujus ante fuerat? Hanc quæſtionem, quam principaliter per totum opuſculum erudite tractat Auctor conſultiſſimus, jam olim a quibusdam Judicibus hoc modo fuiſſe ſopitam, ut dominus vel totum, quod ejus antea fuerat, tolleret, vel adverſario, in cujus ſolio conſederat, linqueret, ex Gryphiandri tractatu, quem ille *de Inſulis* conſcripſit, teſtatur, & quidem per has rationes, quod ſecundum Juris Romani placita ſuperficies, & quicquid illi annumeretur, ſolo cedat, cujus ſuperficiei inſtar ſit fundi portio fluctibus abſciſſa & alii rurſus ingeſta. Verum enim vero aliud plane poſtea in caſu ſimili, idque magis rationi legali conſonum, a JCtis pronun-

Digitized by Google

pronunciatum fuiſſe aſſerit. Cum enim anno hujus ſeculi quadrageſimo tertio domus cujusdam, cui nomen Hullemanni, cum horto olitorio & nemore a continenti abrupta alterius terram occupaſſet, reſuſcitata fuit illa quæſtio, tandemque volutatis inter ſe rationibus, placuit judicantibus, ut ager ita ab alio oppreſſus haberetur pro extincto, nulla, ne quidem utili, rei vindicatione priſtino domino relicta. Rationes decidendi has fuiſſe proponit (1) quod nihil interſit, an ager alicujus vaſto hiatu aut voragine, maris æſtu facta, an vero per oppreſſionem alterius terræ, ipſius eſſe deſinat. (2) quod juris perpetui ac naturalis non ſit, proprietatem ſuperficiei pertinere ſemper ad ſoli dominum; poſſe enim id pactis mutari, & illud in hodiernum diem ſæpius inter agrarios Groninganorum ſocios fieri, qui cum dominis, a quibus prædia conduxerunt, conveniunt, ut liceat in fundo conducto ædificium ſibi hac lege ponere, ne iſtud ſolo cederet, quæ pactio penes illos vernacula lingua **Beklemminge** appelletur. Deinde licet (3) immutabili jure conſtitutum eſſet, ut ſuperficies ſemper ſoli domino cederet, non poſſe tamen de tali fundo, qui vi aliunde avectus alterum occupaſſet, dici, quod ille ſe habeat inſtar domus, quæ in alieno poſita acquiratur ſoli domino, cum illa demum ſupra terræ faciem poſita eſſe dicantur, quæ, hac manente ſalva, fieri & ſine illa conſiſtere nullo modo poſſunt. At talem fundum, aquarum impetu alteri ſuperimpoſitum, non ſolum non relinquere ſuperficiem oppreſſi fundi ſalvam, ſed etiam ſine eo omnino ſtare poſſe, cum hæc ſit terræ mere paluſtris natura, ut non demergatur, ſed natando tandem vel ab aggere quodam aut ſuper alienis arvis ſiſtatur. Præterea (4) inter domum alterius agro inædificatam & talem terræ portionem alii intruſam, hanc differentiam intercedere, quod ædificium in alieno conſtruens facto ſuo aliquid præſtet, quod ſi omnem adhibuiſſet diligentiam, ſcire facili negotio potuiſſet; hincque adeo ratioñe decidendi apparere, cur domus ab alio exſtructa fundi domino acquiratur, territoriũ vero tale minime, cum hoc non facto aliquo humano, ceu illa, ſed ingruentium undarum vi ac pondere, abſciſſum & in alterius locum delatum eſſet. Concludit igitur, obſtantes ubique diluendo leges & rationes, æquius ac juri tam naturali quam civili magis conſentaneum fuiſſe viſum, eum hoc in caſu pronunciare dominum, cujus ager alterius ſolo acceſſit: cum enim tollere aut auferre non poſſit acceſſionem, niſi & rem amittere & inani ſimul ſumptu vexari velit,

Digitized by Google

velit, iniquiſſimum fore, illum, ſi id non fecerit, privare rei ſuæ proprietate. Cui tamen ſententiæ ſuæ Auctor ſub finem opuſculi aliquot limitationes prudenter ſubjicit.

Subjuncta libro huic eſt *Benedicti de Pratis* (quisquis ille ſit) Diſſertatio forenſis de Stellionibus Maritimis, vernacule *Lorrendraeyers* dictis; ſed quam, cum ad facti ſpeciem ſingularem & variis circumſtantiarum involucris opertam unice ſemet referat, ſatius eſt integram legi a quoque hujus argumenti curioſo, quam in compendio a nobis recenſeri, quippe quod foret ſeu prolixum nimis, ſeu obſcurum.

JOBI LUDOLFI COMMENTARIUS AD Hiſtoriam ſuam Æthiopicam.

Francofurti apud Zunnerum, 1691. fol. Conſtat plag. 173. iconiſmis 12.

J*Obus Ludolfus*, Conſiliarius Cæſareus & Saxonicus, vir celeberrimus, præteritis demum Nundinis Francofurtenſibus, Commentarium ad Hiſtoriam ſuam Æthiopicam, anno 1681 impreſſam, edidit. Continet is non ſolum uberiorem expoſitionem rerum ad Hiſtoriam Æthiopicam ac deſcriptionem Æthiopiæ pertinentium, & refutationem contrariorum, cum documentis, epiſtolis & actis publicis, in primo Opere promiſſis: ſed etiam multa ſingularia, & quædam plane nova, ad varias eruditionis partes ſpectantia, quæ, occaſione data, prolixe & luculenter tradit, ut multa ad hunc diem obſcura vel ignorata inde declarentur & illuſtrentur.

In *Præfatione* conſilii ſui rationem exponit, & refutationem contrariorum ad veritatem ſtabiliendam neceſſariam eſſe aſſerit. Acta & documenta ſeparatim ſe tradere voluiſſe, ne Lectorem in lectione Hiſtoriæ morarentur, monet. Prolixitatem in tradendis opinionibus novis excuſat; dubiis enim & argumentis contrariis ſe obviam ire voluiſſe. Tradita a veteribus, & fabuloſa nonnullis viſa, declarare & conciliare annititur. Verſiones peregrinarum Linguarum ad verbum reddit. Nullum ordinem materiarum obſervat, niſi quem fors obtulit, ſecundum numeros in ipſo textu poſitos. Probat morem autores ſuos laudandi, monetque quibus ex cauſis omiſſio rei tam neceſſariæ fiat, & quæ ex iis culpanda maxime ſit. Denique moram dilati tam diu commentarii excuſat.

Initium *Proœmii* facit a plurimis fabulis, quæ per Scriptores ſu-

perioris noſtrique ſæculi de Habeſſinis diſſeminatæ fuerunt, donec Hiſtoria *Balthaſaris Tellezii* prodiret; qui veriora ſuppeditans, ea ſimul, quæ *Gregorius Habesſinus* in aula Gothana de gentis ſuæ inſtitutis & natura regionis narraverat, maxima ex parte confirmavit. His aliisque documentis & relationibus, inprimis annuis PP. Societatis Jeſu Regumque Æthiopiæ epiſtolis innititur Ludolfi *Hiſtoria* & *Commentarius*, in quo ante omnia judicium ſuum dat de plerisque Habeſſinicarum rerum ſcriptoribus, præcipue rejiciens *Matthæum Armenium*, *Tzagazaabum*, *Viretam* & *Barattum*; quorum tamen fide plurimi hactenus ſteterunt. *Paulum Jovium* quoque perſtringit, *Scaligerum* vero aliosque claros Viros, ubi hallucinati ſunt, notat vel declarat. Itineraria pleraque exiguæ fidei eſſe pronunciat, cumprimis *Rauchwolfii*, *Joannis de Montevilla*, *Benjamini Tudelenſis*, &c. præ cæteris æſtimans *Bernierium*, *Vincentium le Blanc*, *Cotovicum*, *Linſchoten* & *Thevenotium*. Denique vitam & res geſtas *Gregorii* ſui, utpote viri fide digni, prolixe exponit: Æthiopicas quasdam ejus ad Ducem Saxoniæ ERNESTUM, ejusque filium natu maximum *Johannem Erneſtum* p. mem. ut & ipſum Ludolfum epiſtolas in Europa nondum viſas, cum verſione Latina adjungit; prooemiumque claudit indicio verſionis *Anglicæ*, *Gallicæ*, *Belgicæ* & *Moſcoviticæ*, qua Hiſtoriam ſuam exteri ornarunt, non omnes æquali diligentia & dexteritate; ſimulque refellit imputationes a Gallis nonnullis ſibi factas.

Commentarium *ad librum primum* orditur a ſcriptione & derivatione nominis *Habesſini*, ex Arabica lingua; vulgares omnes rejiciens, quibus nulla indoctior ſit, quam quæ deducitur ab antiquo Ægyptiaco vocabulo *Αὐάσεις*, *Avaſes*, ſive *Oaſes*. Hæ enim nihil aliud fuerunt, quam inſulæ quædam terreſtres villis & vicis habitatæ, & arena tanquam mari late circumdatæ; quarum aliquot in Africa dantur. Unde redarguuntur ridiculæ quorundam JCtorum de Oaſibus gloſſæ. Porro Autor noſter exponit latitudinem & ambiguitatem nominis *Æthiopum*, prolixeque de tempore transfretationis Habeſſinorum ex Arabia in Æthiopiam, adverſus *Ryckium* in epiſtolis ad illum datis, ſed ἀνεκδότοις, diſputat, eamque minime recentem & poſt Juſtinianum, ut Scaliger fingit, ſed ab antiquiſſimis temporibus factam contendit. Agit quoque diſtincte de *Sabæis*, ſeu *Homeritis*, *Axumitis* & *Nubæis*, horumque (ſecundum Heſychium) homonymis *Pygmæis*, quos olim hodieque extitiſſe

ſtitiſſe, multis tam veterum quam recentium teſtimoniis exemplisque probat, & ea occaſione vocem vexatam נמרים exponit. Porro quoniam Habeſſini ſuperiori ſæculo communiter *Indi* vocati ſunt, de latiſſima vocis hujus tam apud Scriptores profanos, quam eccleſiaſticos, acceptione agit, & quæ de multorum Apoſtolorum Doctorumque in *India* vel Æthiopia prædicatione ſcribuntur, ita diſtinguit, ut Frumentium *Axumitas* ſeu Habeſſinos noſtros; Bartholomæum & Pantænum *Arabes* poſt Saracenos colentes; Thomam *Indos proprie dictos* in aurea Cherſoneſo habitantes; Matthæum vel Matthiam *Nubæos*; Eunuchum Candaces Reginæ *Æthiopes proprie dictos*, Ægypto conterminos, ad religionem Chriſtianam perduxiſſe veriſimiliter arbitretur. Poſthæc craſſos Geographorum errores in Habaſſia deſignanda detegit; etymologiam veram Maris rubri, & latitudinem variamque acceptionem ejus exponit; mendas numerorum in ſacris nonnunquam obvias, in profanis vero ſcriptoribus frequentiſſimas eſſe ſtatuit, & exemplis confirmat. Regna Habaſſiæ ex Godigno cum epicriſi ſua enumerat; inſulam *Meroën* apud veteres celebratam, neque regnum *Gojam*, quod Jeſuitis, præcipue Tellezio, placuit, neque hodie amplius inſulam eſſe putat; imo nec de nomine ejus hodierno inter Geographos convenire monet. Novum modum Alphabeti univerſalis proponit, quo litteræ Latinæ ita accommodantur, ut iis omnes nationes exotica vocabula, peregrinos literarum valores ſeu ſonos habentia, uniformiter ſcribere poſſint. Hinc adverſus Philoſophos quosdam in arenam deſcendit, & Zonam torridam, quamvis æſtus alicubi prope intolerabilis ſit, habitabilem tamen, & nonnullis in locis æque ac Europam temperatam eſſe, demonſtrat; audaciamque illorum perſtringit, qui de cœli ſiderumque natura ita diſſerunt, quaſi in æthere diu iter feciſſent, ut Seneca loquitur. Aërem vero frigidisſimum & ſiccum cenſet elementum, atque rationibus contra Peripateticos demonſtrat. Multa præterea congerit notatu digna de nive pluviisque ſub zona torrida, de periœcis eandem æſtatem hyememque ubique terrarum non habentibus, de ignavis fucis, horribilibus ventis, montibus & rupibus inacceſsis, de multo auro, metallis & ſale foſſili Æthiopiæ, de *Cohol* ſeu ſtibio, oculorum medicamine & apud Orientales ornatu, &c. qua occaſione aliquot S. Scripturæ loca, de hoc minerali tractantia, exponit. Mox, ad aquas properans, fontium originem ex ſolis pluviis derivat, verbaque Eccleſiaſtis, cap. I. 7. eo trahit,

hit,& pro הלכים שם legendum cenſet הלכים משם & verbum שבים de reverſione per vapores explicat. Præcipue vero apud Nilum commoratur, ejusq; præſtantiam & magnitudinem commendat: oſtia, quorum hodie duo tantum ſuperſunt, ſalubritatem, fœcunditatem, varia nomina, fontes fictos & genuinos, exundationis cauſſas veras & falſas, alveosq; duos, quorũ ſiniſter *Nigris* appellatur atq; in Oceanũ ſe exonerat, accurate atq; ſollicite depingit. Quæſtionem vexatam adjungit, an Nilus diverti poſſit, ne in Ægyptum fluat? & Albuquerquii conatus ex Commentariis ejus Luſitanicis profert. Denique *flumen Sabbaticum*, non tantum, ut apud hodiernos Judæos deſcribitur, ſed etiam, ut apud Joſephum & Plinium, fictitium plane fabuloſumque eſſe, nec unquam in rerum natura extitiſſe, pertendit.

Dehinc ad terras regreſſus, quæ ex ea in Habaſſia proveniunt, primum conſiderans, minutiſſimum & panificio utiliſſimum ſemen *Tef* profert, cum herba *Aſſazoë*, ſerpentibus maxime noxia, qua Pſyllos veterum callide uſos eſſe conjicit. Sed quia Habeſſini ob nimium æſtum vinum facere nequeunt, licet præſtantiſſimas uvas habeant, conſilium eis dat, ut rupes excavent pro torcularibus & cellis vinariis: Ficum Indicam, *Mauz* vel *Muſa* Arabice dictam, *Dudaim* eſſe, variis rationibus ductus affirmat, & appellationis rationem reddit, ita ut locum Cantici Canticorum de floribus iſtius plantæ, Geneſeos vero de fructu appoſite accipiat. De animalibus Æthiopiæ plurima profert haud protrita, præſertim de Taurelephantis, veteribus non ignotis; de adipoſis & ponderoſis arietum caudis, quas Deus in ſacrificiis cum adipe cremari juſſit; de Elephantum ingenio ac docilitate; de Camelopardali ſeu Giraffa, animali altitudinis ſtupendæ; de *Zecora*, quod animal omnium quadrupedum pulcherrimum meliori quam *Onagri* nomine apud Græcos Latinosq; dignum cenſet, ſimul autores de eo agentes, ſed hucusque non intellectos, declarans; de vera differentia Pardorum, Pantherarum & Tigridum, quas juxta cum Zecora ad vivum æri inciſas exhibet; de Hyæna, Monocerotibus variis, e quibus non Oryx, animal debile, cum Bocharto, ſed Rhinoceros cum Vulgata per Ebraicum ראם intelligendus; de Hippopotamo, qui omnino ſit *Behemoth* apud Jobum, non Elephas; de Crocodilis per Leviathan & interdum per תנין in Scriptura ſignatis; de Caudiverbera & mira Torpedinis natura; de Struthiocamelo & Caſuario, quorum hunc veterum *Tragopana* eſſe cenſet, ſuasque

ſuasque rationes addit; de Rucha Arabum, ave fabuloſa, quæ forte ficta ex *Condora*, ave omnium maxima, quam ex autoribus Hiſpanicis & Luſitanicis deſcribit; de variis ſerpentibus & venenatis animalibus, uti ſunt *Boa*, quæ in vocabulariis trivialibus ridicule exponatur ein Uncke / *Jekko* Stellio venenatiſſimus in Java majore, Hydræ & Cherſydræ, viperæ &c. Omnium prolixiſſime agit de Locuſtis auſtralibus, quæ noſtratibus multo majores ſint, & non ſolum Johanni Baptiſtæ in cibum ceſſerint, ſed etiam Iſraelitis a Deo miſſæ fuerint, cum carnem in deſerto appeterent. Multis enim probat, genuinam ſignificationem Hebraicæ vocis שלו in captivitate Babylonica fuiſſe amiſſam, & Judæos tam veteres quam recentes de ejus expoſitione non conſentire; coturnices autem per eam plane non poſſe intelligi, ad locuſtas vero auſtrales textum cum omnibus circumſtantiis optime quadrare, earumque eſum non ſolum Judæis licitum, ſed hodienum in Africa, China & India frequentiſſimum, ſuavem atque innoxium eſſe; quorum hoc recentisſimis teſtimoniis Rabbini Maroccani aliorumque ſcriptis & relationibus confirmat.

Tandem ad incolas venit, oſtenditque, Habesſinos optimæ indolis & præſtantisſimi ingenii eſſe, & propterea non tantum bello captos pluris venire, quam aliarum nationum mancipia, ſed etiam eam cauſam eſſe, cur ipſe in moleſtisſimo tam linguæ quam rerum Æthiopicarum ſtudio tam multum laborioſe deſudaverit. Gregorium quoque ſuum animo hilari diſcendique flagrantisſimo fuiſſe, eodemque præditum Acalexum, juvenem Habesſinum, qui A. 1653. ſua ſponte Ludolfum quæſitum in Germaniam venit, at infauſto ſidere non invenit. De *Leucæthiopibus* cum diverſæ ſcriptorum exſtent relationes, eas ita conciliat, ut quidem aliquos dari putet hic illic per Æthiopiam degeneres, e nigris parentibus prognatos, ac fortasſis vere leproſos, ut Vosſius narrat: gentem tamen Leucæthiopum certam eſſe, ac per ſe ſubſiſtere, vitio illo carentem. Morem Æthiopiſſarum parturientium in genua procumbendi ex S. Scriptura illuſtrat, ubi fœminis Hebræis idem tribuitur. Judæos olim in Dembea atque Samena, regnis Habasſiæ, ſuo jure vixiſſe docet, quod tamen Jacobi vaticinium nequidquam labefactet, ſiquidem id de Politia integra Regni & Sacerdotii Judæorum in Palæſtina, non de dominio aliquo abſoluto extra eam, ab ipſis etiam Judæis intelligatur. De Lingua Æthiopica peculiarem Diatriben pollicetur, alteri Grammaticæ ſuæ editioni præmittendam.

Digitized by Google

tendam. Nunc tantum facilitatem ejus, uſumque in vocibus phraſibusque obſcuris S. Scripturæ declarandis magna exemplorum copia evincit; imprimis *Adami* nomen non a rubedine, ſed a formoſitate dictum eſſe perſuadens: eam enim ſignificationem radicem אדם olim apud Hebræos quoque habuiſſe, & in lingua Æthiopica adhuc habere. Addit nonnulla de lingua Amharica, Lexico Æthiopum, *Scala* dicto, & falſa traditione de LXX linguis totius orbis, quam Alſtedius & Megiſerus inepta enumeratione auxerint, varias leves Dialectos pro peculiaribus Linguis reputantes. Plinium quoque de trecentis diſſimilibus Linguis ſcribentem, egregie emendat. Denique de Cingarorum Lingua nonnullas obſervationes ſubjungit; brevique indicio interitus Mamaluccorum, incurſionum Tartarorum in Chinam, antiquisſimæ incantationis, cujus etiam in Scriptura mentio fit, qua variæ beſtiæ in unum congregantur, & ἀνθρωποθυσίας olim hodieque in Africa uſitatæ, librum primum claudit.

Secundum inchoat cum itinere Hannonis Pœni, unde Luſitani occaſionem ceperunt, navigationem circum Africam in Indiam tentandi. Verum Presbyterum Johannem in Aſia Septentrionali in regno Tenduc olim regnaſſe adſerit, ejusque verum nomen fuiſſe *Preſtencban*, id eſt, *Adoratorum* ſive *Chriſtianorum Princeps*. Hinc varias & plerumque vanas, partim etiam ridiculas, Regis Habesſini appellationes, quæ per Europam ſparſæ ſunt, recenſet, verasque adjicit, & fictos Catalogos tum Habesſinorum, tum aliorum Regum exſibilat. Per כושים *Cuſæos* Arabes Sabæos ſive Scenitas intelligi Bocharto adſentitur, ſed LXX. Interpretes adverſus eum defendit, non quod Æthiopes Africanos intellexerint, ſed quod vocem iſtam Ebræam ſecundum ſeculi ſui acceptionem per *Æthiopes* reddiderint. Æthiopem enim jam a temporibus Jeremiæ Cuſæum dictum monet, eaq; occaſione tam diſtinctionē inter Æthiopes Orientales & Occidentales apud veteres crebro occurrentem, quam terminos maris rubri ab iisdem latius extenſos, cum cura explanat. Hiſtoriam Calebi Regis & Aretæ martyris egregie illuſtrat; templa Habesſinorum in vivas rupes inciſa eorumque Ichnographiam ob oculos ponit, & cum Græcorum & Judæorum ædibus ſacris comparat. Quæſtionem ventilat politicam, in Habesſinia quoque motam: an primogenito ante Patris regnum nato ſceptrum capeſſere liceat? idque affirmat. Confesſionem Claudii Regis Æthiopiæ integram

brevibus

Digitized by Google

brevibus annotationibus illuſtratam inſerit, cum hiſtoria impoſtoris Zaga-Chriſti, (qui tum Italis, tum Gallis imprimis impoſuerat, filium Regis Æthiopiæ ſe venditando, cujus ludicrum Epitaphium nunc emendatius profert,) & cum epiſtola Af-Saphedi Imperatoris Habesſinorum ad Gubernatorem Societatis Indiæ Orientalis. Poſtea jura quædam Regum Æthiopiæ declarat, inter quæ primum locum occupat Jurisdictio Eccleſiaſtica, quam illi ita ſibi vindicant, ut ob ejus denegationem a Jeſuitis potisſimum alienati fuerint: nec ſpernenda ſunt, quæ collegit de miſero ſubditorum in plerisque Aſiæ Africæque regnis ſtatu, qui nulla bonorum proprietate gaudeant, &c. Hinc varia proponit conſilia, quo pacto vicini Habesſinorum hoſtes, Gallæi & Turcæ, domari & expelli queant, additis egregiis obſervationibus de æquisſimo tributi genere ex proventibus regionum naturalibus; de Axuma, veteri Habesſinorum regia, nunc deſolata; de veteribus & inutilibus coronationis regiæ ritibus pasſim abrogatis; de Pſalterio Davidis apud nobiles & plebejos Æthiopiæ maxime æſtimato, ut a plerisque memoriter recitari posſit; de periculoſa potentia caſtrenſium, & militaribus Imperiis inſtabilibus; de elevatione humili loco natorum; de crudelisſimo Habesſinorum adverſus Adelenſes bello, ad quod conficiendum a Luſitanis auxilia acceperunt; de legatione Matthæi Armenii, & Tzagazaabi ad Luſitanos in Europam; de alia a Rege Suſneo per ignotas Africæ regiones ad Oceanum Indicum tentata, deque iis, quæ partim Conſtantinopolin, partim ad Belgicam in India Societatem deſtinatæ fuerunt; de clamore ſupplicum Habesſinorum notis muſicis expreſſo; de Turcis igne in capite ſuccenſo Sultano ſuo ſupplicantibus, deque judiciis & pœnis, quibus nobiles & ignobiles ſubjiciuntur. Tandem deſcribit præſentem Æthiopiæ ſtatum partim ex iis, quæ *Moccha* Arabiæ emporio A. 1685. ad illum perſcripta ſunt, partim quæ ipſe biennio ante ex ore Tavernerii, & mercatoris cujusdam Armenii, cognoverat. Ea res Habesſinorum florentisſimas nunciant, ſummasque Regis divitias, qui cum ſubditis ſuis in religione Alexandrina conſtanter permaneat, & res magnas contra Gallæos hoſtes Habesſinorum perpetuo moliatur, &c.

Libro tertio illuſtris Auctor res Eccleſiaſticas complectitur, non ſolum Habesſinorum, ſed aliorum quoque Chriſtianorum, præſertim primitivæ Eccleſiæ. In anteceſſum rejicit relationem Matthæi Ar-

menii

menii & Tzagazaabi Æthiopiæ Legati Confeſſionem Fidei, quibus plerique ſcriptores noſtri hucusque incaute nimis fidem adhibuerunt. Tractationem ipſam incipit a circumciſione, quam Habeſſini a Judæis minime acceperint, ſed a majoribus ſuis, Homeritis ſive Sabæis, ſecum attulerint, quæ etiam reſpectu *denudationis* eſſentialiter a Judaica differat: ſiquidem & aliæ gentes plurimæ jam a multis ſæculis eam uſurparint ſine ſcientia originis. Quæſtionem, quæ hodie nonnullos eruditos vexat, *an circumciſio apud Judæos, an apud Ægyptios primum ceperit?* vanam eſſe putat, niſi clare probetur, circumciſionem Ægyptiorum antiquiorem eſſe Abrahamo. Præterea ad dictum Paulinũ docet, *quomodo apud Judæos præputium rurſus ſuperinduci vel naturaliter recreſcere poſſit:* & quomodo circumciſio vel *exſectio* potius *fæmellarum* in Africa & Aſia peragatur, ut nullo modo cum circumciſione comparari poſſit, ſimulq; *fæmina inexciſa* nomen probroſum apud Arabes eſſe docet. Diſputat adverſus recentiores quosdam Theologos, & probat *Sabbatũ ſimul cum die Dominica in primitiva eccleſia celebratum*, ejusq; feriationem non e Synagoga, ſed ex Alexandrina in Æthiopicam eccleſiam derivatam fuiſſe, & veteres non tam quoad cultum divinum, quam quoad labores intermittendos vel exercendos controvertiſſe; quibus integram hiſtoriam *Confeſſionis Claudii Regis* ſubjungit; unde patet, eam veram & genuinam eſſe. Quæ in hiſtoria de *auctore & tempore converſionis Habeſſinorum per Frumentium facta* dixerat, pluribus defendit, & *unum tantum Frumentium* fuiſſe, contra Baronium demonſtrat. Hiſtoriam *novem Sanctorum*, qui Chriſtianiſmum ibi propagarunt, amplius deſcribit, ſimulque conjecturam proponit de loco Abdelbakidis Arabis, ex quo Seldenus & Colomeſius concludere voluerunt, *Imperatorem Habeſſinorum aliquando ad Muhammediſmum defeciſſe*, cum tamen locus ille potius de *Bazeno Homeritarum* in Arabia Rege, Habeſſinorum tunc cliente, intelligendus ſit. Ex *miraculis* plurimis, quæ *Sanctis Æthiopibus* adſcribuntur, illuſtris Ludolfus occaſionem arripit, ea cum miraculis Sanctorum Eccleſiæ Romanæ comparandi. Loquitur etiam de aſcetis rigidiſſimis, & profert PP. Societatis verba: qui *veram doctrinam ex tali rigore & miraculis probari non poſſe* ſtatuunt; *Antichriſtum enim etiam operaturum miracula. Verſionem Biblicam* apud Æthiopes *duplicem* exſtare ait, incertum tamen, quibus auctoribus. Varias ejus partes in Europa manuſcriptas & impreſſas repertas, recenſet;

Digitized by Google

recenſet; *novum* vero *Teſtamentum* Romæ editum innumeris ſcatere mendis ait. Præterea habere Æthiopes *Codicem Conciliorum & Canonum*, in quo, præter Canones Conciliorum quorundam genuinos & *ſupernumerarios Nicænos*, quos *Arabicos* hactenus vocare conſueverunt eruditi, reperiuntur quoque *Canones & Conſtitutiones Apoſtolicæ*, quæ ab Æthiopibus pro germano Apoſtolorum fœtu agnoſcuntur, & in plurimis diſcrepant a Græcis hujus nominis, ut prolixe monſtrat Ludolfus, eoque ſaltem nomine magnam apud ſtudioſos *Critices eccleſiaſticæ* gratiam iniit. *Epiſtolam Regiam* in Codice Romano ad Monachos Æthiopes Hieroſolymis degentes repertam, cum notis edit. In fine diſſerit de vocabulis *Manda* & *Abtelis*, quibus Canones illi appellantur, nec non de vera illorum antiquitate. Promit quoque judicium ſuum de *Liturgiis Æthiopum*, iis inprimis, quæ Chriſti, Mariæ & Apoſtolorum nominibus inſcribuntur, easque Pſeudepigraphis Apoſtolicis male adnumerari cenſet, quum hæc nomina non portent, quaſi ab ipſis, tanquam auctoribus ſint profectæ, ſed ut in feſtis eorum recitarentur, vel alia de cauſſa. Neque reliquos *Æthiopum libros* ſicco præterit pede, ne quidem ſuperſtitioſos, monſtroſis nominibus plenos, in quibus haud poſtremum locum occupat fictitia *Henochi Prophetia*, de qua poſt Peireſcium, multi eruditorum grandia myſteria exſpectarunt, ſed Ludolfus carbones pro theſauro reperit. Stupendam enim *fabulam de pugna Michaelis Archangeli cum Setnaele* habet; cujus membra omnia immanis magnitudinis putide deſcribuntur. Laudat porro *amorem Habeſſinorum erga ſacram Scripturam*, regii quoque ſtemmatis viris fœminisq; inſitum, atque iſtos memoriter callere *Pſalterium & Epiſtolas S. Pauli* memorat. *Symbolum fidei*, quo utuntur, non eſt id, quod nos vulgo Apoſtolicum vocamus, ſed Nicænum: *Concilium* vero *Chalcedonenſe* iniquis cenſuris proſcindunt; traditione majorum, non cognitione. *Proceſſionem Spiritus Sancti* a Filio æque negant, ac Græci, quanquam Filii Spiritum eſſe non inficiantur; ubi de controverſia hac Autor latius diſſerit. *Animas beatorum* ante ultimum Chriſti adventum in regnum cœlorum haud intrare, ſed in Paradiſo quodam aſſervari communiter ſtatuunt, quod ex Judaiſmo traxiſſe videntur, quanquam multi etiam veterum Latinorum in eadem ſententia fuerint, nuperque *Philippus a Limborch* eam ſimili de ſomnio incruſtare voluerit: ſed Ludolfus tantum concedit, plenum triumphum plenamque gloriam in

extremo demum judicii die poſt conjunctionem corporum cum animabus eventuram; idque declarat ſimili cujusdam in magno honore apud exteros, abſentibus uxore & liberis, conſtituti. Idem teſtimonio Jeſuitarum evincit, *purgatorii*, (quod etiam cum precibus pro defunctis ex Judæorum doctrina ortum habuerit,) neque nomen neque rem Habeſſinos habere: *limbum* tamen *Patrum* in libro quodam Æthiopico ſe reperiſſe, ſcribit; quamvis eam publicam Eccleſiæ illius doctrinam eſſe ambigat. Originem *invocationis Sanctorum* ab honorifica eorum memoria, olim apud Judæos etiam, primosque Chriſtianos uſitata repetit, nimiumque apud Habeſſinos *S. Mariæ cultum* confert cum eo, qui apud Pontificios illi defertur, & allegat veterem librum Dresdæ A. 1512. impreſſum, in quo *Magna Dea* vocatur; & propterea miratur, Jeſuitas & Luſitanos ab Habeſſinis pro inimicis B. Virginis habitos fuiſſe, quod negarent, illam peperiſſe Deitatem, ſive quod illam quidem *Deiparam* ſed non *Deitati param* vocare vellent. Addit nonnulla de *invocatione Angelorum*, a Judæis in Eccleſiam propagata: de *eſu ſanguinis* & *ſuffocatorum*, a quo hodienum *Habesſini* juxta cum aliis in Oriente Chriſtianis abſtinent. Sed diutius occupatur ad probandum, antiquiſſima Chriſtianorum inſtituta pleraque nullam aliam originem quam e Judaiſmo habere; & Axioma inde format: *Ritus antiquiſſimos naſcentis Eccleſiæ, ſi apud Judæos reperiantur, Judaicæ, non Apoſtolicæ originis eſſe.* Pergit ad ſpecialem demonſtrationem, & docet, *Eccleſiarum Chriſtianarum ſtructuras* ita adornatas, ut majores ſive Cathedrales templo Hieroſolymitano, minores vero ſynagogis ſimiles ſint. Sic uſum *veſtium*, *candelarumque ſacrarum*, *imaginum oblationes ad Altare*, *manuum impoſitionẽ*, *cantica* & *inſtrumenta muſica in ſacris*, *Feſta majora Paſchatos*, *Pentecoſtes* & *Sabbatum*, *Triſagion*, *Baptiſmum*, *Confesſionem peccatorum*, *initiationem novorum ſponſorum* &c. ex Judaiſmo derivata, ſed in uſum Chriſtianum commutata, demonſtrat. *Eccleſiam enim traducem quaſi eſſe Synagogæ.* Hinc ipſa templa ingreditur illuſtris Autor, & *ichnographia* templi *Æthiopici Græcique*, ac *Synagogæ Amſtelodamenſis* Lectorum oculis expoſita, adytum ſeu *Sanctuarium veterum Chriſtianorum* latius deſcribit, rationemque ex Judaiſmo petit, quare Chriſtiani Orientales non admittant *imagines* ſculptas, ſed tantum *pictas*. Iidem *Eucharistiam infantibus* hodienum tradunt, & *baptiſmum Chriſti* d. 6. Januarii (qui inde *Theophaniæ* ſeu *Epiphaniæ*

nomen,

Digitized by Google

nomen, non ab adventu Magorum, accepit) celebrare ſolent, & quidem ſolenni balneatione & maxima lætitia, quamvis vinum in hoc feſto non bibant. Habeſſini ægerrime ad *confeſſionem particularem* Jeſuitis faciendam compelli potuerunt: a ſuis autem confeſſariis virgulis oleagineis in tergo ſe feriri libenter patiuntur; quem morem cum manumiſſione ſervorum apud veteres Romanos confert Ludolfus. De *ſacra* illorum *menſa* iis,quæ in Hiſtoria dixerat, pauca adjungens, interpretationem vero marmorei apud *Aringhum* monumenti latius defendens,ex quo collegerat, menſas veterum Euchariſticas, dum in ſpeluncis S. Cœnam adminiſtrarent, ad modum arcæ formatas fuiſſe; hinc lapidem ſacratum *Arcam* Æthiopibus dici, vinum in Euchariſtia per *uvam paſſam maceratam* exprimi docet ab Habeſſinis, Coptitis & Chriſtianis S. Thomæ. Probatq; ex Patrum Societatis Jeſu teſtimoniis, Habeſſinos *ſub utraque ſpecie* communicare, & refellit, quæ Holſtenius in contrarium attulerat. Plura notatu digna adfert de *muneribus* eorum *ad ſanctuarium* afferri ſolitis; inter quæ pauper quædam fœmina aliquando parvum felem capiendis Eccleſiæ muribus attulerat: de *Muſica* & *tripudiis* ſacris, ſaltationi non abſimilibus: de *rigidiſſimis jejuniis*, in ſpecie de *quadrageſimali*,quod teſte Eutychio Alexandrino primus a feſto Epiphaniorum removerit, & ad Paſcha usque extenderit *Demetrius Patriarcha Alexandrinus*; cum antea Chriſtiani poſt celebratum baptiſmi Chriſti feſtum, ut hiſtoria Evangelica fert, jejunium illud ſtatim inchoaſſent. Inde per totum orbem *jejunium quadrageſimale*,ut nunc eſt, receptum, licet diverſimode in variis eccleſiis computetur. Tempore *Pentecoſtes*,id eſt, per ſeptem hebdomades,nullum in primitiva Eccleſia fuiſſe jejunium refert. *Computum* porro *Eccleſiæ Æthiopicæ* ex MSto edit, Chronologisque elaborandum relinquit, addens integrum *Calendarium Æthiopicum*, rubrica diſtinctis præcipuorum ſanctorum nominibus; idque cum *Coptico* Seldeni confert, quod plurimis in locis emendat, & egregiis notis illuſtrat, unde varia de feſtis ſanctorumque vitis hauriri poſſunt; *Epactarum* vero auctorem facit Demetrium Patriarcham paullo ante nominatum, Æthiopum & Coptitarum teſtimonio. Denique *ritus nuptiales* Habeſſinorum, *polygamiam* legibus civilibus, non eccleſiaſticis apud eos permiſſam, *divortia* creberrima, quippe illorum jure licita, & *exequias* deſcribit.

His defunctus, *Ordinem Sacerdotalem* luſtrat, & oſtendit,*Cleri-*

Digitized by Google

cos Æthiopum nullam fori immunitatem habere: *Metropolitæ* ſuo, qui *Abbuna* dicitur, a Patriarcha Alexandrino ſemper venienti, ſubjectos eſſe: nullos tamen alios Archiepiſcopos aut Epiſcopos hoc nomine dari: Presbyteris vero & inferioribus Clericis *uxores* permitti: quibus præmiſit nonnulla de Nicænis Canonibus Arabicis ſuppoſititiis, quos *Somnia* vocat Baronius; de *antiqua Ægyptiorum lingua* hodie fere obſoleta; de quatuor primum, deinde quinque *Patriarchis Oecumenicis*, ac ortu nominis *Patriarchæ* & *Papæ*; de *Diaconisſis*; de *Conjugio Clericorum* in Oriente permiſſo, & *cælibatu* Latinorum, ut & de *ſecundis nuptiis* ab Orientalibus hodie, multisque olim Patribus rejectis. Deinde infelix *ſchiſma poſt Concilium Chalcedonenſe* pluribus deſcribit, & dubitat, an *Eutyches* hæretica illa verba, quæ ipſi vulgo tribuuntur, ita protulerit, *quaſi in Chriſto ante incarnationem duas naturas, poſt eam vero unam tantum agnoviſſet*; cum *Protocollum*, quod Baronius habet, videatur imperfectum. Veram autem ejus hæreſin haberi poſſe ex *S. Leonis Magni* epiſtola, ex qua rationes ſuas dubitandi deſumſit. Sententiam Eutychetis per ſequelam imponi etiam *Jacobitis*, quales ſunt *Armenii*, *Coptitæ* & *Habesſini*, quorum hi tamen diſerte aſſerant, *divinitatem & humanitatem in Chriſto poſt incarnationem ſine mixtura & ſeparatione ſubſiſtere, & eſſe unum*, ſcilicet ὑφιστάμενον: neque *Theopaſchitarum* erroris eos eſſe reos, ſed verba illorum commodam explicationem admittere. Hiſce dogmaticis jungit Ludolfus nonnulla ad Hiſtoriam pertinentia, de *Jacobo Syro*, unde Jacobitæ dicti; de Coptitis, & *calamitatibus* ob reprobationem decreti Chalcedonenſis *in Ægypto ortis*; de *Timotheo* Patriarcha Alexandrino, quo nomine plures dati fuerint; de *disſidio Melchitarum & Jacobitarum in Ægypto* adhuc hodie durante &c. Nihilominus Habesſinorum cum Eccleſia Romana conciliatio ſæpe tentata eſt, Legationibus hinc inde misſis. At *Alexandri III Pontificis* epiſtolam ad *Indorum Regem* huc nihil facere monet. Poſtremo *Jeſuitas* hoc & ſuperiori ſæculo plurimum præſtitiſſe. Eorum res initio in Habesſia florentisſimæ fuerunt, poſt aliquot autem annos ruere, ac A. 1632 plane evaneſcere cœperunt, adeo ut illis hodie ſpes nulla ſuperſit. Nam omnes quos Romanæ religionis clericos ſuſpicantur, aditu regni ſevere prohibent. Hæc omnia magna diligentia perſequitur illuſtris Autor, & monumentis neceſſariis, *epiſtolisq; & tractatibus a Patribus Societa-*

tis

Digitized by Google

tis eorumque inimicis, nec non ab ipſis *Æthiopiæ Regibus* ſcriptis, confirmat, ut nihil ab eo ejusque autoribus *Tellezio* & *Gregorio* fictum eſſe, luculenter appareat. Finem tertio libro imponit notabili relatione de *Petro Heylingio* Lubecenſi, qui optima indole morumque innocentia præditus, Galliam Italiamque peragravit, hinc in Ægyptum profectus eſt, indeque cum novo Habesſinorum Metropolita, pulſis Jeſuitis, ex Alexandria pro more petito, in illorum terram venit, & magnam apud Regem proceresq; gratiam conſequutus, inſtitutioni juvenum nobilium tempus impendit. Fama conſtans eſt, quod ex Æthiopia Europam repetitum rurſus exierit; quando vero & quomodo, plane non conſtat: nec de morte ejus certi quidquã dici poteſt, quum *Wanslebii* de eo narratio ſubleſtæ fidei ſit, ut multis argumentis Autor noſter docet.

Commentarius *ad quartum librum*, qui *res privatas* & *œconomicas* continet, paucis abſolvitur; & priores quidem numeri ad rem litterariam artesque liberales ſpectant, agentes de *litterarum Æthiopicarum* cum Samaritanis convenientia, & Græcarum ex Phœniciis derivatione: deque *vocabulario Æthiopico* ſatis inepto: de miris Habesſinorum circa *Syſtema mundi* aſtrorumq; motum opinionibus (qua occaſione Ludolfus reliquis omnibus *Copernicanum* præfert, & quomodo loca Scripturæ cum hac ſententia concilianda ſint, ſingulariter docet:) de *carminibus*, *ænigmatibus*, *proverbiis*, *epiſtolis*, *nominibus propriis* ſignificativis Æthiopum, quibus docti quidam viri decepti, qui ea pro appellativis habuerunt: de imperitia eorum in *arte grammatica*, *pictoria* & *muſica* &c. Reliqui numeri artes populares & opificia tradunt, imprimis *modum molendi* apud Æthiopes, veterum uſitato more, dum ſuper *catillo metam* manu verſant, & ſic grana in illo poſita conterunt, labore difficillimo: unde quid ſit *datio in piſtrinum*, intelligi poteſt. Græci metam ad imitationem Phœniciæ vocis רכב ὄνον *aſinum* vocant, unde Autor nove exponit μύλον ὀνικὸν apud Matthæum, quaſi per hypallagen ὄνον μυλικὸν, *aſinum molarem*, id eſt *metam*. Tandem de officiis & moribus Habesſinorum domeſticis, ut & *cerevifia* ſine lupulo cocta, & *veſtitu* eorum tenui differit; & quid *braccæ* ſint, nec non etymologiam vocum Germanicarum Hoſen & Strümpfe exponit. Poſtremo cum mercatura & monetarum pondere totum opus claudit, *ſeptem* adjectis *Indicibus*, ut Lector in tam diffuſo Opere eo facilius, quæ cupit, invenire queat; nempe, *Rerum &*

Digitized by Google

verborum; *nominum propriorum*; *Sanctorum* Calendarii Æthiopici; Vocabulorum *Græcorum*; *Hebraicorum* & *Arabicorum*; *Æthiopicorum* & *Amharicorum*; nec non *vernaculorum* Europæ.

JOHANNIS CLAUBERGII OPERA Omnia Philoſophica, cura Johann. Theodor. Schalbruchii,

Amſtelodami, apud Waesbergios &c. 1691. in 4.

Conſtat alphabetis ſeptem & amplius.

JOhannes Claubergius Theologiæ & Philoſophiæ Doctor & Profeſſor in Academia Duisburgenſi, inter Carteſianæ Philoſophiæ aſſertores, ingenii acumine, perſpicuitate docendi, ac ordine proponendi præcellens, plurimis opuſculis ſeparatim editis jamdudum inclaruit, utpote *Phyſica contracta, Diſputationibus Phyſicis, Theoria corporum viventium, Conjunctione animæ & corporis, Metaphyſica de ente, Paraphraſi in Meditationes Carteſii, Exercitationibus centum de Cognitione Dei & noſtri, Logica vetere & nova, Logica contracta, Defenſione Carteſiana, Dubitatione Carteſiana, Differentia Carteſianam inter & vulgarem Philoſophiam.* Eadem nunc conjunctim emendatiora auctioraque prodierunt. Nam libellum de Philoſophiæ Carteſianæ & vulgaris differentiis, ab Autore Germanice conſcriptum, aliquis in Latinam linguam male convertit, ediditque in Germania; qua verſione meliorem hic exhiberi, præfatio Typographi ad Lectorem promittit. *De novo accedunt* hactenus nondum editæ *Notæ breves* in Carteſii Principia Philoſophiæ, manu Autoris codici, quo in ſcholis privatis uti ſolebat, adſcriptæ; item *Exercitationes & Epiſtolæ*, inter quas *prima*, utrum Atheus poſſit convinci, ſe habere vel experiri apud ſemetipſum ideam DEI? *Secunda* vindicat doctrinam Carteſii de Motu & Legibus Naturæ ab exceptionibus Jacobi Revii; *Tertia* examinat novum argumentum probandi Dei exiſtentiam, inventum ab Eſcalache. Adduntur Epiſtolæ Tobiæ Andreæ, Hiſtoriarum & Græcæ linguæ in Academia Groningana nuper Profeſſoris, quarum *prima* tractat de collegio Sapientum Pariſiis; de argumento pro exiſtentia Dei, quo uſus eſt Eſcalache; de libello in auctione librorum Dematii Ultrajecti invento; de opprimendis

mendis Canonicis; *ſecunda* refutat Gaſſendi ſententiam de Vacuo: *tertia* refellit Varenium, qui in Geographia ſua opinionem Carteſii de æſtu maris oppugnavit. Dictata Phyſica privata ſub nomine Claubergii abhinc novem annis Francofurti edita, in hoc volumine fruſtra quæres. Etenim referente editore horum Operum, pars multo maxima Dictatorum Auctori ne per ſomnium quidem unquam in mentem venit, cum eorum nec vola nec veſtigium inter ſchedas ejus diligentius excuſſas reperiri potuerit, ſed cuncta diſcipuli ex ore Claubergii, in ſcholis privatis Chiliada Theſium Phyſicarum exponentis, feſtino exceperint calamo, atque haud raro male intellecta, & a Doctoris ſenſu aliena conſignarint. Præfixa eſt vita Johannis Claubergii per Henr. Chriſtianum Henninium, Profeſſorem Hiſtoriarum, Eloquentiæ ac Linguæ Græcæ, Collegam deſcripta, ex qua conſtat Auctorem noſtrum A. 1622 natum, A. 1665 demortuum eſſe.

JOH. FREDERICI GRONOVII DE SESTERTIIS, ſeu Subſecivorum Pecuniæ veteris Græcæ & Romanæ libri IV. Acceſſerunt L. Voluſius Mæcianus J C. & Balbus Menſor de Aſſe: Paſcaſii Groſippi Tabula Nummaria: Mantiſſa & tres Αντιξηγήσεις *de Fœnore Unciario & Centeſimis Uſuris, item de Hyperpyro: Salmaſii Epiſtola & ad eam Reſponſio.*

Λογαριασμὴ Παλαιὰ καὶ Νέα, *Græce & Latine.*

Lugduni Batavorum ex Officina Johannis du Vivie, 1691, in 4.

Conſtat 4. Alphab. & 11. plagul.

QUid in hac nova laborum paternorum editione præſtiterit de elegantioribus literis inſigniter meritus *Jac. Gronovius*, ex ipſius ad Lectorem præfatione omnium optime cognoſcere licebit. In ea namq; edocet, ſe eorum, quæ in libris IV de Seſtertiis, item in Mantiſſa ac duplici Αντιξηγήσει de fœnore unciario & centeſimis uſuris a Parente ad oras annotata repererit, plurimam partem vel locis ſuis inſeruiſſe, vel ſi ampliora eſſent, aut talia quæ relinqui aliorum induſtriæ poſſent, in extrema pagina apponi curaviſſe: duplici eidem Αντιξηγήσει tertiam hactenus ineditam, in qua aliquod doctrinæ adjumentum habeatur, ac inprimis vexatiſſimus apud Horatium l. 2. Satyr. 3. v. 60 ſqq. locus ſuæ integritati

Digitized by Google

tegritati reſtituatur, adjeciſſe: item Diatriben in Nicolai Abrami ſcriptū, cum ad laboris hujus reliqua pertinere videretur, comprimere noluiſſe: his virorum doctorum, ſcil. Joſephi Scaligeri, Joh. Meurſii, Jacobi Gretſeri, Thomæ Reineſii, Balſamonis, Guntheri, ac parentis ſui de nummo poſterioris ævi, *hyperpyro* appellato, qui duos thaleros ſive quinque florenos Hollandicos faciat, adjunxiſſe: nec epiſtolam Salmaſii & ad eam parentis ſui reſponſionem jam multis cognitam atque deſcriptam, cum primam totius hujus laboris occaſionem & originem referat, occulere voluiſſe: duplex tandem Rationarium, tum vetus Auguſti Cæſaris, tum novum Alexii Comneni Imperatoris, quod parens etſi totum notis ſcriptum tamen eo usque verſaverit, ut explanandi via feliciter reperta in Latinum ſermonem redegerit certus publicandi, haud ingratum fore benevolo lectori judicaſſe. Licet enim parente mox defuncto, occuparint ultimam hanc operam Pariſiis Monachi Benedictini, Bernardo de Montfaucon interpretationem allinente, non pauca tamen in illa editione jure deſiderari poſſe, aliquot in medium adductis & obelo notatis exemplis demonſtrat. Quæ adverſus *Jo. Harduinum* Jeſuitam hodieque ſuperſtitem, & *Theodorum Ryquium* Profeſſorem Lugdunenſem, meritis in rem litterariam celebrem, ſed non ita pridem mortuum, a clariſſimo Gronovio in Præfatione ad Lectorem porro diſſeruntur ſilentio præterimus. Cæterum *Paſcaſii Groſippi* nomen anagrammaticum *Gaſparem Scioppium* tegere, Lectorem non ignorare putamus,

NIC. GURTLERI HISTORIA TEMPLARIOrum, obſervationibus eccleſiaſticis aucta.

Amſtelædami, apud Henr. Wetſtenium, 1691, in 8. Plag. 15.

TEmplariorum ut hodie exoletum nomen & extinctus prorſus eſt Ordo; ita olim ingens numerus & magna extitit poteſtas, iſti haud abſimilis, qua per univerſum Chriſtianum orbem hodie floret a Jeſu nominata Societas. De his inſignem commentarium *Petri Puteani* Gallica lingua ſcriptum ante hos 37 annos in Gallia novimus evulgatum; & nunc eorundem hiſtoriam edito in Belgio libello clariſſimus Autor expoſuit. Intra centum nonaginta & quatuor quaſi annos ortum & occaſum eorum contineri docet, originem referens ad A. C. 1118, quo novem Equites ad impetrandam peccatorum veniam, vias & itinera

nera, quæ Hieroſolymam & ad loca ſacra ducebant, quæque Saraceni, Turcæ & Ægyptii infeſtabant, adverſus graſſatores hos tuta reddituri, & peregrinantes defenſuri, in Palæſtinā expeditionem ſuſceperint, more Canonicorum regularium in obedientia, paupertate & caſtitate viventes, ſub Patriarchæ Hieroſolymitani imperio, ad palatium Regis Balduini, juxta templum Domini (unde nomen iis natum) manſionem habuerint, victum amictumque a Regis, Patriarchæ, & aliorum Eccleſiæ procerum liberalitate acceperint, a parvis autem his initiis intra breve tempus, Synodo Trecenſi in Gallia A. 1128 confirmati, ſuccreverint, albis induti primum veſtibus, poſtea rubeam ex panno crucem palliis aſſuentes, & vexillo bipartito ex albo & nigro utentes, intra quinquaginta annos aucto in immenſum eorum numero, acceſſione Comitum & primariæ nobilitatis virorum, beneficentia item Ludovici VII. Galliæ Regis & plurimorum aliorum liberalitate, ad ingentes divitias pervenerint. Sed ut magnæ fortunæ comes fere ſolet eſſe ſuperbia, ita poſtquam immenſas opes & potentiam impetraſſent, elatius eos ſe gerere cœpiſſe, &, neglecta humilitate, Patriarchæ Hieroſolymitano ſe ſubtraxiſſe, obedientiam ei denegantes, ex Wilh. Tyrio, Matthæo Pariſienſi & Balæo tradit. Clades in expeditionibus adverſus Arabes, Turcas & Saracenos ſæpius eos paſſos, & quosdam eorum a Saladino ſerris diſſectos fuiſſe, ex Genebrardi ac Sigeberti Chronicis, nec non Marino Sanuto Torſello narrat. Cumprimis autem, poſtquam A. 1187. Hieroſolymæ in Saladini veniſſent poteſtatem, adverſo Marte ſæpius conflixiſſe, præterea multa injuſte, luxurioſe & crudeliter gesſiſſe memorat. Tandem in excidium totius Ordinis Clementem V. Pontificem & Philippum Pulchrum Regem Galliæ, ob iram quam hic animo erga illos ſeditioni adverſus ipſum in Gallia ortæ faventes conceperat, & avaritiam ac ſpem ingentis lucri ex illorum interitu percipiendi, conſenſiſſe, obſervat. Neque tamen ſatis conſtare exiſtimat, utrum rei ſcelerum quorum inſimulabantur, utrum innocentes fuerint; id vero colligi poſſe, Ordinis inſtitutum Deo non placuiſſe, eoque nec peregrinationes religioſas, nec inſanam poſſidendæ Palæſtinæ cupiditatem, gratam ei acceptamve fuiſſe. Non videri autem veriſimile, vera omnia eſſe, quæ objecta iis fuere crimina, fortioraque eſſe argumenta, quæ ad minuendam illorum culpam faciunt, adeoque injuſte cæſos fuiſſe & trucidatos omnes. Contigiſſe id ait A. 1307 quo Phil-

Digitized by Google

ippus Pulcher R. G. datis per Galliam literis, eadem die & hora ubique reſignandis, omnes Templarios comprehendi, torqueri & igne cremari, ademtis eorum fundis & fiſco, mandarit, omnes etiam Principes Chriſtianos, ut in ſua quisque ditione idem faceret, monuerit, Pontifex quoque Clemens V idem juſſerit: unde factum, ut ferali Viennenſis Synodi judicio condemnati intra ſeptem annos ferro & igne omnes interierint; ultimo eorum Magiſtro *Jacobo Mola* cum duobus ſociis *Guidone Viennenſi* & *Hugone de Paraldis* A. 1314 Pariſiis combuſto. Excidio huic Templariorum Clementem Papam & Philippum Regem non diu ſupervixiſſe, ſed a quodam ex iſto Ordine Burdigalæ, cum in conſpectu Pontificis & Regis cremaretur, ante tribunal Dei citatos, ut intra annum ambo compareant, eodem anno vitam utrosque finiiſſe, ex Fulgoſo annotat.

Dum hanc de Templariis hiſtoriam contexuit Autor, varia quæ ad eos quidem non ſpectant, ob affinitatem tamen argumenti locum obtinent & grata Lectori ſe offerunt, adſperſit. Ut de Canonicis regularibus & ſecularibus §. *15. ſqq.* de tribus votis, caſtitatis, paupertatis & obedientiæ, §. *19. ſeqq.* de Patriarcharum etymo & appellatione, §. *30.* de reparata cum templo urbe Hieroſolymorum, & Ælia, §. *35. ſeqq.* de veſtium diſcrimine in Eccleſia receptarum, pallio, colobio, dalmatica, byrro, cucullo, §. *47. ſeqq.* de vario crucis uſu in ſignandis frontibus & veſtibus, aut geſtatione & pro templis ac in viis erectione earum, §. *60. ſeqq.* de diverſorum Ordinum magnis incrementis ex parvis initiis, §. *84.* de liberalitatis erga ſacros ordines cauſis, §. *87. ſqq.* de veſperis Siculis, §. *160.* de nuptiis ſanguinariis Pariſinis, §. *161.*

SEBASTIANI SCHMIDT IN LIBRUM SALOmonis Regis, Hebr. Koheleth, Græce & Latine Eccleſiaſtes dictum, Commentarius.

Argentorati, ſumptibus Joh. Frid. Spoor, 1691. in 4. Plag. 54.

NOtior eſt ſumme reverendi Autoris methodus exegetica, quam ut prolixiori deſcriptione, nedum præconio laudeque noſtra indigeat. Multos enim acutiſſimi Interpretis labores typorum beneficio publici juris factos intueri ac in uſus noſtros convertere nobis licet, recentiſ-

Digitized by Google

recentisſimumque, *epiſtolis* quibusdam *Paulinis* impenſum, memoravimus ſupra *p. 90*, ubi etiam cæteros a nobis recenſitos non difficulter reperire jeſt. Utut vero præſens opus, ſi editionem ſpectes, *recentisſimi* potius titulum ſibi vindicet, ejus tamen fundamenta jam olim ſunt jacta in collegio ſtudioſorum juvenum Argentoratenſium ſeptem abhinc luſtris, cum, qui nunc *Senior* eſt, paulo ante inter inclutæ illius Academiæ *Profeſſores Theologos* receptus eſſet. Exhibentur illo, ac quidem uno conſpectu, ſingulorum capitum Salomonæorum primo *textus* originalis Hebræus, *verſio* dein nova Latina literalis ac ſimplex, denique *paraphraſis* elegans ac perſpicua, nec brevitatis leges transgreſſa. Hinc ſubjicitur ſeparatim *analyſis* logica, ſingula membra Eccleſiaſtis nervis ſuis optime cohærere oſtendens. Sequuntur *annotationes* fuſiores, quibus rationes verſionis & connexionis analyticæ dilucide redduntur, ſimulque expenditur, adeoque aut approbatur, aut modeſte refellitur, quicquid e noſtratibus *Martinus Geierus*, ex Reformatis *Joannes Mercerus*, (quibus meliores ante *Schmidium* in Eccleſiaſten commentatores non habuimus,) in difficilem hunc Salomonis librum diſſeruere. E *Pontificiis* nemo in partes vocatur, quod omnes non ad Hebraicam veritatem, ſed verſionem vulgatam commentarios ſuos adornent, hæc autem abs illa quam maxime in *Koheleth* noſtro recedat. Tandem adjici videas *Locos communes*. Unoquoque capite ita pertractato, toti volumini adnectuntur tres *indices*, unus *vocum Hebræarum*, alter *locorum Scripturæ*, tertius *rerum & verborum*.

Cum autem ſub initium relationis hujus monuerimus, non eſſe, cur ſpeciminis loco, ut alias circa Autoris hujus optimi opera a nobis factitatum eſt, multa excerpamus nove dicta, nolumus prolixioribus excerptis nunc Lectorem morari. Indicabimus tantum loca, *Cap. IV. verſ. 8.—16 C. V. verſ. 7. 8.* & *C. VII. verſ. 29.* (ut quamplurima alia taceamus,) quibus a trita via multum recedit. Priorem enim locum totum ac tantummodo de *conjugio* & *cœlibatu*, non de aliis ſocietatibus, explicat, per חוט המשולש *funiculum triplicatum* maritum, uxorem & ſobolem intelligens; alterum de *peccato originis* ſub allegoria *fœminæ peccatricis* repræſentato accipiendum aſſerit. Quoad tertium, in verbis: כי גבוה מעל גבוה שומר וגבוהים עליהם *Nam eſt altus ſupra altum obſervator; & Alti ſupra ipſos*, per *obſervato-*

rem Angelos, per *Altos ſupra ipſos* Perſonas SS. Trinitatis indigitari cenſet; Deumque ipſum יתרון ארץ *excellentiam terræ* vocari contendit. Sed deſinimus plura. Quin enim harum rerum cupidi ipſummet opus jam diligenti manu verſent, nobis non eſt dubium. Id unum dicamus: In connexione verborum ſacri textus monſtranda aliquid eximium ac paucis imitabile Schmidium præſtitiſſe, diffitebitur nemo, niſi qui librum aut non viderit, aut pervolvere attentius pigratus ſit.

L' INCREDULO SENZA SCUSA:
id eſt,
Incredulus inexcuſabilis. Opus Pauli Segnerii Soc. J.

Bononiæ, apud Jul. Borzaghi, 1690, in 4. Plag. 41.

IN hoc libro in *duas* Partes diſtributo, id agendum in ſe ſuſcipit Au-
pag. 1. ctor, ut, cum per 25 annos Miſſionarii partibus functus probe obſervaſſet, quam perniciosum ex peregrinatione venenum plurimi inter exteros hæreſi infectos verſati in patriam ſecum referre ſoleant, dum Vaticani oraculis non contenti clariores circa Fidem probationes flagitent, de miraculis, quæ alii clauſis oculis revereantur, dubitare, & tantum non ſubſannare eadem audeant, & nec pro Hæreticis, nec pro Catholicis, ſed ipſius Atheiſmi Candidatis habendi, apud ſuos venefici fiant, antea veneno infecti, his talibus viam monſtret, *infallibilem fidei Catholicæ* veritatem, cujus Deus ipſe autor extiterit, & cui citra ullam probandi neceſſitatem credere teneamur, inveniendi.

9. Parte I contra *Atheos* pugnat, eosque *intellectu* faſtuoſo & *voluntate* corrupta laborantes, & qui, cum ex operationibus convincantur, eſſe animam, quæ illas producat, ex creaturarum tamen operationibus, ut Deum credant, adduci ſe non patiantur, ad *Autoritatis*
10. & *Rationis* tribunalia evocat. In *priori* omnium Nationum, ingenio & moribus alias mire inter ſe diſſentientium, unanimem circa Dei
14. exiſtentiam conſenſum ipſis opponit. In *poſteriori* de cauſa *prima*, ad quam ab effectibus gradatim tandem deveniendum ibique ſubſiſten-
16. 24. dum ſit, ratiocinatur. *Mundum* ait corruptioni obnoxium a ſe ipſo non eſſe, nec *caſu* ex atomis æternis productum, aut produci potuiſſe; alias
26. 30. tot fore Deos, quot atomos. Sic ex *Naturæ* etiam conſtantia & effectibus

ſatis

Digitized by Google

ſatis manifeſtari, quod *caſu* ea non operetur; ejus nomine vero abuti, qui in Dei locum eam ſubſtituunt. Contra *Cœlum*, vaſtitate, motu & influxibus ſuis, de potentia, ſapientia, & bonitate Creatoris ſui teſtari. 34.
Terram, quæ omnium rerum *matris* vices, ut cœlum *Patris*, ſuſtineat, 36.
ad cognitionem divinitatis nos deducere. Teſtari de Deo omnis generis 42.
Animalia quoad mirabilem tam individuorum quam ſpecierum formatioñe & conſervationem, & ſtupendã interiorum, quæ in minutisſimis 46.
inſectis occurrunt, partium ſtructuram, docilitatem item illorũ & variarum artium peritiã. *Hominem*, quem *Macrocoſmum* in *Microcoſmo* haud 59.
inepte dixeris, ſui ipſius contemplatione, ſi modo velit, ad cognitionem Dei pervenire poſſe; artificioſam enim ejus compagem ita ſe habere, ut Anatomices peritus Atheus eſſe non poſſit, ſi *manuum* ſaltem & *vultus* compoſitionem accurate diſpiciat. Hinc ſub conceptu *Entis* 69.
ſumme perfecti divinitatis demonſtratio ſiſtitur. Oſtenditur ſimpli- 73.
ciſſima Dei in tot diverſis attributis ſuis *unitas*; expoſita ſimul & Deorum, ſi plures eſſent, & hominum maxima infelicitate & miſeria.
Providentiam divinam negantes rationibus a conſcientiæ poſt viola- 78.
ta ſummi Legiſlatoris præcepta morſibus, ſapientia, omniſcientia, bonitate & dignitate Dei petitis confutantur; iisque, tot peccatorum per- 84.
miſſionem, præmiorum item & pœnarum inæqualitatem in contrarium afferentibus, reſpondetur. *Aſtrologiæ genethliacæ* & *judiciariæ* vanitas, 97.
cum æque ac Atheiſmus in Providentiam divinam injuria ſit, prolixe diducitur. *Immortalitate* denique *animæ* argumentis phyſicis & moralibus adſtructa, & oppoſitionibus, quæ contra eam proferri poſſunt, vali- 120.
de enervatis, ex ante dictis ejusmodi catenam nectit Autor: Si eſt 145.
Deus, eſt etiam Providentia; ſi Providentia, anima eſt immortalis; ſi anima eſt immortalis, Religione quadam & quidem vera, quam anima profiteatur, opus eſt. *Religionis veræ* neceſſitatem exinde eruit, quod Deus, uti primum omnium rerum principium, ita & ultimus finis eſſe, & pro autore rerum peculiari cultu agnoſci debeat. Politicæ inventum Religionem a quibusdam fruſtra perhiberi, cum in ejus poteſtate non ſit ad credendum quid proponere, quod demonſtrare non poteſt. Veram autem Religionem non eſſe, niſi ab ipſo Deo revelatam.

In *Parte* II veram Religionem illam non eſſe aliam, quam *Romano-Catholicam*, contra *Paganos*, *Muhammedanos*, *Judæos*, & quos

Digitized by Google

putat *Hæreticos*, comparatione inſtituta, probandum Autor aggredi-
pag. 149. tur. Et initio quidem docet, *ſummopere convenire, ut per viam Fidei nos ducat Deus*, tum reſpectu *ſui*, ut intellectum & voluntatem ipſi ſubjiciamus, cum in ejus honorem cedat, ut ipſius ſtetur dictis: tum *noſtri*, cum per fidem vera inter Deum & nos ſtabiliatur amicitia, eaque fundamentum ſit amoris divini in terra, haud ſecus ac viſio beatifica in cœlo: tum *rerum credendarum*; fidem enim non exerere aliquam violentiam in rationem, ſed hanc magis perficere, tranſcendereq; &
153. peſſundare ſuperbientem. Ad hanc fidem addiſcendam *ſchola* opus eſſe; & hanc eſſe *Eccleſiam*, quæ *Magiſtrum* habeat Deum, *Diſcipulos* vero ipſos Fideles: decere etiam, ut ſit *antiquisſima*, *infallibilisſima*, & *apertisſima*. *Antiquitatem* ab Adamo ſtatim acceſſit, & rejecta trium Religionum *Naturæ*, *Moſis* & *Evangelii* diſtinctione, unam eandemque eſſe ait, quæ vero ſucceſſu temporis clariorem ſubinde lucem diffuderit. *Infallibilitatem* veritati Magiſtri in Scripturam
155. ſacram relatæ ſuperſtruit. Hanc nunquam fuiſſe adulteratam, nec adulterari potuiſſe; nec Deum, qui minimam creaturarum ſpeciem perire non ſinat, ut talis Libri, in quo voluntatem ſuam nobis dictaverit, interiret veritas, unquam paſſurum. Et niſi *aperta* foret hæc ſchola & omnibus *viſibilis*, inferiorem fore Synagoga Judaica, quæ tamen deſtructa ſit, & Regnum Chriſti non niſi terram incognitam. *Signa*,
159. quibus Religio vera a falſa diſcernatur, ad tria attributa divina, *Potentiam*, *Sapientiam*, & *Bonitatem*, reducuntur. *Illam* relucere in Miraculis & fortitudine Martyrum; *Iſtam* in doctrina cœleſti nobis expoſita; *Hanc* denique in virtutibus, quas ſequaces ejus profiteantur. Miraculorum *necesſitate* & *ſufficientia* demonſtrata, omnes, cujuscunque generis ſint, Religiones provocat, an cum Eccleſia Romana paria
164. facere poſſint. Nullis gloriari poſſe *Anabaptiſtas*, *Lutheranos*, & *Calviniſtas*. Et Anabaptiſtam quidem in Polonia, cum viſibilem Spiritus S. baptiſmum ejus confirmaturi deſcenſum promitteret, a dæmone in aqua illa baptiſmali ſubmerſum fuiſſe: *Lutherum*, Staphylo teſte αὐτόπτῃ, cum energumenam quandam adjurare auderet, a Spiritu maligno tam male exceptum, ut fuga vitæ ſuæ conſulere opus habuerit: *Calvinum* ad virum, ex compoſito ſimulate mortuum, reſuſcitandum dum accederet, illum vere mortuum inveniſſe. Hinc veritas *miraculorum Chriſti* contra Judæos, defectum alterius cujusdam hiſtorici, præter

Digitized by Google

ter Chriſtianos, artem magicam, diaboli concurſum opponentes, aſſe-
ritur; contra Hæreticos vero docetur, miracula ad demonſtrandam
Eccleſiæ veritatem *ſufficere*, & *neceſſaria* adhuc eſſe. *Illud* quidem; pag. 170.
alias Chriſtum Judæos *Joh. 15, 22.* inexcuſabiles dicere non potuiſſe,
quod doctrinam tot miraculis confirmatam recipere noluerint: *hoc* 174.
vero, ob converſionem novarum gentium, item ad Eccleſiam veram
a Sectis diſtinguendam, & ut Dei circa negotia hominum providen-
tia oſtendatur, &c. Quemadmodum vero Eccleſiæ jam ſatis radicatæ
& in poſſeſſione conſtitutæ crebriora miracula æque ac plantandæ non
ſint neceſſaria, & intra 170. annos, poſtquam Lutherus prodiit, vel uni-
cum miraculum ad probandam illam ſponſam Chriſti ſufficiat, veluti vel
unus annulus ſponſam Regiam ſatis declarare queat, licet non omnes di-
giti gemmis ſuperbiant: ita Lutherum, Calvinum, & Carolſtadium, ut 176.
veritatem doctrinæ ſuæ omnibus Patribus, omniũ Pontificum decretis, &
autoritati Catholicæ Eccleſiæ contrariantis comprobarent, miraculis
maxime opus habuiſſe. Diluuntur hinc duæ *Objectiones:* 1. Catholi-
cos in admittendis miraculis eſſe nimis faciles. Reſp. negando hoc
aſſeri poſſe de miraculis a Congregatione illis examinandis præpoſita
approbatis, cum Romæ tot rigoroſæ occurrant difficultates, donec
vel unum ſaltem prodigium ratum habeatur. II. Miracula eſſe falſa
vel fidei dubiæ. Reſp. provocando ad Scriptores miraculorum fide di-
gniſſimos, & inter eos Chryſoſtomum, Hieronymum, tres Gregorios,
Athanaſium, Auguſtinum, ſatis gnaros verum a falſo diſtinguere, quo-
rum fidei in his derogare nequeant Hæretici, cum eos alibi ſibi faven-
tes allegare ſoleant. Quin adhuc ſupereſſe miracula permanentia,
quale ſit coagulatus *Johannis*, nec non *Januarii* ſanguis; *Illius* enim 189.
ſanguinem ſub lectionem hiſtoriæ decollationis, *hujus* ſub appoſitio-
nem capitis, liqueſcere & ebullire: item oſſa *S. Nicolai* in humore in-
corrupto & ſaluberrimo natantia; quos effectus ſympathiis vel oc-
cultis qualitatibus Hæretici fruſtra tribuant. Miraculum vero mira-
culorum eſſe *converſionem mundi* ad Chriſtum a profundiſſima ſuper- 181.
ſtitione & vitioſiſſimis moribus, a debilibus Apoſtolis, Petro in conver-
ſione Romæ præ aliis eminente, peractam, nec non victorioſam *Mar-* 189
tyrum conſtantiam, inter quos, & prætenſos Sectarum martyres, ma-
gna intercedat differentia, ratione tum *numeri*, cum tot Eccleſia Ca- 192
tholica habeat martyres, ut ſingulis anni diebus 30000 memoria recoli
poſſit,

Digitized by Google

poſſit, Sectarii vero vix tot teſtes habeant, quot ſectas; tum *concor-*
diæ, cum teſtes harum itidem non magis concordes eſſe poſſint, quam
earum magiſtri; tum *dignitatis*, ad obtinendam fidem facientis, Se-
ctariis ſimiles iis, quos Catholici ſiſtant, producere non valentibus.
pag. 199. Nec recentiores, qui veritatem Eccleſiæ Romanæ comprobent, deeſſe
martyres, in *Japonia* præſertim, in quibus corona martyrii inſignitis
fœminæ & teneræ ætatis pueri præ aliis admirationem mereantur. Ve-
203. ritatem porro Eccleſiæ Catholicæ corroborari *Propagatione ſectarum*,
quarum *Sapientia*, ſecundum *Jac.* 3, 15. *non ſit deſurſum deſcendens*,
ſed *diabolica* ob ſuperbiam animi in ſuis autoribus; *animalis* in aſſeclis,
conceſſam licentiam avide amplectentibus; *terrena* in patrocinanti-
bus. Principes enim Germaniæ, quibus omnis in pecunia cura ſita
209. ſit, ſpe fiſco addicendi bona eccleſiaſtica, a Luthero ad doctrinam ſuam
ſollicitatos: *Guſtavum* Sueciæ Regem bello exhauſtum ab Olao Secre-
tario ad eandem allectatum: & ex ratione ſtatus Principes ſanguinis in
Gallia faviſſe Hugonotis, ut Guiſios opprimerent; *Belgas*, ut obſequi-
um Regis ſui excuterent; *Eliſabetham* Anglicam, ut regnum ſuum
ſtabiliret, venenum illud admiſiſſe; & demum totam illam propagatio-
210. nem nil niſi naturæ corruptæ opus fuiſſe. Duplicem quoque *Judæo-*
rum miſeriam, cui ab extrema Hieroſolymæ direptione in pœnam com-
217. miſſi Deicidii obnoxii fuerunt, & funeſtum *perſecutorum* fidei exitum
in favorem ejus teſtari. Exemplorum recenſione *a Simone Mago* inchoa-
219. ta, etiam pervenitur ad *Lutherum*, quem nocte hilarem cœnam ſecuta ſei-
pſum ſuffocaſſe, teſtatus juvenis domeſticus ſit: *Bucerum* moribundum a
Spiritu nigro ex lecto abreptũ & ſolo alliſum: *Calvinum* a vermibus fere
conſumptum dæmonia in auxilium vocaſſe, & execratum fuiſſe horam,
221. in qua ſcribere cœpiſſet. *Stabilitatem* quoq; Eccleſiæ Cath.. veritatẽ ejus
indicare, ambulantis ſuper *Aſpide* & *Baſiliſcis*, i. e. *Judæis* & *Hæreticis*,
& conculcantis *Leonem* & *Draconem* i. e. *Imperatores* perſequentes, &
Antichriſtum. Ab origine Eccleſiæ ad Lutherum usque 305 familias
hæreticas una cum libris ſuis extinctas eſſe, quorum nec memoria ſu-
perſtitaret, niſi in libris refutatoriis eadem recurreret. Interim etiam,
dum florerent hæreſes, complures alias nationes acceſſiſſe Eccleſiæ.
228. *Ludovicum Magnum* Galliæ Regem intra paucos menſes Hugonota-
rum exterminaſſe religionem, miſeram ideo dicendam, quæ militibus
non prælantibus, ſed hoſpitantibus ſaltem manus dederit. Quin &
citra

Digitized by Google

citra inſultum deſultores fieri hæreticos. Ita *Brandeburgicos* Luthe-
ri antehac caſtra ſecutos A. 1616 Calvini partibus acceſſiſſe, ſed
A. 1623 Lutherum iterum agnoviſſe. *Lutheranos* intra 50 annos ab pag. 229
anno 1517 ad 1567 in 11 alias Sectas nomine & fide variantes, *Semi-Lu-
theranos* in alias 11, & *Anti-Lutheranos* in 56 ſubdiviſos fuiſſe, qualis
inconſtantia cum fide ſtare non poſſit. *Muhammedanos* conſtantes
dici non poſſe, nullam religionis cauſa moleſtiam expertos. *Judæos*
pertinaces inſtar tropæi vindictæ divinæ duraturos usque ad finem mun-
di, quando Deus ſuperabundanti tandem gratia ſua eos emollire di- 230.
gnabitur. Solam igitur Eccleſiam Catholicã, cum inter tot pereundi pe-
ricula immota perſtiterit, ſine dubio pro vera habendam eſſe. Ve-
ritatem præterea Fidei Chriſtianæ haud leve pondus accipere a *Vati-
ciniis* Prophetarum & Sibyllarum, longis poſt prædictionem intervallis
& præciſe impletis, imprimis ratione Meſſiæ, cujus fruſtranea expe-
ctatio Judæis pluribus argumentis exprobratur. Et ex *Spiritus prophe-
tici* perpetua in Eccleſia Romana *conſervatione* veritatem ejus denuo
eluceſcere; niſi divinam promiſſionem *Joel 2.* mendacii inſimulare ve- 236.
limus. In promtu eſſe prædictiones *Antonii*, *Thaumaturgi*, Abbatis
Johannis, *Benedicti*, *Malachiæ*, *Franciſci*, *Catharinæ Senenſis*, *Catha-
rinæ Raconiſiæ*, ex cujus ore *Picus* Princeps *Mirandulanus* multas ſe prædi-
ctiones audiviſſe fateatur; *Brigittæ*, Græcorum excidium & varias
afflictiones, donec Romanæ Eccleſiæ ſe ſubmittant, & *Hildegardis*
ruinas erroribus Lutheri Germaniæ illatas præſagientis. Nec noſtra
tempora carere vaticiniis de Imperii Romani incremento, & intertri-
mento Ottomannici. Sic *Martinum* quendam *Stridonium*, cujus Vita 239.
A. 1673, 24 poſt exceſſum ejus anno, Pragæ edita fuerit, de *Turcici Im-
perii* excidio clare & cum exaltatione Spiritus locutum eſſe, brevi, ut
verba habent, inchoandam ruinam ipſius; ideoque Societatem eo nomi-
ne hortatũ ad Græcæ Linguæ ſtudiũ, quod eſſent Conſtantinopoli Chri-
ſtianam doctrinam aliquando explicaturi &c. Novatoribus vero tam 241.
nobile privilegium neque *de facto*, neque *de ratione* competere poſſe.
Non de facto; Muhammedem enim corporis ſui poſt mortẽ ſtatim in cœ-
lum aſſumtionem, & perpetuam ſuorum victoriam vaticinatum: Luthe-
rum rebellibus ruſticis itidem victoriam adverſus Nobiles prædixiſſe;
item Wittebergæ ſe obiturum; A. 1583 univerſale judicium venturum,
unde & multi ſementem eo anno facere neglexerint. Sed utrumque

Ccc fefel-

Digitized by Google

feſelliſſe, nec Epitaphio Lutheri, quod ipſe ſibi fecerit; *Peſtis eram vivus, moriens ero mors tua Papa*, eventum hactenus reſpondiſſe. *Nec de ratione*; lumen enim propheticum, ubi affectus & libido, ceu in Luthero & Muhammede, prædominentur, locum habere
pap. 242. non poſſe. *Uniformitas* porro in *docendo* & *credendo*, a primo usque ad præſens ſeculum ſemper & ubique ſervata, & ab omnibus perſonarum generibus recepta, ampliſſimi teſtimonii vicem
249. ſuſtinet apud Autorem noſtrum, qui contra a *novitate Sectarum* ad
252. falſitatem earundem argumentatur. Eandem falſitatem planam face-
254. re putat *Contradictiones*, nulli Autori, quam Luthero, magis familiares.
258. Variationis cauſis in *ſeductionem* Spiritus ſuperbiæ, & *defectum* certi *Arbitri* rejectis, cum Magiſtratui Politico definitio dogmatum etiam legibus publicis, uti in Hollandia, Anglia, Genevæ aſſeratur, & cuilibet
262. Scripturam pro ſuo arbitrio explicare liceat: a *Sanctitate* dogmatum, præceptorum, morumque, & mediis ſanctitatis, argumentum veræ Eccleſiæ Romanæ petit; 1. contra Judæos & Muhammedanos omnipotentiæ, ſapientiæ & bonitati divinæ in Thalmude & Alcorano ſuo detrahentes. 2. contra Novatores in Atheiſmum paulatim dilabentes. Ita in libro quodam *de arte nihil credendi*, cujus Autor etiam vivicomburio punitus fuerit, diſerte dici, *oportere Calviniſtam fieri, qui*
366. *Atheus eſſe velit*; & *Calvini* doctrinam de Deo autore peccati ex magna parte *Luthero* fuiſſe communem; qui etiam Turcarum pietatem Chri-
269. ſtianorũ, Apoſtolorũ & ipſius Chriſti pietati, in approbatione ſua libro ignoti Autoris de *moribus Turcarum* præmiſſa antetulerit; polygamiam, divortium ex levibus cauſis, matrimonium inter conſobrinos indifferenter, & cum nepte permiſerit; & perinde eſſe docuerit, ſi quis parentem alat vel feriat, divinam majeſtatem laudet vel blaſphemet. Contra Eccleſiam Romanam omni tempore, uti veram fidem, ita &
279. morum ſanctitatem integram conſervaſſe. Et licet a Novatoribus varia crimina, frigidi imprimis cultus divini a ſe obſervata indicia, & liberior converſatio Catholicis objiciantur, ea tamen de omnibus affirmari non poſſe. Veluti autem athletæ ob robuſtam naturam gravius
280. ægrotent, quam alii: ita & gravitatem criminum apud Catholicos Religionis excellentiam indicare, & populorum inſuper genium in cauſa eſſe, ut quidam præ aliis pluribus contaminentur vitiis; quæ tamen ab Eccleſia graviter taxari & improbari, ſatis notum ſit. Contra ſi in-

ter

Digitized by Google

ter Turcas & Lutheranos honeſtius quis vivat, id non doctrinæ, ſed veræ majorum religionis tribuendum eſſe reliquiis. Lutheranos tamen rigidiores cum Calvinianis comparatos crepuſculum, hos vero obſcurã referre noctem; ad alterutros vero a Catholicis digreſſos diſſolutiores factos eſſe, meliores induentibus mores, qui ab illis ad hos tranſierint. *Mediis* autem ad ſanctificandum idoneis Eccleſiã Romanã unice inſtructam eſſe; *internis* quidem, Lege ſcil. Evangelica, & *externis*, qualia ſunt pag. 284.
feſta, concentus, templorum ſplendor, ſupplicationes publicæ, jejunia, conciones, miſſiones, orationes, imprimis Sacramenta *Pœnitentiæ* & *Eucharistiæ*. Ex Sacramento Pœnitentiæ amplitudinem jurisdictionis ad cogitationes usque ſe extendentis ſatis ſe prodere; eamque efficaciſſimum adverſus vitiorum exorbitantiam remedium eſſe. Unde etiam Civitas *Noribergenſis* confeſſionis auricularis, Lutheri auſpicio
abrogatæ, reductionem a Carolo V. per Legatos petierit, quia confeſ- 286.
ſionis omiſſionem enormes civium exceſſus inſecuti fuerint. Inde etiam fieri, quod Hæretici in Germania libentius catholico utantur famulitio, meliora ab hoc, quam a ſuis ſibi pollicentes ſervitia. In
partes quoque vocatur *Charitas* in *condonatione*, & *expoſitione vitæ* 289.
pro ſalute proximi conſpicua. *Prius* nobilioris dignitatis viri in primaria quadam Italiæ urbe exemplo illuſtratur, qui aſſaſſinio lethali petitus, non ſolum gratiam delicti ex animo fecerit, ſed & omnibus Sicarii filiabus dotem in tabulis ſuis reliquerit. Simile quid nec apud Judæos nec apud Turcas vindictæ cupidiſſimos obtinere, quin apud hos moris eſſe, ut media nocte crapulantium fores clava quis pulſans exclamare ſoleat: *ſurgite ad comedendum & bibendum*, & *gignendos liberos contra Christianos*. Ipſum Lutherum ruſticos & nobiles contra ſe mutuo concitaſſe, & internecione 150000 ab utraque parte cæſorum exultaſſe. *Bezam* vero dixiſſe, *nil niſi ſclopos & gladios in Gallia plantandum eſſe*. *Poſterius* itidem eorum exemplis confirmatur, qui omnibus ſeculis zelo infidelium convertendorum accenſi, vitæ ſuæ
prodigi fuerint. Fuiſſe ex Societate ſua, qui in naufragio tabulam 291.
arreptam Judæo ceſſerit, profeſſionem Chriſtianiſmi, ſi ſervaretur, ab ipſo promiſſi poſtea memore prius ſtipulatus. Minime vero ſimile quid legi de *Batavis*, toties in Gentilium ditiones navigantibus, de converſione vero eorum nihil ſollicitis. In Inſulis contra *Marianis*, quas illi, cum nec aromata nec argentum ibi reperirent, deſeruerint, Miſſiona-

 riorum

riorum nuper opera 13000 idololatras baptizatos, 20000 catechumenis ſimilem gratiam expectantibus. Quæ cum ita ſe habeant, exinde concluditur, *extra Eccleſiam Romanam non eſſe ſalutem*, impugnatis illis, qui omnes Religiones ad ſalutem obtinendam ſtatuant habiles; quæ aſſertio, quod recta non poteſt, furtiva via Atheiſmum introducat. Deinde, cum beatitudo aut per *gratiam* aut per *retributionem* a Deo expectanda ſit, Sectas neutro modo eam ſperare poſſe, quia Deus coronam quietis æternæ absque prævio labore non largiatur, nec illæ actionibus ſuis ex vera fide non provenientibus eandem mereantur, ſed potius condemnationem, ceu læſæ Majeſtatis divinæ reæ, legem Catholicam a Deo datam & tot miraculis confirmatam recipere nolentes. Quantum vero roboris argumenta Autoris adverſus Hæreticos, quos vocat & acerbe ſatis inſectatur, in receſſu habeant, eorum, ad quos ſpectat, judicio relinquimus. Ex floſculis interim iſtis, quos excerpſimus, ſatis colligi poteſt, quantum fidei in factorum hiſtoria tribuendum ſit illi, qui cætera minime indoctus tot putidas calumnias ineptasque fabulas, a noſtratibus multoties refutatas & ab ipſis cordatioribus Pontificiis dudum exploſas, in lucem denuo protrahere non erubuit. Quibus tamen qui delectantur, iisque putant veritatem Religionis, quam profitemur, everti poſſe, illis illuſtriſſimi *Seckendorffii* noſtri Hiſtoriam Lutheraniſmi ſupra jam indigitatam, diligenter legendam, & ſepoſitis paulisper præjudiciis expendendam merito commendamus.

pag. 294.

ABORTUS BICORPOREUS MONOCEPS Romæ A. 1691. editus, in Academia Phyſico-mathematica examinatus a Franciſco de Honuphriis M. D.


Romæ, typis Rev. Cameræ Apoſtolicæ, 1691, in 4. Plag. 2.

QUanquam alias monſtris non delectemur adeo, non potuimus tamen, quin mentionem faceremus illius, quod circa initium Martii præſente anno natum abortuque ſeptimeſtri excluſum Romæ fuit, & in Academia Phyſico-Mathematica, quæ in illuſtriſſimi Ciampini ædibus a multis annis celebratur, examinatũ. Tabula quidem hic adjecta ſatis docet, quæ hujus monſtri conformatio fuerit externa, & quomodo in occipite alterum par aurium imperfectarum erroneam habuerit ſedem: qua ratione pectora coaluerint, reliquis corporibus infra umbilicum perfecte diſtinctis &c. Internarum autem partium ſtructuram, ab Eximio Chirurgiæ Profeſſore Hippolito Magnano obſervatam relatamque

TAB. IX.

Digitized by Google

TAB. IX. *ad A. 1691. pag. 388.*



Digitized by Google

Digitized by Google

quę magis miramur. Unicum namque cerebrum, cerebella vero duo, ab interjecto quodam ſepto cartilagineo, duplicique dura matre diviſa, intra cranium viſa ſunt. In pectore cor quoque unicum, & pulmo ſaltem binis conflatus lobis, nihilominus bifida e corde aorta, quatuor ſtatim carotides præbens, apparuerunt: reliqua in utroque abdomine contenta viſcera, ventriculus, epar, lien, pancreas, renes cum veſica uteroque debite conformata.

Hac præmiſſa delineatione Anatomica, non dubitat Autor ulterius inquirere in cauſas modumque illius pravæ conformationis. Potiſſimum adverſus opinionem recentiorum, qui teſtes muliebres pro ovario habent, adeoque hominem ex ovo naſci arbitrantur, ſatis acriter pugnat, eam præcipue ob cauſam, quod, cum in ovulis, ut vocat, imaginariis, & quidem ſingulis, delineatio fiat perfecta totius hominis, non poſſit duplex ex eadem cicatricula formari corpus, quale præſentis monſtri fuit. Multo minus exiſtimat poſſibile, bina concurrentia ovula ita coaluiſſe, ut caput atque cor appareret unicum, cum cerebella & vaſa ſanguifera & reliqua viſcera abdominis duplicia deprehenſa eſſent. Quapropter neglecta modernorum hypotheſi, cauſam quærit in materia ſeminali ejusque virtute plaſtica hoc pacto: Vulgatiſſima, inquit, experientia ſatis innotuit, ſales diverſi generis commixtos & aquoſo menſtruo diſſolutos, ſenſim ſe præcipitando, ſejungi ac ſeparari, & juxta eorum ſimilitudinem figuramque invicem uniri ac in criſtallos coagulari. Non abſimili modo extricari putat ſeminis moleculas ſalino-volatiles magisque ſpirituoſas, adeo ut aliæ ad cerebrum, aliæ ad cor, aliæ ad oſſa efformanda ſe explicent incumbantque. Sic illæ particulæ, quæ ad cor delineandum fuere hoc in caſu aptæ, ubi duo alias effinxiſſent corda, uteri compreſſione vel fortaſſe matris imaginatione diverſimode agitatæ, per earundem analogiã invicem conjunctæ & colligatæ, unicum cor fabricarunt cerebrumque.

Ceterum dum in monſtrum hoc incidimus, in memoriam nobis revocatur ſimile fere aliud, in Diario Eruditorum Parmenſi A. 1690, no. 9. pag. 218 deſcriptum ac depictum, felis nempe bicorporeus monoceps, qui duo exhibet corpora infra umbilicum ex omni parte perfecta, ſupra umbilicum autem adeo connexa, ut in unum collum & caput, idque roſtratum, quale avium eſt, deſinant. Quod monſtrum felinum cum humano hoc noſtro conferri ab iis meretur, qui hiſtoriæ monſtrorum ſtudio ducuntur.

FRIDE-

FRIDERICI SPANHEMII F. DE PAPA FOEmina inter Leonem IV. & Benedictum III. Diſquiſitio Hiſtorica.

Lugduni Batav. apud Joh. Verbeſſel, 1691, in 8.

Conſtat plagulis 35.

QUod poſt Leonis IV obitum, ante Benedictum III, ſeculo medio nono, Pontificiam ſedem fraude occuparit fœmina, ſexum mentita virilem, poſtquam id tradiderunt Anaſtaſius, Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacenſis, Radulphus Flaviacenſis, Otho Friſingenſis, Martinus Polonus &c. autores antiqui, a ſequentium temporum ſcriptoribus ferme omnibus affirmatum fuit: traditumque præterea, fœminam iſtam, *Agnetem* antea dictam, Moguntio oriundam, ſub *Johannis Anglici* nomine orbi illudentem, a familiari ſuo fuiſſe impragnatam, & poſtea partus ſui temporis ignaram, cum e Baſilica Vaticana S. Petri in Lateranum tenderet, enixam fuiſſe; ob cujus facti deteſtationem Pontifices hodienum viam iſtam declinent. Primus in dubium vocavit Johannæ vel Agnetis hujus Pontificatum Jo. Aventinus, eumque ſecuti pontificiarum partium ſcriptores omnes, probe intelligentes, quantum autoritati pontificiæ ejusque ſedis dignitati dedecus adſpergeretur, ſi infame ſcortum ea aliquando gaviſum fuiſſe, omnibus purpuratis eluſis, concederetur. Falſi igitur inſimularunt hanc narrationem editis ſcriptis plurimi ſedem pontificiam reverentes autores, quos recenſent & eorum numero accedunt Baronius ac Leo Allatius; in fabulæ etiam argumentum eam convertit e Reformatis David Blondellus vir doctiſſimus, libro breviori anno 1647 Gallice ipſo neſciente edito, & prolixiori Latino poſt fata ejus A. 1657 per Steph. Curcellæum evulgato (cui aſſenſiſſe Dan. Chamierum, Sam. Bochartum & Petr. Molinæum, e Sarravii Epiſt. p. 227. intelligimus,) in quo efficacibus argumentis vulgarem opinionem impugnavit, fabuloſum iſtud commentum ad deſtructionem autoritatis pontificiæ exiguum emolumentum afferre poſſe exiſtimans. Cum vero minus probabile videatur, per tot ſecula tot viros doctos (quorum ſeptem decadas ipſe Blondellus protulit, centum autem triginta & quinque teſtimonia ὁμόψηφα Egbertus Grimmius in commentario de Johanna Papiſſa lingua Belgica A. 1636 edito enumeravit) adeo facili credulitate admiſſuros fuiſſe Pa-

patum

patum hunc fœmineum, abſque accuratiori in re tanti momenti veritatis inveſtigatione; leves illæ in circumſtantiis diſcrepantiæ aut parachroniſmi Blondello obſervati, eruditis & in eccleſiaſtica antiquitate probe verſatis viris perſuadere non potuerunt, ut fidem detraherent rei, in qua narranda cæteroquin tot veteres ſcriptores convenerant. Ac proinde ſtatutum fuiſſe Claudio Salmaſio, objectiones Blondelli diſcutere, & quæ ad adſtruendam rei hujus fidem facerent memoriæ mandare, ipſe Curcellæus in præfat. indicat, & Bœclerus in Comm. de rebus ſæculi IX, p. 119. in Suecia ſibi ab ipſo Salmaſio narratum fuiſſe ſcribit. Sed quam interveniens propoſito huic ſummi Viri mors vacuam reliquit provinciam, exornandam ſuſcepit doctrina & vaſta eruditione ipſo non inferior Frid. Spanhemius celeberrimus in Belgio theologicarum & eccleſiaſticarum rerum Doctor, remque arduam & magnis difficultatibus implicitam (uti controverſiam hanc vocat in Epiſt. Sarravius p. 227.) aggreſſus, utriusque partis momenta accurate libravit, & fidem ætatemque teſtium ac monumentorum exacte expendens, quorundam autoritatem interdum infirmavit, eosque confutavit, qui Johannæ pontificatum in fabulam convertentes expunxiſſe eam e catalogo Paparum, ceu infandum nomen, & damnaſſe æterna oblivione putabantur. Etſi autem multos ſibi eſſe intelligeret adverſarios, quorum præcipuos & reliquis præſtantiores in libri titulo nominat, Onuphrium, Allatium, Labbeum, Launoium, Mabillonum; præ omnibus tamen Blondellum, (utpote argumentorum vi inque eccleſiaſticæ antiquitatis ſolida eruditione reliquis ſuperiorem) ſumſiſſe videtur, cujus argumenta convelleret, & e chronologia Pontificum depromtas rationes deſtrueret. Vero non prorſus abſimile eſſe factum hoc, (quod multis tale viſum eſt) inde oſtendit, quod ſexum mentiendi ratio haud æque difficilis fuerit apud Italos mento raſos, quam alias gentes barbam eo tempore geſtantes; idq; exemplis fœminatũ, quæ religionis ac diſciplinæ ſtudio ita ſexum occultarunt, ut pro viris habitæ, & ad dignitates maribus convenientes, ſacras etiam, admotæ ſint, probat *p. 8. ſeq. 119. ſeq.* Autores hiſtoriæ de fœmina hac, pontificiam ſedem occupante, adverſus negantes eam tuetur, & primo loco Marianum Scotum nec ex errore nec ex malitia comminiſci talia potuiſſe, ſi non vera res fuiſſet, docet *p. 18. ſqq. 46. 345.* codices autem ejus corruptos & inſertam ab alio hanc narrationem fuiſſe negat *p. 22. ſqq.* De Radulpho

Flavia-

Flaviacenſi, num is Mariano antiquior, & ejus de Papiſſa mentione diſſerit *p. 26. ſqq.* aſſeritque haud multis adeo poſt Papiſſam annis eum floruiſſe, ſub primordium ſeculi decimi, ſesquiſeculo circiter ante Marianum, qui undecimo ſeculo medio inter monachos vixerit; quo tempore ſagaciſſimi ſeveriſſimique Pontifices, ſcriptores præterea Papatus acerrimi vindices extitere, non permiſſuri, ut putida fabella confingeretur, infamiæ notam Romanæ ſedi inuſtura, niſi multum ex vero traxiſſet, *p. 45.* Poſt Mariani & Radulphi ævum ſeculo duodecimo Johannam Pontificem proditam a Sigeberto Gemblacenſi; ſeculo tertio decimo a Martino Polono Pœnitentiario Nicolai III. indicat, nec per fraudem illata iis loca eſſe, quæ extare nollent Pontificii, late oſtendit *p. 52. 59. ſqq.* Sed nec Martinum primum id tradidiſſe (quod Mabillonius aſſerit) verum ante illum complures idem narraſſe declarat *p. 69. ſqq.* Teſtes autem rei hujus, qui Martini tempora ſecuti fuerunt, affert multos *p. 74. ſqq.* non tamen omnes, quos petendos ait ex his qui ex profeſſo id egere, citati *p. 81. 82.* Subdit ingenuam confeſſionem Jo. Launoii: ***neminem, vel certe paucos dubitaſſe, quin fœmina Romanam ſedem occuparit.*** Præter hiſtoricos de Papiſſa teſtari ait ſtatuam Johannæ huic inter alia Pontificum ſimulacra Romæ & Senis publice erectam, monumenta item eam indicantia alia, *p. 91.* Quo loco etiam de ſella perforata, & more explorandi in ea ſexum novi electi Pontificis, multa diſſerit *a p. 101. ad p. 124.* & inde colligit, narrationem hanc de Papiſſa accenſeri non poſſe fabulis, quæ in favorem idololatriæ papalis perſuadendæ fuerunt plebi credulæ & ſuperſtitioſæ, quæve commodis inſervirent Cleri & monachorum, quarum multæ in hiſtorias tranſierunt, plurium aſſenſu & fide comprobatæ, recenſitæ *p. 135. ſqq*; cum diſſimillima ſint iſta exempla huic hiſtoriæ, cujus ab iis differentias quatuor *p. 138. 141. 146. 149.* annotat, & quod nihil ea contineat vero minus ſimile, quam portentoſa & incredibilia iſta, quæ a monachis & Jeſuitis credi jubentur, obſervat *p. 152. ſqq.* Id præterea monet, alia omnia, mendaciſſima licet, quæ contigiſſe feruntur, in facto aliquo hiſtorico fundamentum habuiſſe quoddam, nec occaſiones ac origines confingendorum eorum ignorari; (quales affert *p. 1591. ſq.*) at Johannæ pontificatui comminiſcendo, & fingendo in Apoſtolica ſede hujusmodi monſtro, nullam fuiſſe ſeu oblatam ſeu arreptam occaſionem; eam autem, quam pandere quidam ſtuduerunt, frivolam

volam eſſe, nec falſis iſtis conjecturis labefactatam hiſtoriæ hujus veritatem, immo effugiorum vanitate firmatam potius fuiſſe, *p. 165*. Cavillationes inde & abſurdas conjecturas eorum, qui occaſionem fabulæ tradere, ſicque Papiſſæ veritatem inficiari ſtuduerunt, examinat & configit, Aventini *p. 165*, Onuphrii *p. 169*, Baronii, Bellarmini & Mabilloni *p. 175*, Allatii *p. 195*, Sorberii *p. 201*. Palmaria porro tria argumenta negantium hiſtoriæ hujus veritatem aggreditur & ſubruit: primum a ſilentio hoſtium Romanæ Eccleſiæ deſumtum, examinat *p. 207*. oſtendens, Judæos Johannam memoraſſe *p. 208*. nec Græcos omnes ſilentio eam prætermiſiſſe *p. 209*. An Photius patriarcha, ſeculo nono, eam tacuerit, diligenter inquirit *p. 216. ſqq.* ejusque & cæterorum ipſi *συγχρόνων*, Metrophanis Smyrnæi, Styliani Neocæſarienſis, Nicetæ Davidis Paphlagonis, Georgii Cedreni, Johannis Scylitzæ, Jo. Zonaræ, Nicetæ Choniatæ, Georgii Acropolitæ, Nicephori Gregoræ, Michaelis item III. Imp. Conſtantinopolitani, ſilentium (in quo maximum cauſæ ſuæ præſidium collocat Allatius, ac de eo gloriatur, ſibique ob profligatam fabulam alios gratulari gaudet, *p. 212.*) ita accipiendum docet, ut non absque ſuſpicione violentæ ſuppreſſionis aut interpolationis caſtrationisque plurimorum Græcorum Scriptorum a Latinis facta, id contigiſſe exiſtimetur. Plurima ſane e Photii (quem eunuchum fuiſſe negat *p. 214. 215.* inſigni autem animi moderatione ac prudentia polluiſſe, oſtendit *p. 216. ſqq.*) ſcriptis, quæ in Romanam ſedem erroresque & innovationes Latinorum literis conſignaverat; horum fraude interiiſſe, vel alio fato intercidiſſe, aut inacceſſis loculis eſſe recondita, publicæ luci perpetuo invidenda, *p. 222. ſqq. 248. 344.* demonſtrat. Romæ etiam & in monachorum clauſtris paſſim ſcripta Patrum antiquorum inique haberi, & de iis prout rei ipſorum expedit ſtatui, alia aboleri, alia per fraudem ſupponi, ac in MSSis tractandis nihil non permittere ſibi Cenſores, Expurgatores, Præſides ſacræ Inquiſitionis, ab aliis abunde probatum affirmat. Nil igitur dubitandum, non modo e Latinorum multis Chronicis, verum etiam e Græcorũ ſcriptis ab infidis his manibus eraſam fuiſſe Johannam, & vel abolitos vel in tenebris ſepultos eſſe Græcos ejus Pontificatus teſtes, familiari Expurgatoribus arte, Romæ pridem in hos fines conſtitutis. De Barlaamo monacho, cujus ſilentium cauſæ ſuæ multum conferre putat Allatius, diſſerit pluribus *p. 257. ſqq.* & adverſus eos, qui eundem

Digitized by Google

cum Barlaamo Calabro eſſe ſtatuunt, diſputat *p. 264. ſqq.* Alterum argumentum ex ſilentio Anaſtaſii Bibliothecarii, Leoni & Benedicto coævi, petitum, quod non modo de Papa fœmina, quæ Johannes appellata fuerit, is taceat, ſed ea etiam referat a morte Leonis, quæ Johanni cuidam IIX locum prorſus faciant nullum, diluit *p. 270. ſqq.* multa ſtatuens a Launoio (qui ſolum hoc argumentum ad configendam Johannam ſufficere cenſuit) & cæteris ſupponi, quæ vel ambiguæ fidei ſint, vel aperte falſa, *p. 277.* Anaſtaſiosque plures extitiſſe, a ſcriptoribus iſtis confuſos, nec Vitarum Pontificiarum autorem eum videri qui ſub Hadriano II & Johanne IX vixerit, *p. 279.* oſtendit: quicquid etiã Anaſtaſius Bibliothecarius ſcripſerit, paſſum eſſe tot mutationes id quod hodie extat de Vitis Pontificũ opus, a Jeſuitis Moguntinis A. 1602 editũ, ut non unum, ſed ſexcentos in eo laboraſſe, ex infinitis adjectionibus, detractionibus & variatione intelligat, qui Codices conferre velit, *p. 287.* Non ergo dubitandum, ſicubi autoritatem & honorem Pontificiæ ſedis violatum animadverterint, id ab ipſis fuiſſe eraſum: quippe cum in Codice Palatino inter Leonem IV. & Benedictum III. collocatam vitam Johannis fœminæ olim viderit Freherus, peculiari epiſtola id teſtatus; Salmaſius quoque eandem in iſthoc Codice, antequam is Romam aſportaretur, ſibi conſpectam narraverit Sarravio, Bœclero, Riveto & Autori, *p. 292. 294*; in Bibliothecæ Regiæ Pariſinæ Codice Anaſtaſiano etiam diſertis eam verbis legi teſtatus ſit Fabrottus, Sarravius & Blondellus, *p. 295*; Naudæus item codicem ejusmodi habuerit, *p. 299*; neque vero ſit ſimile, (quod tamen arbitrantur iſti) a monachis librariis, pontificio dominatui & honori addictiſſimis, ſub præfectorum oculis interpolatum fuiſſe librum Bibliothecarii Romanæ Eccleſiæ, remque tantæ invidiæ & tam ignominioſam iſti intruſam, *p. 297*; credibile potius ſit, ipſum Anaſtaſium e vitis reliquorum Pontificum infamem Johannam omiſiſſe, cum ſolenne ipſi fuerit, premere ea quæ Romæ inviſa eſſent & cauſæ Paparum adverſarentur, in eorum vero gratiam a vero aliena aſſerere religioni ſibi haud duxerit, quod pluribus ex eo deſumtis teſtimoniis probat *p. 310. ſqq.* vafrum ejus etiam & abjectæ ſervitutis ingenium in cauſa Photiana eluxiſſe *p. 321.* oſtendit. Quæ autem ratio ſuſpicionis in corruptis & depravatis Anaſtaſii codicibus, eandem quoque obtinere in Gulielmo Biblioth. Annalibus Bertinianis, Adone, Hermanno Contracto, Conrado Urſpergenſe, & Monacho-

nachorum monumentis aliis, quorum autores vel ex ſtudio in Pontificiam ſedem ſiluerint, vel ſilere juſſi ſint, expuncta & ejecta ex iis, Expurgatorum artibus, Johanna *p. 323. 344.* obſervat; nec e ſilentio ſcriptorum, qui Mariani Scoti tempora præceſſerunt, recte inferri hiſtoriæ de Johanna vanitatem, demonſtrat *p. 345. 522.* Motam a Sirmondo ex Hincmari epiſtola difficultatem, qua veniſſe ad ſe de obitu Leonis Papæ nuncium memorat, cum Miſſi a ſe in itinere eſſent, qui cum Romam perveniſſent, Benedictum Papam electum invenerint, *p. 362. ſqq.* ita diluit, ut hiulcam eſſe eam epiſtolam doceat, & ſtudio quædam reſecta, ut Benedictus Leoni immediate ſuffectus crederetur; immo locum eſſe ſuſpicioni, quod ad Johannam, non Benedictum ſpectarit ea epiſtola, quam ab Hincmaro miſſi Romam ferebant, & pro ea nomen Benedicti ſuppoſitum fuerit, *p. 370.* adde *p. 488.* Benedicti III. diploma in favorem monachorum Corbeienſium ſcriptum, quod præcipue Labbeus urget, variare in omnibus editis, & confictam eſſe epocham Johannæ expungendæ; nec inuſitatum falſariis iſtis, clauſulas pro lubitu privilegiis bulliſque papalibus adſcribere, in favorem ſuorum vel ordinum vel cœnobiorum, alias item refingere & interpolare, *p. 381. & ſqq.* probat. Tertium argumentum, quo ex ratione temporum & chronologico calculo annorum, menſium, dierum, quibus ſinguli ante & poſt Johannam Pontifices ſederint, collatis Lotharii & filiorum annis, Onuphrius, Allatius, Blondellus, Launoius, & Labbeus, falſi arguere conantur Marianum Scotum, Martinum Polonum, & cæteros qui biennium & amplius Johanni IIX fœminæ attribuunt poſt exceſſum Leonis IV, ante electionem Benedicti III, refellit *p. 407. ſqq.* & chronologiam papalem incertam, fallacem, ac lubricam eſſe, tum ex ipſis pontificiis ſcriptoribus *p. 414.* tum duabus tabellis demonſtrat, quarum prima *p. 421. ſqq.* inſignes diſcrepantias exhibet chronologiæ pontificiæ, inde usque a Petro ductæ, multum variantis non ſolum in numero & ſerie Paparum, ſed & in ætate eorum ſeu tempore per quod ſederint denotando, quod exemplis priorum ſex poſt Petrum Epiſcoporum Romanorum *p. 426. ſqq.* manifeſtum reddit, nec aliud quidquam in re chronologica magis perplexum exiſtimat, & nutans, & inſtabile, ac perpetuo ſecum conflictu præbens jucundius attendentibus ſpectaculum, quam ſit illa chronologiæ papalis digeſtio; ſeu initium Pontificatus ſingulorum attendatur, ſeu duratio

 ſedis,

Digitized by Google

ſedis, ſeu vacatio ejusdem, vel interpontificium, ſeu combinatio cum annis Æræ Chriſtianæ, aut Conſulum, aut Imperatorum, aut cum Indictionibus, & qui alii ſunt characteres in collatione temporum *p. 434.* Altera tabella Paparum, præcipue noni ſeculi, & temporis illis attributi, ſeriem ac rationem diſcordibus plane calculis atque ſententiis conſtare oſtendit, unde manifeſtum redditur, qua demonſtrationis chronologicæ evidentia negetur, poſt mortem Leonis locum fuiſſe Johannæ ſive VII. ſive VIII; affirmetur vero Benedictum III. paucis poſt diebus, certe eodem menſe Julio, electum fuiſſe, poſtquam obierat Leo, *p. 436.* Igitur Hadriani I, Stephani V, Eugenii II, Valentini, Gregorii IV, Sergii II, & Leonis IV tempora & initia ac fines pontificatuum examinantur, & ut ſcriptores in iis definiendis diſcordent exponitur; quam adverſis item inter ſe frontibus iidem committantur, aut ſententiis diſtrahantur, circa tempus interpontificii Leonis IV, & ut plerique properent in Benedicto ſurrogando Leoni, ridicule etiam Anaſtaſium in partes vocent, (cujus vetuſtiſſimi codices tamen vitam Benedicti non recenſeant, ſed in Leone IV deſinant, ut *p. 282. 300. 460.* e Cod. Thuaneo fuit oſtenſum) id unice agentes, ne inter Leonis exceſſum & Benedicti conſecrationem ullum omnino Johannæ tempus, ne menſem quidem aut diem, relinquant, fuſe traditur. Diſſenſum eorum, qui Papiſſam admittunt, aliis ad annum 854, aliis ad 855 exordium ejus ſedis referentibus, in menſibus etiam & diebus variantibus, in argumentum ficti pontificatus verti poſſe, negatur *p. 467. 84.* niſi pariter inde a Petro usque omnes Papæ expungendi ſint, quorum exacta temporum notitia admodum incerta. Papale autem bellum iſtud, ut in Pontificibus determinandis qui Johannam præceſſerunt, & interpontificiis deſignandis, præſertim iſto a morte Leonis IV; ita quoque in adſignandis annis & definienda ſede Benedicti III, Nicolai I, Hadriani II, manifeſtum redditur *p. 468. ſqq.* Geſta ſub Johannæ pontificatu quod attinet, quorum notitia nos deſtitui indeque eam non extitiſſe contendunt, cum Leonis & Benedicti actis confuſa fuiſſe putat *p. 481.* ac falſo quidem adſcripta quædã Johannæ, quæ referenda erant ad Leonem anteceſſorem, v. g. conventus Ticinenſis, iter Romanum Æthelvvulphi Anglo-Saxonum regis cum filio Ælfredo *p. 483. ſqq.* ad Benedictum vero relata, quæ ſpectant tempora Johannæ, ad obſcurandam eam & infamiam ſedis pontificiæ abſtergendam, *p. 488,* docet. Ex his pruden-

Digitized by Google

prudenti & præjudiciis vacuo Lectori conſtare poſſe, falſos Onuphrii, Allatii, Blondelli & Labbei calculos, vanosque παπισσομαςίγων triumphos eſſe concludit.

HISTOIRE DES PERRUQUES, OU L' ON fait voir leur origine, leur uſage, leur forme, l' abus & l' irregularité de celles des Eccleſiaſtiques, par M. Jean Baptiſte Thiers, Docteur en Theologie, Curé de Champrond.

hoc eſt,

Hiſtoria comarum adſcititiarum, in qua de ipſarum origine, uſu, forma, abuſuque & indecentia illarum, quibus Eccleſiaſtici utuntur, agitur, auctore Joanne Baptiſta Thiers, Doctore Theologo & Parocho Campi-rotundi in Pertico.

Pariſiis, ſumptibus Auctoris, 1690. in 12. Conſtat Alphabeto.

CUm obſervaſſet, ut in Præfatione operis ipſe fatetur, Auctor, Eccleſiaſticorum comas adſcititias geſtantium tantum his temporibus invaluiſſe numerum, ut perſuaſiſſimi videri poſſint, ornamentum hocce nequaquam Ordini ſuo interdictum eſſe, nec aliquid habere in ſe, quod vitæ genus, cui addicti ſunt, quodque profitentur, minus addeceat; ad iſtum errorem ex animis ipſorum eximendum opus iſtud aggreſſus eſt. Quapropter in Clericorum tantummodo gratiam hunc ſe ait invulgare laborem; quamvis ut ad ſeculi genium ſe propius accommodaret, titulum paulo generaliorem libro præfixerit.

Ab initio igitur in capillorum adſcititiorum ætatem inquirit, quam antiquiſſimam ſane, eosque fœminis æque ac viris uſitatos fuiſſe contendit; quamvis *Rangoni* aſſentiri nolit, fœminas prius iisdem aſſueviſſe exiſtimanti, quas pravo demum exemplo imitati fuerint viri. Cæterum primos omnium *Japyges*, Apuliæ nunc populos fuiſſe, qui aſſeverante apud Athenæum *Clearcho*, omnis generis luxu diffluentes, *primi faciem attriverint, capitique galericulum & fictitiam comam ad-* cap. I.

Digitized by Google

aptaverint. Non minus apud *Judæos* comas hujusmodi in uſu fuiſſe, ex Eſ. III, 17. ut verba tamen a Theologis Lovanienſibus Gallice reddita ſunt, colligere ſatagit. Sed aptioribus rationibus *Perſas, Medos, Lycios* iisdem uſos eſſe deducit, & *Romanos* maxime pelles quoque ſibi paraviſſe docet appoſitis crinibus humanis, ſic ut aptatæ capiti, cutis vera, non coma adſcititia viderentur; comas vero ipſas vel captivorum capitibus ſuccisas, vel aliunde coemptas fuiſſe, quam in rem diverſa ex *Ovidio*, *Propertio*, *Petronio*, *Juvenale*, *Martiale* aliisque *Auctoribus* priſcis loca affert in medium, eumque uſum diu conſtitiſſe, & usque ad noſtra ſecula derivatum eſſe, ex *Patribus* ſcriptoribusque nonnullis aliis confirmat: ſed nunquã magis obtinuiſſe, quam noſtro hoc tempore

cap. II. innuit. Eccleſiaſticis tamen in Gallia morem hunc non niſi inde ab anno ſexageſimo noſtri ſeculi arriſiſſe memorat, cum ejus rei auſpicium feciſſet *Abbas de la Riviere* poſtea Epiſcopus Lingonenſis, quem proinde *Patriarcham illos inter Eccleſiaſticos, qui comas adſcititias gerunt*, nominare par ſit; ejus enim exemplum, ut elegantiori hujus ætatis mori & ipſi reverenter obſecundarent, *Abbates* alios, & hos iterum permagnam Clericorum omnium ordinum turbam eſſe æmulatam.

III. Sed quod nullo modo habitu iſto uti liceat Sacerdotibus & Clericis, nunc argumentis pluribus ſe demonſtraturum confidit Auctor, quorum iſtud veluti primarium primo loco producit, quod *Paulus* ipſe 1. Cor. XI, 4. comas iſtas graviſſime prohibuerit, cum homines *nudo & aperto capite preces fundere jubeat*; *Chryſoſtomum* vero ait ulterius adhuc procedere, cum alio modo & habitu orare maximum peccatum, idque καθ' ἑαυτὸ pronuntiet: hinc & Chriſtianos primos nunquam aliter precatos; *Concilium* etiam *Romanum* anno 743 Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis *velato capite altario Dei aſſiſtere* ſub pœna excommunicationis prohibuiſſe; & unum ex *Armeniorum* eſſe erroribus, quod Sacra celebrantes capitibus tegmina non modo non detrahant, *ſed etiam cucullam tegmini imponant*. Quod vero *Revius* Lugduni in Batavis Theologiæ Profeſſor, edito anno 1647 de *libertate Chriſtiana circa uſum Capillitii defenſa* libro, Pauli mandatum ad ſolos Corinthios pertinere evincere voluerit, id absque ratione facere, cum multi Papæ & Patres hic omnium locorum & temporum præceptum a Paulo dari agnoverint. Ubi tamen *objectioni* occurrit, quod ex uſu eccleſiæ Concionatores hodie capite tecto verba ex ſuggeſtu faciant, cum tamen *propheta-*

Digitized by Google

phetare æque ac *orare* Paulus in allegato loco Chriſtianis interdixerit: Ait enim, juxta S. Thomæ explicationem illum qui prædicat vel evangelium docet, ex propria perſona loqui; illum vero, qui Sacram Scripturam in eccleſia recitat, puta legendo *lectionem* vel *epiſtolam* vel *evangelium*, veluti *Diaconi*, *Subdiaconi & Lectores* ſolent, ex perſona totius eccleſiæ loqui, & hanc *Prophetiam* ab Apoſtolo intelligi. Licet vero Eccleſia in hac traditione & regula a Paulo præſcripta ſibi aliquid indulſerit, viriſque eccleſiaſticis variorum generum integumenta, quæ longa ſerie recenſet, eorumque, *Biretorum* nempe, *mitrarum*, *almutiarum*, *capitiorum*, *cucullorum*, *aliorumq;* originem & uſum prolixe & ſtudioſe cap. IV.
perſequitur, permiſerit; mentem tamen ipſi ſemper manſiſſe, ut aperto capite, quemadmodum adhuc laici, precibus operam darent, eaque in re multorum Sanctorum, nec non Bellarmini præfulgere exempla; ipſa vero illa capitis, quæ recenſuimus tegumenta, comas illas adſcititias condemnare. Repugnare easdem antiquæ eccleſiæ traditioni, quæ nu- V.
do capite & ſtando attendere evangelio jubeat; cui & Papa ipſe, & Sacerdotes, & Diaconi, & Subdiaconi ſeſe ſubmittant, & de qua præter *Ordinem Romanum circa Miſſam Pontificalẽ* a Mabillonio publicatum, ſat multi iique inſignes Auctores rerum eccleſiaſticarum teſtimonium perhibeant. Nec credibile eſſe, quod olim ſeu ſcamna ſeu cubitalia in templis extiterint, ſed tantum baculos afferri conſueviſſe, quibus, ſi opus eſſet, aliquis potuiſſet inniti; id quod adhuc apud Maronitas in Monte Libano moris ſit, utpote qui in ligneis fulcris, patibuli formam habentibus, inter audiendum orandumve prono corpore recumbere ſoleant. Accedere, quod & Scriptura Sacra, & Concilia, VI.
atque Eccleſiæ Patres, *capillos in cincinnos contortos* & *criſpatos* in omnibus utriusque ſexus Chriſtianis; Sanctus vero Hieronymus cum aliquibus Conciliis ſpeciatim in eccleſiaſticis *condemnet*, idque fulmen neceſſaria conſequentia etiam in comas adulterinas evibretur. Quem- VII.
admodum etiam crines, barbæ & ſupercilia *colore inducta* materiam ſæpe cavillationum & contemtus cauſam ſuppeditaverint paganis, itidem a Patribus inde & conciliis condemnata; quam in rem imprimis Tertulliani atq; Cypriani diverſæ afferuntur rationes: ita easdem ad mutatitios capillos applicari rectiſſime poſſe contendit. Inprimis autem illas, IIX.
quibus iidem Patres alienos & aliunde aſſumptos *crines* reprobaverint. Culpam vero dicit fieri longe majorem, quod in *novem capitibus Canonibus* IX.

Digitized by Google

nonibus eccleſiæ, quantum ad coronam & tonſuram clericalem attinet; adverſentur, quibus tamen quam arctiſſime Clerici adſtringantur. Qua occaſione inquiritur, quo tempore, ut tondeatur & coronam gerat, ob-
cap. X. ſtringere cœperit Clerum eccleſia. Capillamenta porro *aliam inducere faciem*, Autor monet, quales diſſimulationes a ſinceritate Chriſtiana
XI. alienæ ſint. *Multum* etiam *inſumendum temporis*, & nimiam adhibendam curam, ſi iisdem uti aliquis velit paulo comtioribus, quod ſtudium tamen & ethnici ipſi improbaverint, & eccleſiæ Patres in univerſum in Chriſtianis reprehenderint, ut nec S. *Tiburtius* admittere teſtem voluerit, quem nimiam operam in fovendis capillis collocare noverat. Nec
XII. obſtare, quod Sacerdotibus undecim conditionibus liceat Miſſam recitare galericulo capiti impoſito (*la calotte en tête*;) quippe nullam ex iisdem, quod uberius per undecim capita demonſtrat, Clericis capillamentorum ſtudioſis revera favere poſſe. Cumque *Eccleſiaſtici in tota*
XIII. *vita irreprehenſibiles* eſſe debeant, eo ornamento indutos nec veſtium luxum, nec capillorum globulos & cincinnos increpare jure poſſe.
XIV. Primum & *eſſentiale Clericatus ſignum* & fuiſſe ſemper & adhuc hodie eſſe, *tondere capillos*, quod tamen ipſi hac ratione indecore abdicare
XV. videantur. Ornamenta, quibus utuntur homines, tribus ſtipata eſſe debere conditionibus, ſi modeſtiæ laudem habere velint, ut ſint decentia, non ſuperflua, nec nimis exquiſita, quarum nulla competat in comas
XVI. adſcititias. Has præterea *tranſcendere limites tonſuræ clericali* a Conciliis *præſcriptos*, & ad nimis promiſſos capillos referendas eſſe, qui &
XVII. Laicis vetiti ſint. *Adverſas eſſe obligationi*, quam contraxerint per ton-
XIIX. ſuram. *Offenſiones* multas *præbere*, ut ex pluribus rationibus pateat; ubi
XIX. & non unas actiones, quæ capillatis Clericis intentatæ ſint, Auctor re-
XX. cenſet. Eapropter rectiſſime omnia genera capillamentorum, quorum novem nominat, a diverſis *Synodis* hucusque *improbata* & ſevere prohibita eſſe. In Regularibus vero monſtroſam plane & ſcandaloſam de-
XXI. formitatem eſſe, quippe qui duplici nomine Canonibus obligentur,
XXII. partim nempe quatenus ſunt Clerici, partim quatenus Regulares ſunt.
XXIII. Denique octo *objectiones*, quæ ad Clericos culpa liberandos vulgo
XXIV. afferuntur, *diſſolvit*; & *media* proponit, quibus imprimis in Gallia Eccleſiaſtici in ornamento & habitu iſto gerendo impediri poſſint.

Prodit una cum Auguſto hoc Actorum menſe Sectio octava Supplementorum.

Digitized by Google

N. IX.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris, Anno M DC XCI.

JOANNIS CIAMPINI, ROMANI, MAGISTRI Brevium Gratiæ ac in utraque Signatura Referendarii, de incombuſtibili Lino, ſive lapide Amianto ejusque filandi modo, Epiſtolaris Diſſertatio.

Romæ, typis Rev. Cameræ Apoſtolicæ, 1691, in 4. Plag. 3.

RΕcordabitur forſitan adhuc benevolus Lector eorum, quæ a *Roberto Plot LL. D.* circa ſpeciem quandam panni incombuſtibilis, e China advecti, annotata ex Transactionibus Philoſophicis Anglicanis per compendium retulimus *in Actis M. Aug. 1686. pag. 400.* Cumque ibidem ingenioſus ille Vir texti illius materiam quidem haud obſcure Amiantum eſſe conjiciat; attamen ambigat, quomodo linum hocce foſſile ob filamentorum brevitatem neri commode atq; texi valeat: non ingratum fore curioſis exiſtimavimus, ſi compendia circa hoc negotium a clariſſimo Ciampino ſuggeſta indicaremus. Tametſi enim facile prævideamus, non defore, qui propoſitum hic modum elaborandi tale linum, multum adhuc imperfectionis habere dicturi ſint: forte tamen anſa ſic aliis dari poterit, in comminiſcenda hujusmodi texturæ via commodiori ingenium exercendi. Ut ergo de brevi hac & epiſtolari diſſertatione brevibus etiam dicamus, perſcripta ea eſt ad R. P. *Fr. Bernardum Joſephum a Jeſu Maria*, Commiſſarium, Procuratoremq; Generalem totius Franciſcanæ familiæ, Terræ Sanctæ in Curia Romana: cui nempe circa linum hoc incombuſtibile nonnulla ſciſcitato, in redhoſtimentum beneficiorum olim in ſe collatorum, Ciampinus & fruſtulum lapidis, & linum ac chartam ex eodem confecta tranſmittere, ſimulque quicquid in Academia Phyſico-Mathematica (quæ nempe in ejus domo jam a multis habetur annis) ea


 de re

de re diſſertum fuit, una cum modo filandi tale linum, per amicum quendam ſibi communicato, aperire voluit. Præfatur vero multa de nominibus & hiſtoria hujuſce lapidis, quæ cum ex Plinio, Agricola, Pancirollo aliisque, a noſtro etiam citatis, jamjam nota eſſe poſſint, non eſt cur iis detineamur. Varias quoque ejus ſpecies indicat, colore, bonitate, aliisque notis multum inter ſe diſcrepantes: ſic perhibet alium Amiantum in Corſica obvium, longum eſſe, cujus nonnulla fruſtula, quæ ligneam formam habeant, ad dimidii palmi longitudinem & ultra ſe protendant, coloris ſubalbidi ad rufum tendentis; alium plumbei coloris ad argenteum appropinquantis molliorem brevioremque, cum tres palmi uncias minime excedat, erui ad Sextum Liguriæ, vulgo *Seſtri di Ponente*; alium in Cypro reperiri ſolitum, omnium infimum bonitate, veluti e ſquammis mutuo ſibimet incumbentibus ad cepæ formam compoſitum eſſe, terrei coloris in nigredinem vergentis, intermixtis quandoque albis ſuperficiebus ſive lineamentis, nonnullis vero nigris, aliis ſubrufis ſive terreis, in longitudine autem vix ad duo minuta unciæ palmi Romani pertingere; alium rurſus e Pyrenæis montibus effoſſum reliquis ſpeciebus omnibus longiorem eſſe & palmum Romanum æquare, filamenta vero craſſiora & aſperiora habere; alium denique adhuc diverſum in Volaterranis montibus reperiri ait. Cumque præterea multi ſint qui Amiantum cum Alumine ſciſſili confundant, noſter ex Dioſcoride quidem notat lapidem hunc, in Cypro maxime natum, alumini iſti perſimilem eſſe, utriusque tamen differentiam ſimul *ex Agricola L. 5. de natur. foſſil.* producit: ſcilicet ſapore eum differre ab alumine ſciſſili: hoc enim adſtringere, amiantum autem parum modo pungere linguam, minime vero adſtringere. Falſitatis porro arguit conjecturam eorum, qui perennes antiquorum lucernas ex oleo, hoc e lapide extracto, ellychnioque ex eodem parato conſtitiſſe autument: propria ſcilicet experientia edoctus teſtatur, cucurbitulam vitream Amianto repletam ignique commiſſam nil quidquam olei, ut quidem ſperaverat, ſed non niſi paucas aquei humoris guttulas ardere neſcias fudiſſe. Sed nec ellychnio parando materiam hanc aptam eſſe arbitratur; eo quod particulæ lapidem hunc componentes ita aridæ & minutiſſimæ ſint, ut nullos poros inter ſe contineant ad aſſugendum attrahendumque oleum. Venit tandem ad promiſſum in diſſertationis rubrica filandi modum; quem jam ipſiſſimis Autoris noſtri verbis retentis dabimus expoſitum.

Ante-

Digitized by Google

TAB. X. *ad A. 1691. pag. 403.*



Digitized by Google

Digitized by Google

Antequam, inquit, lapis iſte neatur, ſequenti forma præparandus eſt. Accipitur & infunditur in aquam lapis, quæ ſi calida ſit, citius operatur; ibique per aliquod temporis ſpacium, quod ad arbitrium eſt, in infuſione relinquitur. Deinde manibus contrectatur, perſtringitur & dilatatur, ut ex illo quædam tenuiſſima exeat terra, quæ ad ſimilitudinem albæ eſt calcis, quæque lapidis filamenta inter ſe conjuncta detinebat. Ex hac terra aqua denſa fit & lacteſcens, quæ projicitur, & nova ſuperinfunditur, & iterum manibus dilatatur, poſtea obſtringitur & premitur, ut ex hiſce iteratis operationibus ab omni purgetur calce: & hæcce operatio fiet quinquies, ſexies & pluries, quia magis linum heterogeneis partibus purgatur. Succeſſive tota maſſa e vaſe eruitur, & ipſum purgatur vas, quia in fundo multæ heterogeneitates remanent. Experientia plura docebit. Lapidis filamenta, quæ linum appellari poſſunt, expanſa ponuntur ſuper aliquod caniſtrum, ſive aliud ſimile, ut facile aqua percolari & facilius ipſum linum exſiccari poſſit. Dixi de modo lapidem reducendi in linum: nunc qua forma illud neatur, exponam.

Primo loco referam oſtenſum mihi modum, qui talis eſt: Pectines duo minutisſimis ac tenuiſſimis dentibus ſumantur, ut in *Fig. 1. & 2.* ad instar illorum, quibus carminatur lana ad conficiendos pileos, ſive pannos texendos. His levisſime carminetur linum: deinde inter amborum pectinum extremitates ipſum linum claudatur, ita ut foris promineat, ipſique pectines coli vicem præſtent: ſuperponantur deinde ipſi pectines alicui menſæ ſive ſcamno, ibique firmentur, ut *Figura 3*; ſumatur poſtea parvus tenuisque fuſus, ut *Fig. 4.* qui ſuperius uncinunculum habeat, ut *Fig. 5.* & inferius verticulum, ut *Fig. 6.* ut facile circumvolvi poſſit; fuſus ſubtili filo induatur; deinde urceolum cum oleo oportet habere, ut *Fig. 7.* cum quo digitorum indicis & pollicis interiores extremitates loco ſalivæ illiniantur; ad hoc ut primo loco cutis conſervetur, quia Asbeſtinum linum corroſivum eſt & excoriat: ſecundo quia oleum ipſum linum mollius reddit, & ob id commodius netur, quia facilius cum lino conjungitur. Accipitur ergo ipſum filum & unitur cum lino vivo exiſtente in pectinibus, & circumvolvendo ipſum filum cum eodem lino conjungitur: quod non ſine maxima patientia ac tædio peragitur. Quando igitur ſatis fili præfato lino veſtitum fuerit, poterunt ex eodem formari ſive texamenta, Italice *fettuccie*, ſive *naſtri*;

TAB. X.

poterit etiam tela confici; ſed periculum de hac minime feci. Quando hæc confecta fuerint, oleo liniuntur & projiciuntur in ignem, quæ ſtatim accenduntur. Ignis devorat filum, & purum remanet amentum ſive tela.

Secundo loco dicam, quid in hoc nendo lino experientia, quæ rerum omnium magiſtra eſt, me docuerit; nam vidi, quod linum Asbeſtinum difficile filo unitur, & eo difficilius, quo ipſum linum eſt brevius; unde loco fili linum commune ſumſi, quod appoſitum colo, ut moris eſt, deſumtis tribus vel quatuor filamentis lini vivi, quæ intermixta & inſerta in filamentis lini communis in hiſce implicantur & circumvolvendo facilius uniuntur & connectuntur, unde filum ex hiſce proveniens firmius & durius ad texendum evadit. Quare pectinibus uti, non eſt opus, quia potius dilacerant & abbreviant Amianti fila, quam ullam præſtant utilitatem, ac ſufficit ponere Asbeſtinum linum in aliquo caniſtro ſive menſa, illudque in parva dividere filamenta, ad placitum, lino communi inſerenda. Et hæc de modo nendi: nunc ad formandam chartam me confero.

Quando iſte abluitur Amiantus & a calce expurgatur, in vaſis fundo quædam Amianti partes remanent, quæ omnibus aliis breviores ſunt, quæque ab aliis ſeparantur, cum ob illarum brevitatem ad nendum minime ſint aptæ: ex hiſce igitur partibus conſueto modo charta formatur.

Nunc ſupereſt, ut aliquid breviter exponam, quomodo Amiantus ille ſic filatus ac textus diu conſervetur: nam propter maximam ejus ariditatem manibus eum contrectando in tenuiſſimas abit partes, ut ſupra enarravi. Quare melius ut conſervetur tela, ſive quodcunque aliud opus ex Amianto confectum, oleo illiniendum eſt: nam oleum lapidis conſervationi mirum in modum prodeſt. Ex hac igitur illinitione non ſolum ipſius lapidis deducitur perennitas, verum etiam quodammodo lapidis incombuſtibilitas demonſtratur; nam facilius ipſe accenditur lapis flammaque attollitur, duratque donec totum oleum abſumatur; unde tela illa, quæ ante accenſionem olei inquinata conſpurcataque apparebat, poſt combuſtionem candida & nitida evadit, quæ poſtea ſingulis vicibus ad conſervationem, ut dixi, illinienda eſt, ſicque in ſcrinio ſervanda.

Hactenus illuſtris Autor noſter: cujus quidem conſilium, de lino com-

communi filamentis Asbeſti commiſcendo pro obtinendis filis tenacioribus, a ſupra laudato *Roberto Plot* jamjam, loco antea dicto, ſuggeſtum meminimus. Num vero tela ex talibus filis parata poſt exuſtum admixti lini fulcimentum, eam retentura ſit firmitatem, ut uſibus, queis olim linteum incombuſtibile adhibitum fuiſſe conſtat, inſervire valeat, alii viderint.

LA FILOSOFIA OVERO IL PERCHE DEGLI Scacchi. i. e.

Philoſophia ſive τὸ διότι Ludi Scachorum; auctore M. Aur. Severino.

Neapoli, impenſis Ant. Buliſonii, 1690. in 4. Plag. 16.

DELL' ANTICA PETTIA. id eſt, De πεττεία antiqua; auctore eodem.

Neapoli, imp. Ant. Buliſon, 1690, in 4. Plag. 9.

M. *Aurelius Severinus*, Cratigena Tharſienſis, in regio Gymnaſio Neapolitano Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor, natus eſt A. 1580, mortuus A. 1656, non minus ob variam eruditionem, quam ob ſtudium multa ſcribendi valde celebris. Egit de eo ejusque operibus fuſe ſatis vir Clariſſimus *Leonhardus Nicodemus* in Additionibus ad *Nicolai Toppii* Bibliothecam Neapolitanam, p. 167, 168, 169. MSCtorum ejus volumina *quinquaginta* nactus *Buliſonius*, edere ex parte cœpit, cætera impoſterum additurus. Ad numerum fœtuum Severinianorum obſtupeſceremus, niſi auctor vitæ Severini, a Nicodemo citatus, de iis judicium in hæc verba tuliſſet: *Gloria nimis cupidus non tam a bonitate, quam a numero voluminum famam quærere viſus eſt. Hinc multos commentarios magis incboavit, quam perfecit, ſive magis demonſtravit, quomodo illi componendi eſſent, quam compoſuit.*

Ex his etiam eſt *Philoſophia ludi Scachorum*, nuper admodum illuſtris *Magliabechii* beneficio ad nos delata. Quale argumentum pertractare jam olim aggreſſus eſt, decimo tertio orbis redempti ſæculo, *Jacobus Theſſalonicenſis.* Extat opus hujus MSC. in Bibliotheca

Digitized by Google

Academiæ noſtræ Paulina, deſcriptum a *Joanne Laurentio Sacerdote Utenbuſano* A. D. 1354. Initium ejus hunc in modum ſeſe habet:

Ego frater Jacobus de Teſſalonia multorum fratrum ordinis noſtri & diverſorum ſecularium precibus perſuaſus, dudum munus requiſitum negavi, ut transſcriberem ſolatii ludum, ſcacorum videlicet, regiminis, morum ac belli humani generis documentum. Sane cum illum ad populum declamatorie prædicaſſem, multisq; nobilibus placuiſſet materia, honori eorum ac dignitati curavi aſcribere, monens eos, ut formas ipſorum menti imprimant, ut ſic bellum & ludi virtutem cordetenus poſſint facilius obtinere. Hunc ergo libellum de moribus hominum & officiis nobilium, ſi placet, intitulari decrevi; &c. Locum eo lubentius exſcripſimus, ut pateat, quanto major noſtri temporis ſit felicitas, quo concionibus ad populum Chriſtianum non ludus aliquis, ſed pericopa S. Bibliorum ſubminiſtrat. Codex hic memoratur a deſideratiſſimo Fellero noſtro in catalogo p. 84. Ex apographis, quæ idem recenſet p. 88. & 190. prius auctoris nomen omittit, nec quo anno exaratum ſit, conſtat; alterum auctorem nominat Jacobum de Theſſolis, & deſcriptum eſt A. 1419. Cæterum an hic *Jacobus* Latine impreſſus ſit, non liquet. Sereniſſimus autem *GUSTAVUS SELENUS* lib. I. Germanice conſcripto *de ludo Schachorum*, c. 2. auctor eſt, Fratrem *Jacobum de Caſallis*, alias *Ceſolis*, vel *Theſſolis*, ordinis Prædicatorum, antiquiſſimum forte eſſe omnium, quorum de hoc ludo commentarii ſuperſint. Proximeque ab eo abeſſe ait *Cunradum ab Ammenhuſen* ſacrificulum Steinenſem, der Statt zum Stein Münch und Lütprieſter/ qui A. C. 1337. *Jacobum* illum rhytmis Germanicis expreſſerit. Pervetuſtam vero verſionem proſaicam Germanicam *Anonymorum* cura exaratam parum abeſt, quin integram inſeruerit Dux Celſiſſimus ſupra laudatus, quem AUGUSTUM Brunſvicenſem fuiſſe, nemo ignorat, libro ſuo primo c. V. VI. VII. VIII. IX. X.

Simili fere ratione *Severinus* noſter (æque ac ei plane ignotus *Jacobus*,) præcepta multa ethica, politica, œconomica, præcipue vero *bellica* ludo ſcachorum recondi ſtatuit, ac demonſtrare ſategit. Verendum tamen eſt, ne pro mero ingenii luſu habeantur iſthæc omnia ab illis, qui aleam belli a luſoria infinities diſtare ac differre putarint.

Hæc de *primo* opuſculo. *Alterum* Eruditis magis placebit. Eo quippe ſolide demonſtratur, nec πεττείαν, quam Palamedes invenis-

ſe fer-

ſe fertur, nec *latrunculorum ludum* apud Latinos frequentatum idem eſſe ludi genus cum *Schachico* moderno; qua ratione non paucis veterum Græcorum Latinorumque Autorum locis haud temnenda lux affunditur.

POLITICAL ARITHMETICK, BY VVILliam Petty, late Fellovv of de R. S.

ſive

Arithmetica Politica, autore VVilhelmo Petty, Societatis Regiæ quondam Sodali.

Londini, apud Rob. Clavel & Henr. Mortlock, 1691, in 8.
Conſtat plagul. 9.

NOn ignotum eſt, qualem ingenioſus hic Autor modum commentus ſit, res ad regimen politicum ſtatumve publicum ſpectantes nova quodammodo ratione dijudicandi; easdem nimirum revocando ad vulgares Arithmeticæ regulas, atque ſic, argumentis potiſſimum in externos ſenſus incurrentibus adhibitis, ipſas ad quandam Demonſtrationis ſpeciem reducendo. Etenim ſpecimen hujus rei jamjam ab eo editum extat in comparatione illa Londinenſis atque Pariſienſis civitatis per ipſum inſtituta, cujus relationem dedimus *in Actis M. Octob. anni 1687. p. 545.* ubi nempe Londino amplitudinis prærogativam præ Lutetia aſſerere ſategerat. In præſenti nunc Tractatu, dudum quidem jam exarato, ſed poſt ejus mortem demum a Filio *Shelbornio* in lucem emiſſo, latiorem diſcurrendi campum ſibi ſumſit, judicioſe plurima diſſerens de ineunda æſtimatione Territoriorum, Populorum, Commerciorum, Redituum, Rei Nauticæ, Militiæ, Tributorum & ſimilium, cum generatim, tum in ſpecie habito reſpectu ad Regnum Britanniæ, ditionesque vicinas Franciæ & Belgii. Scopus Autoris, ut ipſe profitetur, potiſſimum fuit, querulas plurimorum e ſuis civibus, Angliæ hodiernam faciem multum ab antiqua diſcrepare, potentiamque & opes haud parum decreviſſe, cauſantium voces reprimere, & oſtendere, ſtatum hujus Regni & nunc ſat floridum eſſe, & facili opera ad majus amplitudinis & opulentiæ faſtigium evehi poſſe. *Decem* vero imprimis *concluſionibus* totum huncce ſuum diſcurſum complexus eſt,

totidem

Digitized by Google

totidem capita facientibus: quorum ſingulis quid pertractetur, in eorum, qui Anglicæ linguæ periti non ſunt, gratiam paulo uberius nunc exponemus. Et quidem *Capitis I.* argumentum eſt: fieri poſſe, ut ditio aliqua exilior ac gens non ita numeroſa, beneficio ſitus, commerciorum & politiæ, æquivaleat potentia & opibus alii cuidam territorio populove multo ampliori: ſpeciatim vero naviculariæ opportunitatem plurimum ad hoc conferre. Pro adſtruenda hac propoſitione, Autori præ aliis adhibere placuit vicina exempla Franciæ, nec non Hollandiæ ac Zelandiæ inter ſe collata. Scilicet tametſi conſtet ex autoribus non vanis, Franciam quoad incolarum quidem numerum habere ſe ad Hollandiam & Zelandiam circiter ut 13 ad 1, quoad agrorum vero fundorumque amplitudinem fere ut 80 ad 1: tamen neutram harum proportionum æſtimandis in viribus opibusque harum Rerumpublicarum oſtendit obtinere: quin potius earum intuitu vix triplam, aut certe non multo majorem eſſe evincit; imo quibusdam in capitibus Belgium Gallia longe ſuperius eſſe: v. g. in accumulandis divitiis, cum res ipſa doceat, facultates Hollandorum inde a 100 annis prope in decuplum increviſſe, Gallorum vix in duplum: item in re nautica: hanc nempe per omnes Europæ nationes computatam aſcendere circiter autumat ad 2000000 Tonnas, quas vocant: de his vero Anglicæ nationi tribuit 500000, Belgis 900000, Gallis 100000, Hamburgenſibus, Danis, Suecis, Dantiſcanis 250000, Hiſpanis, Portugallis Italisque 250000: ut adeo hoc nomine Gallorum apparatus navalis ad Belgicum ſe habeat modo, ut 1 ad 9: ſicut & valorem mercium e Regno Galliæ exportari ſolitarum non niſi talem habere proportionem ſtatuit ad eas, quas Hollandia quaquaverſum mittat, qualem 5 ad 21. Recenſitas autem hactenus aliasque prærogativas ſitui ſuarum terrarum Belgas magna ex parte debere, comprobat variis argumentis a proprietatibus hujus regionis petitis. Sic allegat ſolum æquale ac fertile, aptumque adeo magnæ hominum multitudini intra ambitum non ita latum recipiendæ ac alendæ; porro commoditatem molarum pneumaticarum ob eandem terræ planitiem ubivis locorum ſemet offerentem; opportunitatem trium fluminum, quorum accolis agriculturæ fere deditis Hollandi merces ſuas, manu factas imprimis, inſigni cum lucro divendant; item grandem copiam aquarum foſſarumque navigabilium, ad ſingularum fere milliarium diſtantiam ſuppeten-

Digitized by Google

petentium, multumque adeo emolumenti in diſtrahendis mercibus largientium; cum conſtet, vecturam per aquas vix $\frac{1}{15}$ aut $\frac{1}{20}$ ſumtuum ejus, quæ terra fit, expoſcere: denique facilem hujus regionis contra hoſtiles inſultus defenſionem ob continuas fere foſſas & paludes, nec non ſummam portuum commoditatem, navibus minori, quam alibi, hominum rudentumve apparatu, tutandis idoneorum. Cunctas has prærogativas in unum concurrentes plus quam centum librarum Anglicarum myriades annuas Batavis aut lucrari aut ſervare contendit, indeque non mirandum eſſe ait, quod commerciis tantopere inter cæteras nationes emineant, quandoquidem tot naturæ beneficiis mactati, pretio etiam viliori merces ſuas vendendo, majus tamen lucrum inde habeant, quam aliæ gentes illis deſtitutæ. His porro jungit ingentem navigiorum, omnis generis mercibus transportandis accommodorum copiam, nec non piſcaturæ commoditatem; ſolamque halecum capturam plus redituum Belgis tribuere judicat, quam aut Hiſpanis Indiæ Occidentalis, aut ipſis Orientalis Indiæ commercium: dum nempe eos ultra trecentas librarum myriades annuas adſcendere perhibet. Pergit hinc Autor & exponit varia Hollandorum artificia politica, ad ſtatum & commercia ſua in flore conſervanda, in uſum ab ipſis adhibita, uti libertatem conſcientiæ variarumque religionum tolerationem: (ubi obiter obſervatum fuiſſe notat, mercaturam plerumque apud eam populi partem quam maxime vigere, quæ in loco illo pro heterodoxa habeatur, id quod diverſis exemplis corroborat;) item hypothecarum ob credita in bonis immobilibus datarum firmam ſecuritatem, quam in Anglia quidem videtur deſiderare; denique uſum Bancarum publicarum, quo ipſo quomodo efficiatur, ut minor paratæ pecuniæ ſumma, v. g. 60000, in ſuſtentandis civitatis cujusdam commerciis æquipolleat ſummæ majori, v. g. 100000 librarum, eleganter deducit. Ulterius annotat, prudenter admodum a duobus potiſſimũ vitæ generibus Batavos valde alienos eſſe, magis lucroſas nempe profesſiones ſequi ſuetos. Alterum ex iis eſt militia gregaria, alterum agricultura & pecuaria: nimirum poſterioris defectum a vicinis Danis atque Polonis affatim ſuppleri; prioris vero intuitu non deeſſe Germanos, Anglos, Scotosve, qui parvo ſatis ære ſtipendia apud eos facere parati ſint, id præterea commodi Reipublicæ afferentes, quod ipſorum, quos ibi gignant liberi, Hollandi naſcantur, incolarumque

 adeo

Digitized by Google

adeo numerum continuo augeant: quam quidem rationem hominibus provinciam locupletandi ſecuriorem illa reputat, qua exteri privilegiis Naturaliſationis propoſitis invitari ſoleant: quandoquidem non ita facile quis nudis verbis ac data venia novo ſemet nomine appellandi alliciatur, ut aliorſum domicilium transferat. Quanti vero Reipublicæ interſit numeroſos habere cives, Autor oſtendit, modo propoſito, cujus auxilio gentis alicujus capita ad certam velut æſtimationem reduci valeant. Scilicet ſi ponamus Anglicam nationem conſtare 6. millionibus hominum, ſingulos vero, facta per averſionem computatione, ad ſui ſuſtentationem impendere annuas 7. *libras*, jam habebimus 42. milliones librarum: nunc porro ſi ſtatuantur agrorum reditus per annum largiri 8. milliones, itemque perſonales incolarum facultates alios 8. milliones, remanebunt adhuc 26 milliones librarum per populi laborem quæſiti atque completi. Hos 26 milliones jubet multiplicare per 20, (cum non incongruum ſit acqueſtum ex maſſa veluti humanæ gentis provenientem eadem ratione ſupputare, ut fundorum uſuram) ut ita prodeant 520. milliones, tanquam valor univerſæ nationis: quæ ſumma tandem ſi per numerum populi, ſex nempe milliones, dividatur, apparet ultra 80. libras provenire pro æſtimatione ſingulorum capitum absque ſexus aut ætatis diſcrimine, cum tamen adultæ perſonæ bene duplo pretioſiores hoc intuitu cenſendæ ſint.

In *Capite II.* Autor probare nititur, dari certi generis tributa & munera publica, quæ opulentiam regni populive alicujus augere potius, quam imminuere apta ſint. Pro-theſi hac ſtabilienda exemplis utitur domeſticis partim, partim e vicinia petitis. Nimirum in regnis Britannicis exactiones publicas inde ab anno 1636. nimium quantum auctas eſſe, & nihiloſecius regna hæc ab eo tempore opibus atque potentia plurimum increviſſe: Regem Franciæ hodie quintam fere facultatum, quas ſubditi habeant, partem tributis haurire, & tamen regnum ſatis floridum manere ac paſſim ſuas oſtentare vires: denique nullam partem Europæ eſſe, quæ tantam pecuniæ vim ad onera publica conferre juſſa ſit, uti Hollandiam & Zelandiam noviſſimo hoc ſeculo feciſſe conſtet, nec ullam tamen fere dari provinciam, quæ interim magis divitiis atque potentia creverit. Quo vero ſic proficua aut innoxia ſaltem evadant talia tributa publica, ante omnia conſiderare jubet, a quibus hoc nomine nummi exigantur, & in quos uſus conferantur: nimirum ſi ita contin-

contingat pecuniam eripi manui prodigæ ac eroganti in ſumtus inutiles, & viciſſim collocari v.g. in meliorationem agriculturæ, piſcationis, operas metallicas, artesve manuarias provehendas, bene ſe rem habituram, & exactionem talem ceſſuram in emolumentum Reipublicæ: at viceverſa ſi cenſibus emungerentur homines ingenioſi, laborioſi ac ſeduli, iique expenderentur in tales, qui laute genio indulgerent, aut etiam non niſi inanibus ſpeculationibus parumque fructuoſis incumberent, opes publicas ſic dubio procul imminutum iri. Deinde probe penſi habendum autumat, quænam res tributis talismodi gravandæ ſint aut eximendæ: eoque nomine Batavorum prudentiam magnopere commendat, quibus nempe fere ſolenne ſit, merces ad cibum potumque pertinentes omnium maxime onerare, ad reſtringendos exceſſus expenſarum paſſim a luxurioſis circa eas fieri ſolitarum; alias vero res venales mitius taxare, quæ majoris durationis ſint: neque adeo cenſibus onerare ea, quæ homines lucrentur, niſi extraordinaria neceſſitas id expoſcat; ſed ad illa potiſſimum oculos flectere, quæ iſti expendant, ac præſertim inutiliter & absque ſpe reſtitutionis vel emolumenti: unde ſit, quod vectigalia mercibus advectis aut exportandis apud eos plerumque ſatis levia indici ſueverint. Porro reſpiciendum ſuadet, qua in materia commodiſſime tributa pendantur; qua occaſione demonſtrat, in Hibernia, quæ circiter 1200000 capita & prope 300000 caminos habeat, non modo populo tolerabilius, ſed & Regi magis proficuum fore, ſi quotannis de ſingulis capitibus penderentur 2. Shillingi *in lino*; quam ſi totidem *in pecunia parata* pro ſingulis modo caminis exigerentur. Pariter & utilius fore autumat, ſi loco pecuniæ numeratæ ab Anglis penſio talis exſolveretur in lino elaborato, puta linteaminibus, tæniis, filis & ſimilibus, quæ alioquin e Francia, Flandria, Hollandia & Germania advehenda ſint: a Scotis vero in halecibus: talem enim præſtationem utrisque minus oneroſam, publicoque commodo magis ſalutarem fore. Neque porro iniquam adeo futuram exiſtimat exactionem, ſi ſubditi bonam partem ejus, quod ex meſſe præter ſolitum locuplete redundaret, in publica horrea tradere juberentur, neceſſitatibus ſtatus publici impendendum; quandoquidem alias experientia doceat, non exiguam talis benedictionis divinæ portionem frivole abſumi, plebemque, victus fere gratia tantum laboribus ſemet applicantem, inde nimis licentioſam & effre-

 nem

nem reddi, adeo ut iis annis, quibus exuberans annona eſt, vix operarios nanciſci aliquando valeant, qui iis indigent. Denique oſtendit, quomodo Anglia exigua ſubditorum cum moleſtia, & annuis circiter 120000 librarum ſumtibus, ex indigenis exercitum 155000 virorum in promtu habere poſſet, ad omnes eventus paratum ſatisque armis tractandis habilem: itemque quomodo ibidem annuis quaſi 72000 librarum impenſis 24000 epibatæ ſeu claſſiarii ſubſidiarii haberi poſſent, neceſſitate expoſcente ad claſſem tam militarem, quam mercatoriam ex tempore inſtruendam promti, cui parandæ alias nimium fere tempus magno reipublicæ damno inſumi ſoleat: cum conſtet Regiam quidem claſſem 36000 viris ad plenam ſui inſtructionem indigere, navalem vero Anglorum mercaturam vix minori, quam 48000. hominum opera plene exerceri.

In *Capite III* Autor id agit, ut evincat, fieri ob naturalia & perpetua impedimenta non poſſe, ut Gallia mari potentior evadat, quam Angli Hollandive aut nunc temporis ſint, aut reddere ſe valeant. Diſcurrit hic primo de navigiis bello aptisſimis, eaque in maribus ſeptentrionalibus eſſe pronunciat, quæ capacitate ſint inter 300. & 1300. tonnas, ex iisque optima, quæ aquas profundius ſecent, ventorum nempe nautarumque regimini accuratius parentia: navem ſcilicet 1000 tonnas capientem & 500 viris inſtructam, in prælio facile ſuperiorem eſſe quinque aliis, quarum ſingulæ 200. tonnarum ſint & 100 armatos vehant. Jam vero pro navigiis dictas qualitates habentibus capiendis portus commodos inter *Dunkerkam* & *Uſhantum* Regi Galliæ omnino deeſſe ait: portus vero *Breſt* & *Charente* eidem ad hoc parum prodeſſe poſſe, ut meliori præ hoſte conditione ſit, vaſtum quippe oceanum reſpicientes, ubi ob nimiam latitudinem hoſtis ad prælium adigi haud facile queat. Porro pluribus oſtendit, Regem Galliæ nec habere, nec adipiſci commode poſſe ſufficientem numerum epibatarum, pro armanda tali claſſe, quali Rex Angliæ polleat, ut maxime nudare penitus vellet hominibus mercatorias ſuæ gentis naves, quas nempe non ultra quartam partem commercii navalis Anglicani adſcendere pronunciat. Rationes, quas pro adſtruenda hac ſententia adducit, prolixiores ſunt, quam ut hic commode recenſeri queant. Cæterum nec probabile reputat, commercia etiam nautica Gallorum adeo magnum poſthæc incrementum captura: tum quod Gallia pleriſque mercibus neceſſa-

Digitized by Google

neceſſariis jam ipſa per naturam inſtructa ſit, frumento puta, pecoribus, vino, ſale, linteis, charta, ſerico, aliisque, ut adeo paucis indigeat navigiis ad importandas merces, ponderoſiores præſertim: tum quod nec ita multæ tales inde exportentur alior ſum, ſi ſalem & vina excipias, quorum tamen pondus annuatim vix adſcendere credit ad 100000 tonnas, quibus transvehendis navigia ſummam 25000 tonnarum efficientia queant ſufficere: & eas quidem plerasque ait adhiberi Belgicas vel Anglicas, utpote quæ jam in poſſeſſione ejus commercii ſint, & minoribus etiam ſumtibus, quam Gallicæ, inſtruantur velificentque aut intra portus ſeſe teneant.

Caput IV. pro argumento ſequentem habet concluſionem: Populum ac territoria Anglicana naturaliter ejusdem propemodum momenti eſſe ratione opum ac potentiæ, cum Gallicis. Non diffitetur quidem Autor, latiorem Gallici, quam Anglici regni eſſe ambitum intuitu quantitatis: aſt hujus exiguam eſſe efficaciam propoſitæ quæſtionis reſpectu, perſuadet per aliam propoſitionem, prima ſpecie ſatis paradoxam, ſed quam ex regulis ſuis arithmetico-politicis non parum reddit probabilem; videlicet, *ſi contingeret incolas Hiberniæ & montanorum Scotiæ tractuum, terris ſuis pro derelicto habitis commigrare cum bonis ſuis mobilibus in reliquas magnæ Britanniæ partes, ibique ſuam figere ſedem, tum Regem Angliæ ejusque ſubditos multo, quam nunc, locupletiores inde fore.* Ipſum ſubditorum utriusque Regni numerum quod attinet, largitur quidem Deſcriptori Status Gallici, Regem illum dominari 13½ millionibus hominum: Anglicis vero ditionibus in unam ſummam collectis tribuit 10 modo milliones: at nihiloſecius hos 10. illis 13½ ob multas rationes æquivalere contendit. Sic allegat, in Anglia vix degere 20000 perſonas Eccleſiaſticas: in Gallia bene 270000, adeoque prope 250000 viros otioſos & non niſi fruges conſumere aptos, quibus nihil opus ſit: porro in inſula, quales fere Anglicæ ditiones, 10 viros abunde ratione defenſionis æquipollere 13 aliis in continenti hoſtem repellentibus; item Angliam plus quam 40000 nautas alere, (quorum ſinguli tantum lucrentur, quantum alias tres agricolæ) Galliam non multum ultra quadrantem ejus ſummæ habere; in Anglia lineam ſecundum litora maritima ductam eſſe circiter 3800 milliarium, in Gallia non niſi 1000 milliarium; quæ ſi utrinque terrarum adjacentium latitudine ſimul penſihabita, in parallelogram-

Digitized by Google

mum redigatur, appariturum fore, in Anglia nullum eſſe locum, longius remotorum cum vicinioribus facta compenſatione, qui ultra 12. milliaria a mari diſtet: at in Gallia diſtantiam talem ſæpe 65. milliarium emergere, imo bene 70, paucitatis nempe portuum ratione habita: adeoque Anglos multo majori gaudere compendio in vectura mercium, ponderoſiorum imprimis, quo nomine ipſis bene 4. pro 100. lucro cedant in mercatura facienda. Ulterius provocat Autor ad teſtimonium peregrinatorum, an non operarii in Gallia paſſim minus mercedis capiant, & victus tamen fere carior ſit, quam in Anglia: unde neceſſum ſit, Anglos facilius opes ſibi quærere poſſe; item an non plebeji in Anglia (maximam nempe populi alicujus partem conſtituentes) $\frac{1}{6}$ plus expendant, quam iis æquales in Gallia degentes: at vero ſi ita plus ſumtuum faciant, oportere ut antea plus etiam acquiſierint, unde rurſum quæſtus facilitas elucescat. Denique quamvis aliqui crediderint, totum terrarum orbem ultra 300. milliones hominum continere, Autor tamen iis non mox fidem adhibendam putat: ſaltem id ſibi perſuaſum ait, cunctas mundi partes, Europæorum commerciis frequentari ſolitas, non ultra 80. milliones animarum habere: atque mercium quaqua verſus toto hoc univerſo exportatarum valorem per annum non excedere 45. milliones: de hac vero ſumma Anglos $\frac{3}{8}$ ferre, Autor particulatim per ſingulas commerciorum ſpecies deducit; dum interim Galliæ mercaturam cum exteris exercitam triplo minorem reputat. Poſtremo monet, ne quis extrinſeco Gallicæ potentiæ ſplendore capiatur: hunc enim pendere maxime ex immodica illa parte quota, quam Rex Galliæ quotannis de ſuorum ſubditorum facultatibus hauriat: evidens enim eſſe, quod ſi duæ nationes ſupponantur divitiis æquales, & alterius quidem princeps de ſuorum opibus capiat $\frac{1}{5}$, alterius vero $\frac{1}{15}$, ille quidem actu appareat triplo locupletior, cum interim potentia ambo æquales ſint.

Capite V. Autor occupatus in eo eſt, ut demonſtret, impedimenta, quæ hactenus Anglicæ potentiæ incremento obſiſtant quadantenus, contingentia modo eſſe, nec remotu penitus impoſſibilia. Varia vero ea recenſet; uti, nimiam territoriorum, vaſtis quoque marium intervallis disjunctorum, diſtantiam, indeque fluentia plura, quæ ſpeciatim commemorat, incommoda; obſcurum ſenſum variamque interpretationem legum regni fundamentalium, ac Parlia-

menti

menti privilegiorum; unionem populi Hibernici cum Anglico non ſatis firmam, quæ nempe coloniis hinc inde miſſis ſtabiliri melius poſſet: tributorum impoſitionem exactionemque non ſatis providam, qua fiat, ut populus fere duplum ejus pendat, quod de nummis talibus in Regis manus perveniat; inæqualitatem proportionis inter Comitatus, Diœceſes, Parochias; denique & divulſionem juris bellum gerendi a poteſtate cenſum indicendi: cuncta vero hæc impedimenta remediis debitis neutiquam immedicabilia eſſe, breviter innuit.

Capite VI. demonſtrare contendit, potentiam & opes Anglorum poſtremis his 40 annis non parum increviſſe. Probat hoc ex adjectis noviter aut ſaltem magis excultis ditionibus, quales Nova Anglia, Virginia, Barbados, Jamaica, Tanger & Bambay; ex pretio habitationum, nunc paſſim duplicato; ex claſſe Regia jam in triplum vel quadruplum antiqui navium numeri aucta; ex quadruplicata fere carbonum foſſiliũ mari advectorum quantitate; ex incremento conſpicuo mercaturæ Americanæ & Guineanæ; ex vectigalium ſumma in triplum fere adaucta; ex decremento uſurarum, quæ ante 50 annos dextantes, ante 40 beſſes fuerint, nunc vero ſemiſſes ſint, aut minores, ſi bona a debitore dari cautio poſſit. Cæterum tametſi hoc temporis ſpatio bene 300000. homines in Anglia extra ordinem bello aut peſte perierint, attamen hunc numerum interim ex 10 illis incolarum, quos ſuppoſuit, millionibus jamjam per ordinarium generis humani accrementum ſatis ſuppleri potuiſſe autumat: dum obſervatum ſit, regulariter intra 200. annorum intervallum duplicari hominum numerum per conſuetum generationis progreſſum.

Capite VII. deducta concluſio hæc eſt: Decimam univerſarum expenſarum partem, quas Regis Angliæ ſubditi per annum erogare ſoleant, ſufficere alendis 10000. peditum, 40000. equitum & 40000. claſſiariorum, prætereaque ſuſtinendis univerſis, tam ordinariis quam extraordinariis Coronæ ſumtibus, dummodo debite taxaretur & exigeretur. In computandis modo dictis expenſis placuit Autori, ne nimium dixiſſe videretur, regulam modo ſumere ab infimæ ſortis hominibus, mercenariis puta in victu, & ancillis ruſticis in amictu æſtimando, habita nempe mercedis ratione, quæ talibus ſolvi ſoleat; unde conficit, hujus generis homines in cibo, potu, veſtitu, aliisque rebus neceſſariis comparandis non facile minus quam 7. libras annuas inſumere:

mere: his igitur per 10. milliones, quantum nempe ſubditorum numerum ſupponit, multiplicatis, pro decima parte expenſarum talismodi prodeunt 7 librarum milliones. Atqui conſtare ait, quinque circiter milliones ſufficere dicto militum numero per annum alendo: ordinarios autem Coronæ ſeu Regiminis ſumtus annuos non tranſcendere 600000 librarum ſummam. Gravem vero adeo taxam talem ſubditis videri non poſſe, maxime cum pacis temporibus plerique plus lucrentur, quam expendant: & ad eam præſtandam non alio opus ſit, quam ut quis quotidie $\frac{1}{20}$, adeoque ſemihoram circiter, plus laboribus vacet, & $\frac{1}{20}$ minus expendat, quam alias faceret; quod *& ipſum non* ita difficile, dum pauci fuerint, qui non $\frac{1}{20}$ plus cibi potusve aſſumant, quam iis ſalubre ſit.

Capitis VIII. argumentum eſt, ſupereſſe Britanniæ affatim manuum ſuperfluarum, ut quotannis duos milliones plus, quam nunc fiat, lucrari poſſent: nec deeſſe hanc in rem occaſiones aptas, promtas atque ſufficientes. Scilicet largitur quidem Autor, e 10. ſubditorum millionibus, ob ſexus, ætatis, dignitatis atque conditionis impedimenta, vix remanere ultra milliones $6\frac{1}{2}$ eorum, qui actu laboribus quæſtum facere poſſint: attamen & eum numerum huic rei ſatis eſſe putat. Etenim cum horum aliqui 3, alii 5, alii 7 ſolidos ſeu Shillingos per hebdomadem lucrentur, media proportione capta & facta compenſatione, ſi ſinguli 5 Shillingos per ſeptimanam, aut ſaltem 10 libras per annum lucrifacere ſtatuantur, cunctorum quæſtus ſumma provenit 65 millionum, adeoque 25 milliones ultra expenſarum quantitatem reſidui: atqui nunc quidem vix 5. millionibus lucrum annuum expenſis majus eſſe credit. Quod vero nec occaſio deſit pro quæſtu tali faciendo, colligere jubet ex facta computatione, quantum nauli exteris ſolvere Regis Angliæ ſubditi ſoleant; item, quantum commodi Hollandi capiant ex piſcatione in maribus Britannicis exercita; denique quantum pro mercibus extraneis expendatur, quæ in Anglia ipſa laborari per diligentiam adhibitam poſſent: ſcilicet ex ſola Francia quotannis importari merces pro 2600000. librarum precio; inter quas tamen vix quinta pars e talibus conſtet, quæ in Anglia parari nequeant, uti vinum, charta, ſuber, reſina, cappares & pauca alia: ut adeo vel ſolius Franciæ intuitu duo librarum milliones *compendifieri valerent.*

Capite IX. oſtendit, ſat pecuniæ ſuppetere Angliæ ad exercendum

dum nationis commercium. Fundamentum computationis hic ſumit a nummis tempore Cromvellianæ uſurpationis cuſis, ac dein poſt factam Regis reſtitutionem revocatis & novo typo inſignitis, quorum ſummam ait fuiſſe circiter 800000 librarum; & creditum tum inter trapezitas fuiſſe, efficere iſtam quaſi ſeptimam partem univerſæ monetæ Anglicæ, quæ ita tota fuerit 5600000 librarum, aut rotundiore numero, cum ſane aliquid pro pecuniis in theſaurum reconditis indulgendum, ſex millionum. Hanc vero quantitatem ſufficere gentis commercio, ita ex ſolitæ nummorum circulationis fundamento probat. Si in Anglia ſunt 6 milliones hominum, quorum quilibet 7 libras annuas conſumit, tota expenſarum ſumma eſt 42 millionum, & per hebdomadas ſingulas 800000 librarum: ut adeo minus uno millione ſatis eſſet, ſi pecunia intra quamvis ſeptimanam abſolveret circulum. At quia reditus fundorum, per ſemeſtria intervalla ſolvi ſoliti, 8 milliones annuos faciunt, hinc ad eos pendendos requiruntur 4 milliones: præterea cum pretium habitationum Angliæ trimeſtribus ſpatiis exſolvendum, per annum aſcendat circiter ad 4 milliones, unum millionem huic implendo ſatis eſſe exiſtimat: ut adeo non ultra ſex in univerſum milliones ad univerſos ſumtus requirantur.

Capite X. & ultimo Autor evincere ſatagit, Regis Angliæ ſubditis non deeſſe media ſeu fundum pro exercenda totius Orbis, qua commerciis patet, mercatura ſufficientem. Dixerat ſuperius, commercia per totum hoc univerſum geri ſolita per annum non tranſcendere 45 milliones; his addi vult 15 alios, pro navigiorum neceſſariorum apparatu, ut ita ſumma ad agitandum univerſale commercium ſit 60 millionum. Jam reputare jubet, non omnem hanc pecuniã paratam eſſe oportere, ſed fere dimidium fide mercantium ſtare ſolere, ut adeo vel 30 milliones fere ſatis eſſe poſſent. De his jam prope dimidium in moneta, navibus ac ſorte actu mercaturam faciendo occupari, reliquumque tantum non inducto Bancarum uſu, quo nempe pecuniam mercatoriam dupli propemodum vices ſubire ſupra oſtenderat, ſuppleri valere. Quod ſi tamen adhuc 20 milliones deficere ſtatuantur, dat conſilium, ut univerſa Regni Nobilitas, e qua nempe plures nunc filios natu poſteriores mercaturæ dicare ſoleant, pro ampliori tali commercio impetrando, tanti valoris ſortem in fundis conſtituant, pignoris & ſecuritatis loco futuram pro quibusvis mercibus, quas pro rationibus com-

Digitized by Google

mercii illius univerſalis vendi aut emi contingeret: talem vero terrarum quantitatem circiter ſextam vel ſeptimam Anglici territorii partem præſtare poſſe putat: quod conſilium quam proficuum & neceſſarium Nobilitati futurum ſit, pluribus deducit. Quod ſupereſt, præmonet Autor in præfatione, poſitiones, quibus hi Diſcurſus ſuperſtruantur, aut veras eſſe certasque, aut ſaltem an tales ſint, a ſuprema poteſtate facile indagari poſſe: ſin minus, certe non ita falſas eſſe, quin ſuppoſitionum inſtar inſervire queant, ad oſtendendum quo collimetur: nec abs re futurum judicat, ſi publica autoritate in veritatem harum materiarum inquiratur: cum utique privata conamina tali negotio haudquaquam ſufficere valeant.

MEMOIRES DE MESSIRE JAQUES de Saulx Comte de Tavannes, Lieutenant General des Armées du Roy. i. e.

Commentarius Jacobi de Saulx Comitis Tavannii, Exercituum regiorum in Gallia Legati Generalis; in quo exacte & fideliter deſcribuntur cauſæ & progreſſus motuum factione Principum & Parlamenti Pariſienſis excitatorum, quibus Gallia in poſtremis turbis ad annum usque 1653 afflicta fuit.

Coloniæ, 1691, in 12. Plag. 11.

Brevis eſt libellus, ſed in quo ingenuitas ſingularis, peritia rerum aulicarum & militarium egregia, nec non modeſtia ſtyli, noſtro quidem judicio non exiguam laudem meretur. Heros, ut dici ſolet, hiſtoriæ hujus eſt *Ludovicus Borbonius, Princeps Condeus*, cujus ardorem bellicum non modo Germania, ſed & ipſa Gallia, patria ejus, noſtra ætate experta fuit. Sopiti erant utcunque motus priores Parlamenti & Pariſienſium, qui a funda (*fronde*) cognomen habuerunt, compoſitione A. 1649 inita, in quibus Condeus præter ſpem populi, aulæ regiæ ſtrenue adſtiterat; cum inter illum & Cardinalem Julium Mazarinum ex cauſa non admodum gravi diſſidium oriretur, querente ſcilicet *Condeo*, quod *Mazarinus* promiſſo cuidam amico Princi-

Principis facto non ſtetiſſet. Hujus vero ſimultatis is tunc eventus fuit, ut Mazarini ſumma, qua apud Reginam, Ludovici XIV, qui nunc regnat, tunc vero impubes erat, matrem & tutricem valebat auctoritate, *Condeus* ejusque frater *Contius*, & ſororius *Longavillæ Dux* captivi in caſtellum *Vincenarum*, & poſtea ad oram Neuſtriæ in *Portum gratiarum* (Havre de grace) ducerentur. Inde *Tavannius*, autor libelli, inter familiares Condei primarius, cum multis aliis nihil omiſit conſiliis & manu, quo captivos in libertatem aſſereret. Copiæ igitur colligebantur, arces & oppida Condei præſidiis firmabantur, regiæ quædam occupabantur, accito in partes *Turennio*, celeberrimo noſtrisque damnis cognito Duce, qui Principum cauſa Hiſpanorum patrocinium imploravit, & militare ſubſidium ab illis accepit, expugnatis aut ad deditionem adactis haud ſpernendis in Picardia & Campania Gallicæ ditionis oppidis & munimentis. Paulo poſt factioni caput ſeſe præbuit *Gaſto Dux Aurelianus*, patruus Regis, cum multis ex reliquis Proceribus, quorum acceſſu elatum Parlamentum Pariſienſe *Mazarinum* publicis edictis proſcripſit. Hic tempeſtati illi cedendum ſibi eſſe videns, demereri prius Principes in cuſtodia detentos voluit, eosque ipſe mandatis a Regina inſtructus & aliis quibusdam ex aula comitatus, d. 13. Febr. A. 1651 liberavit, tanta cum ſubmiſſione, ut Condei genua amplexus gratiam & protectionem ejus imploraret; inde relicta Gallia, Coloniam Agrippinam petiit, & apud Electorem tutum & benignum hoſpitium invenit, ex quo per literas aulam Gallicam non multo aliter, quam ſi præſens eſſet, regebat. *Condeus* etſi magna cum lætitia Lutetiæ exceptus, & cum aula in ſpeciem reconciliatus, ſinceram tamen Reginæ & Regis jam pubertati proximi benevolentiam aſſequi non potuit, plurimos etiam ex amicis, factis dictisque fervidioribus a ſe alienavit, ita ut brevi nihil tutum Lutetiæ videns, ad copias ſuas, quas duce *Tavannio* in finibus Picardiæ habebat, ſeſe recipere cogeretur. Secuta tamen eſt nova aulæ cum *Condeo* reconciliatio, ejectis ejus gratia viris in miniſterio regio celeberrimis, *Tellerio, Servieno* & *Lionneo*. Iterum tamen *Condeus* pompa & comitatu nimius Regem offendit, novisq; ſuſpicionibus de fœdere cum Hiſpanis ita gravatus eſt, ut Regis nomine in Parlamento publice de illo crimine accuſaretur; quam imputationem & ipſe oretenus fortiter in Senatu repulit, acerrime repreſſo Coadjutore & poſtea Archiepiſcopo Pariſienſi & Cardinali *Gondio*,

Digitized by Google

dein edita apologia. Cum vero interea Rex annum ætatis XIV attigiſſet, & ſolenni ritu menſe Septembri inauguratus eſſet, facile conjecit *Condeus*, graviora ſibi ab aula metuenda eſſe, quod Regi utut puero, tam aperte reſiſti non poſſet, ac matri tutrici, cujus tamen conſiliis hac regis ætate ſumma conſtabat autoritas, nec *Mazarini* imminuta erat, ita ut pro oraculo aulæ, abſens licet, haberetur. Evecti eodem tempore ſunt ad miniſteria aulæ tres viri, quos ob ætatem & barbas prolixiores vulgo barbatos (*barbons*) vocabant: *Caſtellonovus* ad primarias expeditiones; *Moleus* ad cuſtodiam regii ſigilli; *Vivilleus* ad ærarii curam; inviſi & infeſti pariter *Condeo*. Ille itaque non ſolum ſolennitati conſecrationis regiæ non interfuit, ſed ſpe omnis favoris aulici abjecta, in Aquitaniam ejusque metropolin *Burdigalam* partibus ſuis addictam evaſit. *Tavannius* in Campania, Hiſpanorum copiis ſubnixus, arma expediverat. Depoſita inde ſimulatione *Mazarinus*, licet contrarium Rex Parlamento pollicitus eſſet, ineunte anno 1652 revocatus in aulam, ſummoque cum honore & gaudio exceptus fuit, reſtituti etiam in priſtinas functiones *Tellerius* & reliqui. At Parlamentum, renovata *Funditorum* factione, audacius, editis acerrimis in *Mazarinum* edictis ſævit, patrocinantibus *Aureliano*, *Nemoroſio* & *Belloſortio* Ducibus (Orleans, Nemours & Beaufort;) nomen etiam & opes factioni afferente *Aureliani* filia ex priori matrimonio, ditiſſima virgine *Montpenſeria*. Collectæ itaque copiæ, tentatæque ſunt urbes regni a fœderatis, exiguo tamen cum ſucceſſu, parum concordantibus factionis ducibus, multisque occaſionibus neglectis, ut *Tavannius* paſſim ingenue indicat. Regi vero & aulæ fortiſſime militavit, deſertis Principibus, *Turennius*, nec infeliciter menſe Aprili cum Condeo prælium quoddam ad *Blenavium* commiſit, quanquam *Tavannii* judicio victoria illa extenuetur. Principes Lutetiam ſeſe receperunt, & *Tavannius* Stamparum urbem commeatu refertam occupavit, cladem tamen paulo poſt a *Turennio* paſſus, quod invitus licet, & poſtulante Montpenſeria, ſpectaculi cauſa copias in aciem eduxiſſet; interim enim in ſuburbio mille & quingentos ſuorum amiſit. Obſidioni inde Stampenſi Rex ipſe per aliquot dies interfuit: cum vero in eum ex tormento minori (*falconetum* vocant, nec majora habebant obſeſſi) inſcio quidem & in alia urbis parte tunc agente *Tavannio* exploderetur, ſummum illi odium apud Regem ſuggeſtione æmulorum concitatum eſt, ita

Digitized by Google

ita ut reſtituto licet poſtea Condeo, gratiam tamen Regis ſinceram recuperare & ad dignitates meritis ſuis pares emergere non potuerit, domi conſeneſcere coactus. De hoc fato ſuo querelas non leves inſtituit, ita ut harum potiſſimum cauſa commentarium hunc edidiſſe videatur. Obſidio Stamparum ad Idus usque Junii fruſtra continuata, ſoluta demum fuit adventante in auxilium *Carolo Lotharingiæ Duce*. In hunc vero vehementer invehitur *Tavannius*, quod conſiſtentibus jam adverſa fronte exercitibus, adigi ſe a *Turennio* una manu gladium, altera diploma regium oſtentante, paſſus ſit, ut absque pugna diſcederet, & Galliam ſociosque turpiter deſereret, acceptis & ſubſcriptis, quas Rex offerebat, qualiscunque pacificationis conditionibus. Regiæ copiæ poſtmodum Lutetiæ admotæ ſunt, *Turennio* & *Fertao Seneterrano* ducibus, pugnatumque eſt in ipſis ſuburbiis, ut Principum cohortes in urbem recipi neceſſe fuerit, perſuadente ad id cives *Montpenſeria*. Verum tanta inde exarſit plebis inſolentia, & in Mazarinum ira, ut pleraque per tumultum fierent, nec cædibus abſtineretur, nulla quidem, ut *Tavannius* teſtatur, *Condei* culpa. Verum etiam Regem multa urgebant: deerat commeatus, & Hiſpanorum exercitus ex Belgio appropinquabat, omnisque ſpes concordiæ cum Principibus & Parlamento abjicienda erat, niſi *Mazarinus* aula & regno iterum ejiceretur. Abiit igitur vel ſua ſponte, ut quidam exiſtimarunt, vel monitus a Conſiliariis Regis reliquis, & in Epiſcopatus *Leodienſis* oppido *Bullione* receptaculum invenit. Mutatis deinde, ut fieri ſolet, ſubito populi Pariſienſis animis, magno ſtudio conciliatio cum Rege quæſita eſt. *Condeus* ad copias ſuas novis Lotharingi, quem pacificationis nuperæ cito tæduerat, auxiliis auctas egreſſus eſt. Turennius illis exercitum regium oppoſuit, caſtra ad confluentes *Sequanæ* & *Icaunæ* fluminum metatus ſpatio incommodo & anguſto, ut a *Tavannio*, qui Principum exercitum admoverat, ſine dubio opprimi poſſe videretur, eaque ſpe ita efferretur Condeus, ut Lutetiam rediens de republica quaſi jam victor conſilio diſponeret. Artibus autem aulæ, & mobilitate plebis Pariſienſis, ipſiusque Ducis Aureliani ſolita inconſtantia, effectum eſt, languente etiam ex morbo Condeo, ut ad conciliationem civitatis cum Rege ſerio omnia inclinarent. *Turennius* etiam, ut erat non minus ſolers quam promptus, viam invenit ex iniquo caſtrorum loco copias ſub initium menſis Octobris absq; damno educendi, & Lutetiam accedens

Digitized by Google

negotium pacis promovit, ita ut Rex d. 21. Octob. fauſtis cum acclamationibus populi regiam ſuam intraret. *Condeus* exercitum in hiberna ad fines Campaniæ & Belgii dimiſit, eaque occaſione munita quædam Galliæ oppida in Hiſpanorum poteſtatem pervenerunt. *Mazarinus* manu militum 4000 collecta, inſidias ſibi ſtructas feliciter evaſit, & ab obvio *Turennii* exercitu in Galliam reductus eſt. Condeus pacis conditiones, quæ offerebantur, aſpernatus, novoque ſubſidio 6000 militum, quos Princeps *Tarentinus*, *Tremollii* Ducis filius, menſe Decembri adduxerat, firmatus, bellum continuare decrevit, neque id ante pacem poſt annos octo initam finem habuit. Memorat hic *Tavannius*, ut ipſe poſt adventum *Tarentini*, & traditum huic a Condeo ſupremum in copias imperium, miſſionem petierit, ægre licet impetratam. Abolitio inde regia d. 3. Januar. A. 1653. data cum literis Cardinalis Mazarini, opera ſoceri ſui *Ducis de Treſmes* miſſa ipſi eſt, ſpes quoque de gratia Regis & augenda dignitate facta; ipſe tamen tunc temporis conſultius eſſe cenſuit, ut in prædiis ſuis viveret. Queritur vero iterum, quod nec aulæ placuerit, neq; apud Condeum remunerationem fidelitati ſuæ parem invenerit. Hæc eſt libelli hujus ſumma, quoad præcipua hiſtoriæ momenta, omiſſis brevitatis cauſa multis narrationibus particularibus memoratu licet haud indignis. *Tavannius* ſtatim atque ducatu copiarum ſeſe abdicaverat, in ſingulari certamine cum *Marchione Quintino* cognato *Turennii*, a quo pravo inter illius ordinis viros more provocatus erat, magnum vitæ periculum adiit, ipſius tamen adverſarii generoſitate ſuperavit. Cum enim huic lethale vulnus inflixiſſet, famuli ejus tres *Tavannium*, qui unum tantum adduxerat, nec propinquum ſatis habebat, a tergo adorti interfeciſſent, niſi jacens jam in terra & morti proximus Quintinus illi acclamaſſet, ut ſibi caveret: converſus itaque ictum ſibi intentatum declinavit, & aggreſſores fortiter in fugam conjecit.

TOMUS II. AUTOGRAPHORUM LUTHERI & coætaneorum, ab anno 1517 usque ad annum 1546, in Sereniſſimi Principis RUDOLPHI AUGUSTI Brunſvicenſium & Luneburgenſium Ducis Bibliotheca domeſtica Brunſvigæ reconditorum.

Brunſvi-

Brunſvigæ, ex officina Zilligeriana, 1691, in 8.

Conſtat plagulis 18.

DE auſpiciis, ſcopo & utilitate hujus catalogi diximus in recenſione
Tomi I. Actis noſtris anno 1690. p. 601. inſerta. Jam ſecundus
in publicum prodit, cum ampla & erudita præfatione, cujus autor no-
men nunc ſuum, (quod in ea, quæ Tomo I. præmiſſa eſt, diſſimulave-
rat) profitetur; eſtque is M. *Hermannus* von der Hardt / cujus eru-
ditionem Lipſia noſtra ante aliquot annos perſpexit, quaque jam inſi-
gni cum fructu gaudet Academia Julia, in qua Profeſſoris linguarum
orientalium munus cum laude ſuſtinet. Ex præloquio hoc, quia in-
dicem librorum referre non poſſumus, pauca quædam annotamus.
Præclare diſſeritur, quantum conducat veritati hiſtoriæ, & inprimis ec-
cleſiaſticæ, diligentia in conſervandis majorum ſcriptis & monumen-
tis, & quantum noceat tepor & negligentia in illa cura & in continua-
tione eorum quæ bene cœpta olim fuerunt. Adduntur de hoc inſignia D.
Lutheri monita, & exempla ſcriptorum memorabilium; v. g. epiſtola pag. 16.
Martini Meieri Cancellarii Moguntini ad *Æneam Sylvium* tunc Cardi-
nalem, poſtea Pontificem Pii II. nomine inſignitum, anno 1457 data: 17.
Gravis de corruptelis Eccleſiæ ante Lutherum querela A. 1496 a *Wolf-*
gango Aytingero conſcripta. Indicatur modus, quo impacta nuper 21.
a ſcriptore Gallo, egregio & celeberrimo ſcriptori Johanni Sleidano
calumnia, ex collatione variarum Commentarii ejus editionum refelli
poſſit; id quod hujus indicii beneficio & opera clariſſimi Hardtii præ-
ſtabitur in opere *Seckendorffiano* propediem edendo. Antiqua porro
quædam indulgentiarum ante Lutherum diplomata, teſtimonium craſ- 23.
ſisſimæ ſuperſtitionis præbentia exhibentur; ut & *caſuum*, quos vocant
reſervatorum & *taxarum pœnitentiariarum* autores nominantur. 26.
Quæ vero de utilitate in conſervanda ejuſmodi librorum memoria di-
cta ſunt, eximio judicio D. *Gisberti Voëtii* celeberrimi inter Reforma- 30.
tos Theologi ex *Libro II. cap. 2. Bibl. Stud. Theol.* confirmantur, item-
que exemplo ſcriptoris Angli *Davidis Echlini*. Meritiſſimo itaque jure 35.
prædicat Autor *Sereniſſimi Brunſvicenſium Ducis RUDOLPHI AU-* 36.
GUSTI inexplicabilem ſolicitudinem, & inexhauſtum deſiderium, quo
multis ab annis hoc egit, ut evaneſcentibus antiquis ac ponderoſisſimis
monumentis reſurgendi ſpem faceret. Apertius quoque iterum ſigni-
ficat,

Digitized by Google

ficat, *Celſitudinis* ejus intentionem fuiſſe, ut laudato operi *Secken-*
pag.38.39 *dorffiano* opis atque lucis aliquid ex conquiſitis magno labore nec par-
vo ſumtu & communicatis libris accederet; quod quomodo ſucceſſerit,
ex ipſo opere, cui nunc in typographiis noſtris ultima manus admo-
278. vetur, Lectores percipient. Subjunctus eſt Tomo huic II. epilogus,
in quo ſingularis eruditio *Johannis Murmelii* Ruræmundani, Scholæ
Monaſterienſis ante reformationem moderatoris commendatur, pro-
ducta memorabili *Johannis Bugenhagii*, qui poſtea *D. Pomerani* no-
mine inclaruit, tunc vero Ludimagiſtrum Treptovienſem ſeipſum no-
minavit, ad Murmelium epiſtola anno 1512 ſcripta; carmina quoque
in ejusdem viri laudem ab *Ulrico Hutteno* & *Joh. Piſtorio Bilſeldenſi*
288. edita. Additur elogium poematis *de omnibus officiis ad bene beateque*
vivendum pertinentibus, a *Dominico Mancino* Italo elaborati, & anno
1516 Lipſiæ publicati, quod permiſſu Sereniſſimi Principis, cura *Hard-*
tii nuperrime recuſum extat.

HISTOIRE DE CHARLES VIII PAR Monſieur Varillas, i. e.

Antonii Varillaſii Hiſtoria Caroli VIII Galliæ Regis.

Hagæ Comitum, apud Adrianum Moetjens 1691, in 12.

Conſtat plagulis 11.

REplet Autor locum, quem inter Ludovicum XI & XII Galliæ Reges vacuum reliquerat, *Caroli VIII* hiſtoria, licet a multis tradita, libris voluminis hujus quinque renovata. In dedicatione ad Regem ſuum parallelismos, quales in voluminibus prioribus, (videantur *Acta noſtra A. 1688. p. 661. & A. 1689. p. 511.*) concinnaverat, denuo inſtituit. Ait enim Carolo VIII ſapientiorem eſſe Ludovicum XIV, quod ille matrimonium *Margaretæ* Auſtriacæ, quam Maximilianus I. Imperator ex *Maria* Burgundica ſuſceperat, & qui in dotem offerebatur, Burgundiæ & Arteſiæ Comitatus, male conſultus ſpreverit; Hic vero *jure devolutionis*, quod indubitabile vocat, *Arteſiam & Burgundiam* acquirere non neglexerit, & ceſſionem ab Hiſpanis pactis *Neomagenſibus* obtinuerit. *Carolus*, ut Autor judicat, ex ſuperſtitione, & corruptos

ruptos Sacerdotes ſequens, Comitatum *Ruſcinonenſem* & *Cerdanium* Ferdinando Arragonio gratis reſtituit; *Ludovicus* recuperavit, & terminum regni ad Pyrenæos montes protulit. Fœdus ab Imperatore Maximiliano, Italis, & Hiſpanis Carolo oppoſitum, pro exiguo habet Varillaſius, conſiderato illo, quod hodie contra Ludovicum, ut Autor ſcribit, *Auguſtæ Vindelicorum inchoatum*, *Mindæ continuatum*, & *Magdeburgi perfectum eſt*, *inter Curiam* (ita hanc a Pontifice diſtinguit) *Romanam, Leopoldum Imperatorem, Carolum II Hiſpaniæ Regem, Angliam, Scotiam & maximam partem Hiberniæ, Fœderatum Belgium, & Ducem Sabaudiæ.* Addit, tanto majori gloria dignas eſſe victorias contra tot tantosque hoſtes hucusque a Rege ſuo obtentas, ex quibus argumentatur, illum a nemine, quam a ſe ipſo vinci poſſe. Denique *Carolo* objectam fuiſſe dicit averſionem a literatis; at ſummam in eos beneficentiam *Ludovici* prædicat, & ſuo exemplo comprobat Autor.

In admonitione ad Lectores, ut ſolet, adminicula quædam ſingularia, quibus uſus eſt, indicat, tum inventa & conjecturas ſuas commendat. Autorem apologiæ pro Anna Ludovici XI filia, *Comitiſſa Bellojovienſi* (Beaujeu) ſive *Duciſſa Borboniæ*, ut poſtea vocata fuit, *Lib. I.* hujus hiſtoriæ relatæ, fuiſſe conjicit *Martialem Arvernum* Procuratorem in Parlamento, quem ob eruditionem laudat, ſpeciatim ob librum, quem inſcripſit *Decreta amoris*, (Arrets d'amour.) Acta *Franciſci Aureliani*, Comitis Longavillani, in cauſa matrimonii *Annæ Britannicæ* cum Maximiliano Auſtriaco, & Carolo VIII Rege, *Lib. II.* allegata, debere ſe profitetur ultimo *Duci Longævillæ*, qui anno 1672 in tranſitu Rheni periit. Excuſat, quod *Lib. III.* paucos ex Nobilitate, quæ Carolum VIII in Italiam ſecuta eſt, nominaverit; numerum enim majorem eſſe, quam ut inveſtigari, nedum recenſeri nominetenus poſſit. Cum enim Rex equitum haſtatorum quatuor millia ſecum duxerit, & ſinguli, ut pro certo affirmat, quatuor armigeros ſive famulos habuerint, eosque omnes ex Nobilitate, numerum equitum ad viginti millia adſcendiſſe computat. Ad *Librum IV.* ſupplementum addit narrationi de *Comite Ligniacenſi*, qui inter duces Caroli in bello Italico fuerat, & memorabilem ejus caſum refert, quod ſub regno Ludovici XII ex indignatione deceſſerit, altero die poſtquam intellexiſſet, alium ſibi a Rege in præfectura exercitus tunc in Italiam deſtinati prælatum eſſe, eodemque fato poſt menſem extinctam uxo-

Digitized by Google

rem ejus, ex illuſtri in Neapolitano regno familia ductam. Ad *Librum* denique *V*, *Gilbertum Montpenſerium* Ducem Gallicum, cum *Antonio de Leva* Hiſpanarum copiarum Præfecto comparans, hunc extreme malum, ſed felicem, illum bonum & fortem, ſed ſucceſſu deſtitutum fuiſſe tradit.

Ex Opere ipſo, quod ordine & integrum enarrari non poteſt, excerpemus, quæ inter legendum occurrerunt, aliisve judicavimus nota-
pag. 1. biliora. *Lib. I. Carolo VIII* ingenium tribuitur, quod excoli potuiſſet, niſi *Ludovicus XI* parens ejus, ex invidia & cautela minime probanda, educationem filii negligere, quam talem procurare maluiſſet, qua ſapientior, quam patri expediret, fieri potuiſſet. Notat tamen, Carolum adultum lectione librorum hiſtoricorum & politicorum delectatum fuiſſe, eamque ob cauſam commentarios Julii Cæſaris a *Roberto*
p. 10. *Gaguino* Gallice verti curaſſe. Eadem calliditate a Ludovico XI filiam ſupra nominatam Annam, magnæ ſapientiæ & virtutis fœminam, *Petro Borbonio*, regii quidem ſanguinis Principi, ſed pauperi & ſtupido elocatam fuiſſe, cui tamen adminiſtrationem regni, dum impubes eſſet Carolus, per teſtamentum detulit; unde periculoſæ factiones
18. it. 31. inter proceres regni mox ortæ ſunt, jus tamen tutelæ *Anna* per ſolertiam ſuam, habito Ordinum Regni conventu, tenuit. Primum illa regiminis ſpecimen dedit, ſupplicio de *Olivario Dama* vili homine, ſed Ludovico XI ob miniſterium in flagitiis præſtitum chariſſimo, juſtiſ-
29. ſime ſumto. Iniquiſſimæ autem in alia Galliæ parte, Britannia nempe Aremorica, oppreſſionis exemplum fuit *Guilielmus Chreauvain*,
24. *Franciſci* ultimi illius provinciæ Ducis Cancellarius, qui æmulatione & ſævitia peſſimi hominis, *Landaſii*, patre ſartore nati, ſed immodico Ducis favore ad ſummum in aula & militia locum evecti, indicta cauſa, ſqualore carceris diuturni & demum fame enecatus eſt: autor vero ſceleris poſtea ſeditione populari captus, & invito licet inſcioque Hero infamium criminum reus peractus & ſuſpendio ſublatus fuit. Subjunguntur multa de rebus Anglicis & Aremoricis, quorum veritas pendet a fide, qua manuſcripta ab Autore allegantur. Toto enim hoc opere, ut in hiſtoriis antehac editis facere conſuevit, pro ingenio ſuo ita verſatus eſt Autor, ut pleraque nova quadam forma induerit, quæ delectationem lectoribus affert, certe tædium demit.

Lib. II. prolixe exponitur, quibus conſiliis & artibus Carolus

VII

Digitized by Google

VIII *Annam* Britannici Ducatus heredem Maximiliano Auſtriaco jam per procuratorem nuptam eripuerit, nec minori inſolentia *Margaretam* Maximiliani filiam, impuberem quidem, ſed ſibi jam legitime & ſolenniter junctam & aliquot annis Lutetiæ educatam, repudiaverit & domum remiſerit. Exemplum vix habet atrox & duplicata injuria, excuſatur tamen non ſolum, ſed & laudatur ab Autore,& Caroli Regis pag. 144.
ſimplicitas irridetur, quod ſoluto matrimonio provincias dotales, Comitatum nempe Burgundiæ & partem Arteſiæ, ſibi jam traditas repudiatæ reſtituerit. Philippus Cominæus in negotiis aularum & ſcriptis ſuis illuſtrius nomen ſibi peperit, quam ut vel mediocriter doctis ignorari poſſit. Hujus calamitatem, quam poſt mortem Ludovici XI, cui chariſſimus erat, ob ſocietatem cum Duce Aureliano incurrit, ex *MSStis* 145.
refert Varillaſius, faſſus tamen non omnia, quæ ad plenam cognitionem requiruntur, in actis reperiri. Quæ in dedicatione tetigerat de reſtitutione Comitatus *Ruſcinonenſis*, hic pluribus perſequitur, culpam duobus monachis Franciſcanis tribuens. Hi enim lagenas, aureis 152.
nummis vini loco repletas, a Rege Hiſpanorum accepiſſe ferebantur, & clamoribus ſuis Regem ejusque tutricem & proceres aulæ obtundebant, dictitantes animam Ludovici XI ex purgatorio liberari non poſſe, eosdemque cruciatus Carolo VIII olim expectandos eſſe, niſi Comitatus ille Ferdinando Arragonio reſtitueretur. Refutat hic Autor ſcriptores Hiſpanos, & qui eos ſequuntur Gallos, tradentes reſtitutionem illam ideo gratis factam eſſe, ut Ferdinandus agnatum ſuum Regem Neapolitanum, cui Carolus bellum intentabat, deſereret. Duo enim 154.
pacta diverſa inter utrumque Regem facta a ſcriptoribus confundi dicit: prius initum eſſe A. 1492 de reſtitutione illa Ruſcinonenſi, alterum A. 1493 de expeditione *Neapolitana*. Hujus cauſas ab origine repetit, non tam ex autoribus, qui extant, quam ex ſuo ingenio ſpecioſe reconcinnatas. Taxat per occaſionem *Scipionem Gentilem*, Epiſcopum 164.
Aretinum, ob immodicam laudis ab eruditione & eloquentia captationem, quam conſiliis publicis, quibus pax Italiæ ſervari potuiſſet, nocuiſſe putat. Affert quædam ex manuſcriptis de geſtis Pontificum, inprimis *Alexandri VI. Ludovici* vero *Sfortiæ* hiſtoria plurimas libri paginas implet, nec non Regum Neapolitanorum & familiæ *Medicea*. Jus Galliæ Regum in Provinciam, itemque regna Neapolis atque Siciliæ, ex tribus diſpoſitionibus & ceſſionibus *Renati Andegavenſis*
 Regis

Regis Neapolitani ejusque agnati & heredis Caroli Comitis Cenomanorum deducit. *Renatus* nempe A. 1478 Ludovico XI Provinciam conditionibus in pacto expreſſis tradidiſſe dicitur: deinde A. 1480 con-
pag. 179. dito teſtamento Carolum modo dictum fratris ſui filium heredem ſcripſiſſe, excluſis filiabus ſuis earumque poſteris: denique Carolum iſtum, quicquid a *Renato* patruo acceperat, A. 1482 *Ludovico XI* legaſſe. Fœderis conditiones inter Carolum VIII & Ludovicum Sfortiam initi, ex tabulis authenticis exponit, refellitque veteres autores, qui ſcripſerunt, *Sfortiæ* Principatum *Tarentinum* cum jure ſupremo articulis ſecretis a Rege promiſſum fuiſſe.

Libro III. hiſtoriam *Franciſci Sfortiæ*, qui poſt mortẽ Philippi Mariæ, ultimi ex Vicecomitum familia Mediolanenſium Ducis, ducatum invaſit, ejusq; ſucceſſorum *Galeatii, Johannis Galeatii*, & *Ludovici* proli-
208. xe explicat; ubi obiter monet, jus Auſtriacum in Mediolanenſem ditionem rectius ex *Philippi* illius teſtamento, quo *Alfonſum* Regem Neapolitanũ hæredem ſcripſit, quam ex inveſtitura Cæſarea defendi poſſe, quia ſcil. tota ſucceſſio Regum illorum Neapolitanorum ad Auſtriacos pervenit. De matrimonio *Maximiliani I.* Imperatoris cum *Blanca Sfortia*, & inveſtitura *Ludovico Sfortiæ* facta, multa cum acrimonia & ſatyrico in Imperatorem ſale tractat. Cum vero jam dudum inæqualitas illius matrimonii Maximiliano exprobrata a ſcriptoribus fuerit, ipſe excuſandi ejus ſpecie, *Friderici III.* (parentis Maximiliani) exem-
16. plum proponit, qui *Eleonoram*, Johannis Portugalliæ Regis, cujus mater Judæa fuerit, neptem uxorem duxerit. Miratur, neminem ex ſcriptoribus intra duo ſecula hoc pro Maximiliano allegaſſe. Hujus itaque argumenti, pulchre ſcilicet inventi præmium debetur Varillaſio, qui tamen cogitare debuit, hoc aculeó, ſi quis eſt, ſuum etiam Regem pungi, qui ab Eleonora illa per Sereniſſimam Matrem ſuam, Annam Auſtriacam, itidem genus ducit. Conſultius fortaſſis etiam Hiſtoricus
237. Regius in Gallia fœdus Alexandri VI cum Turcis diſſimulaſſet, niſi eo ipſo Gallica fœdera cum Barbaris exemplum & excuſationem invenire putarit. Major tamen utique Pontificis, qui ſe pro Vicario Chriſti gerebat, culpa fuit, quæ extenuari non poteſt excuſatione quam affert, quod Papa non qua talis, ſed ut Princeps politicus, ſupremusque regni Neapolitani Dominus cum Turcis pepigerit. Reliqua hujus libri parte recenſentur acta Caroli VIII cum Pontifice & Florentinis, tum imma-

Digitized by Google

immania Ferdinandi ſenioris, filiique ejus Alfonſi, Regum Neapolitanorum, flagitia & facta.

Liber IV. occupatum celeriter a *Carolo VIII* regnum Neapolitanũ, reditumq; ejus periculoſiſſimum in Galliam deſcribit. Non tacet Autor errores & vitia Caroli, quibus felicitatem ſuam ipſe corruperit, pro- pag. 305.
ſecutionem victoriæ neglexerit, pompas inanes & voluptates ſectatus ſit, opes regni luxu & inconſideratis donationibus exhauſerit, nobiles ex Andegavenſi factione, quibus regni poſſeſſionem magna ex parte debebat, meritis præmiis privaverit, cives denique, quos Reges priores facili acceſſu dignabantur, per faſtum repulerit & infenſos ſibi reddiderit. Alexandri VI deteſtabile facinus memorat, quod *Zizimum, Bajazetis* Turcorum Imperatoris fratrem, non ſolum penſione Turcica annua quadraginta millium aureorum in cuſtodia tenuerit, ſed etiam, cum ex pacto cum Gallis, *Zizimus* ille Carolo VIII Regi tradendus, ejusque nomine prætexto belli titulus contra Bajazetem quærendus eſſet, corrumpi ſe a Turcis, trecentorum millium aureorum pretio paſſus fuerit, ut lentum venenum *Zizimo* propinaretur, quo paulo poſt extinctus eſt. Refert etiam *Hieronymi Savonarolæ* acta cum Carolo Rege, ut ei bona & mala prædixerit, & niſi ad reformandam Eccleſiam animum ſerio appelleret, exitium minatus fuerit. Operoſa eſt deſcriptio prælii ad Tarum amnem, ſive *Fornovum* oppidum, d. 15. Jul. A. 1490 cum fœderatorum Italorum exercitu, qui Gallico quadruplo major fuit, ita commiſſum, ut Rex illis profligatis, iter ſuum in Subalpina & inde in Galliam proſequi potuerit. Duplici autem modo pugnæ iſtius hiſtoriam proponit, aliter nempe ex Gallorum, aliter ex Italorum relatione, judicium & electionem lectoribus deferens, utris aſſentiri velint. 310. 345. 363. 375.

Libro V. ſub initium *Cominæum* & *Guicciardinum* perſtringit, in deſcriptione prælii illius, ut putat, hallucinatos. Galliæ Regi imputat, quod male conſultus occaſionem occupandi in itinere illo Ducatus Mediolanenſis neglexerit. *Jovium*, cujus venalem calamum reprehendit, eatenus tamen laudat, quod *Conſalvum Cordubenſem* (*Magni Capitanei* nomine celebrem) jura divina & humana violaſſe fateatur, dum Gallorum res in Italia proſterneret, & regnum Neapolitanum Hiſpanis vindicaret. De matrimonio Ferdinandi junioris, qui anno 1496 regnum illud recuperavit, cum amita ſua ita loquitur, ut diſpen- 391. 394. 398. 427.

 ſatio-

Digitized by Google

ſationem Pontificis non ſatis probet. Guicciardino denuo dicam
ſcribit, quod in hiſtoria obſidionis Novarienſis fidem corruperit non
alia ex cauſa,quam ut perſonam fingeret,cui orationem ,in quibus com-
pag.443. ponendis ſcriptor ille gloriam affectare videtur, apte poſſet tribuere.
Multus poſt hæc eſt in detegendis Caroli Regis noxiis conſiliis & actis,
affectibusque *Briſſoneti* Cardinalis, quo miniſtro primario utebatur.
460. Secuta itaque eſt præceps & fugæ ſimilis ex Subalpinis in Galliam redi-
tus, totiusque regni Neapolitani amiſſio, conſumto cladibus & morbis
toto Gallorum exercitu, cum ipſo duce Montpenſerio ſupra nomina-
483. to. In dubium vocatur ab Autore *Petri Bembi* Veneti *hiſtorici* rela-
tio, qua patriæ ſuæ eandem laudem tribuit, quam Romani olim repor-
tarunt, cum Pyrrho Epirotarum Regi perfidiam medici ſui revelaſſent.
Idem enim feciſſe, narravit *Bembus*, Senatum Venetum, cum illo tem-
pore aulicus quidam Caroli VIII ex eadem Epirotarum ſive Albano-
rum gente polliceretur, ſe Regem veneno ſublaturum eſſe. Negat enim
Varillaſius, in aula Regis ullum ex iſta natione fuiſſe, & rationes expo-
nit,per quas mors Caroli Venetis nullum allatura fuiſſet emolumentum.
Magnam inde iterum negligentiam Caroli accuſat, quod matrimonium
Philippi Auſtriaci cum *Johanna Arragonia*, cum poſſet, non impedi-
verit; agnoſcit tamen divinam providentiam,quæ per conjugium iſtud
potentiæ,ad quam natus ex illo Carolus V Imperator poſtea evectus eſt,
fundamenta ſtruxerit. Carolo VIII filii fuerant, ſed ante Patrem
defuncti, & ſpes prolis ſimul defecit, quod is corpus vagis libidinibus
526. exhauſiſſet. Secutus eſt etiam ipſius Regis ſubitus interitus ex apoplexia.
De vitiis & defectibus ejus ſat multa dixit Autor: adſcribi tamen mere-
528. tur, quod de ejus emendatione in fine hiſtoriæ ſubjunxit. *Seria*,ait,
*converſionis argumenta fuerunt, quod Rex novas leges gubernationis,
quam ipſe jam tractare & gerere cœperat, miniſtris antea obſequi ſo-
litus, inſtituit; jurisdictionis & œconomiæ rationes ordinavit; convi-
ctos concuſſionis depoſuit aut ab officio ſuſpendit; bis in hebdomade &
ſupplicantes etiam pauperrimos & tenues ex populo audivit; labora-
vit in reſtituenda diſciplina Cleri; abuſum pluralitatis beneficiorum ec-
cleſiaſticorum,quantum in ſe fuit,ſuſtulit; redituum ſuorum rationes i-
pſe inveſtigavit; tributorum modum ad ſummã duodecies centenorũ mil-
lium librarum reduxit; conſiliarios & miniſtros perſpectæ probitatis ele-
git, & cum eo tempore eminentis virtutis & induſtriæ viros non facile
inveni-*

Digitized by Google

inveniret, eos tamen prætulit, quorum mores culpari non poſſent; abſtinere cœpit a dicteriis laſcivis & indecentibus, quibus antea adſueverat, nihilque ex eo auditum amplius fuit, quam quod reverentiam erga Deum, & tenerum in ſubditos amorem indicaret. Ita ſe juvenis adhuc ad vitam futuram præparabat, tanquam non diu præſenti fruiturus. Inſigne continentiæ ab illo editæ ſpecimen d. l. refert Autor, narrans, quomodo juvenculam eximiæ formæ in civitate *Aſtenſi* ſtupri cauſa ad ſe ductam, in medio libidinis ardore, precibus & lacrymis ejus victus, intactam dimiſerit & honeſte elocatam munifice dotaverit.

PHILOSOPHIÆ CARTESIANÆ ADVERSUS Cenſuram P. D. Huetii Vindicatio, autore D. Andrea Petermanno.

Lipſiæ, apud J. C. Meyerum, 1690, in 4. Plag. 8.

JO. EBERHARDI SCHVVELINGII EXERCItationes Cathedrariæ in P. D. Huetii Epiſcopi Sueſſionenſis Cenſuram Philoſophiæ Carteſianæ.

Bremæ, typis Herm. Braueri, 1690, in 8. Plag. 30.

JO. SCHOTANI EXETASIS CENSURÆ, QUA P. D. Huetius Philoſophiam Carteſianam inique vexavit.

Franequeræ, typis Jo. Gyſelaar, 1691, in 8. Plag. 28.

VIx dum in lucem prodierat *Carteſiana Philoſophiæ Cenſura Huetiana*, cum ſtatim ſuos quoque nacta eſt cenſores. Et primus quidem omnium has partes ſibi ſumſit Vir experientiſſimus *D. Andreas Petermannus* Anatomiæ hoc tempore in Academia noſtra Profeſſor Publicus. Secuti hunc ſunt Vir conſultiſſimus *Joh. Eberh. Schwelingius*, Juris pariter atque Philoſophiæ naturalis in illuſtri Gymnaſio Bremenſi Doctor publicus, & clariſſimus Vir *Joh. Schotanus a Sterringa*, Philoſophiæ in Lyceo Franequerano Profeſſor. Atque *hic* quidem *Exetaſi Cenſuræ Huetianæ* ipſum Huetii ſcriptum inſeruit, acriusque paulo dicendi genus adhibuit; *iſte* fuſe rem omnem diſcuſſit; *ille* autem

tem ſtricte breviterque Carteſium defendit. Ut ergo adpareat, quid reſponſum fuerit Huetio, præcipue quoad illa, quæ in Actis Januarii A. 1690 recenſuimus, *Schvvelingii* nunc librum, & eum quidem ſolum, ne uno in argumento nimii ſimus, paucis recenſebimus; inprimis cum *Petermanni* liber dudum jam in doctorum virorum manibus verſetur, brevique tempore perluſtrari poſſit, *Schotani* vero opus in officinis noſtris librariis frequentius quam Schvvelingii ſit obvium. Id autem generatim in Huetio reprehendit Schvvelingius, quod vix unquam Domini DesCartes ſententiam candide propoſuerit, plerumque vero affinxerit ipſi opiniones abſurdas, ut larvas haberet, quibuscum depugnaret. Nam ad *primum Cenſuræ caput*, in quo *dubitationem* Carteſianam & propoſitionem, *Ego cogito, ergo ſum*, tantopere exagitat Cenſor, regerit Schvvelingius, dubitationem illam non in rigore ſummo eſſe accipiendam, ſed nihil aliud ſignificare, quam remedium illud mentem a præjudiciis avertendi, dum nihil decernimus, aut pro vero vel falſo habemus; eo ſolum fine, ut rationes, quæ aſſenſum aut diſſenſũ vel invitis extorqueant, inquiramus. Carteſiũ enim, cum videret nihil eorũ, quæ ſenſibus & intellectu cognoſcuntur, de quorũ tamen veritate apud ſe vel maxime eſſet convictus, per philoſophiam receptã adverſus rationes dubitandi, quibus Athei & Sceptici abutuntur, defendi ſatis poſſe, conſilium cepiſſe de cogitationibus ſemel in limine philoſophandi quam maxime avertendis ab omni præcognito, quod experiretur ab hoſtibus veritatis per objectiones, quæ promte refutari non poſſent, dubium reddi poſſe, donec inveniret veritatẽ quæ a nemine in dubium vocari poſſet. Cum ergo incidiſſet in hoc primũ cognitum, ſe exiſtere rem cogitantem, ceſſaſſe omnem ἐποχὴν, quæ potius laudanda in ipſo, quam vitio ei ſit vertenda. Quamvis autem Des-Cartes unico didicerit intuitu ſe cogitare & exiſtere, cum hoc ipſum ſine regulis dialecticis & absq; illatione per immediatam conſcientiam cognoſcatur, recte tamen exiſtentiam inferri ex cogitatione, cum plus dicat τὸ cogitare quam exiſtere, ac proinde mirum non eſſe, ſi in cogitatione actuali exiſtentia rei cogitantis includatur, cum in præmiſſis virtualiter lateat concluſio. Porro, quia particularia notiora nobis ſunt univerſalibus, ita ut, dum cognoſcimus particularia, eadem opera univerſalia quoque intelligamus, recte dici poſſe, generalia lumine naturæ eſſe cognita, poſtquam adeſt notitia ſpecierum, atque hinc Dn. Des-Cartes poſt detectam primam verita-

Digitized by Google

veritatem optimo jure alia generalia admitti jubere. Nihil etiam aliud hoc enunciato, *Ego cogito, ergo ſum*, ſignificari, quam quod intelligi vult Carteſius, falſumque eſſe duplicem adhiberi cogitationem, cum mens cogitat ſe eſſe rem cogitantem. Tandem Carteſio injuria tribui, ac ſi ſtatuerit, Deum fallere nos poſſe; cum hæc ſit Scepticorũ objectio ab illo propoſita, ut oſtenderet, eam nequaquam labefactare poſſe primam veritatem a ſe inventam, quæ ſua certitudine & evidentia ita convinceret animum, ut aſſenſum denegare non poſſet.

Ad *ſecundum* Huetii *caput* ſequentia reſpondentur: Viam qua Dn. Des-Cartes ad *veritatis criterium* pervenerit, regiam omnino rectamque fuiſſe. Cum enim ipſi innotuiſſet veritas prima, *ſe exiſtere rem cogitantem*, vidiſſe illum quoque, cauſam, cur tantopere de illa certus eſſet, non eſſe aliam quam claram ac diſtinctam perceptionem, & hinc merito concluſiſſe, alia quoque vera eſſe, quæ æque clare ac diſtincte cognoſceret, ac proinde admittenda ceu nulli obnoxia dubitationi. Quod vero modo lumen naturale, modo perſpicuitas pro criterio allegetur, id nullam arguere inconſtantiam, cum una eademq; res per diverſa hæc nomina intelligatur. Neque etiam circulum committere Carteſium, dum modo, ut Huetius ait, ex eo quod clara & diſtincta perceptio vera ſit, colligit ſe eſſe, atque item Deum; modo vero ex eo quod ſit Deus, colligit claram & diſtinctam perceptionem veram eſſe. Ipſum enim ante demonſtrationem de exiſtentia Dei, infallibiliter certum fuiſſe de ſe deque criterio veritatis, nondum tamen perfectam habuiſſe ſui & criterii veritatis ſcientiam per cauſas. Cognita vero demum exiſtentia Numinis, cauſam criterii a priore dediſſe hanc, quod Deus omniſcius atque optimus nec fallere poſſit aut falli, neque etiam, ſalva ſua immutabili veracitate, intellectum condere, qui aliquid videat, quod non ita ſe revera habeat, prout ab illo videtur; atque hoc ſenſu docuiſſe, niſi nobis conſtet Deum eſſe, fierique non poſſe ut nos fallat, nihil a nobis perfecte ſciri poſſe, nec ipſa etiam Theoremata Geometrarum. Fruſtra autem cavillari Huetium regulas methodi, quibus *clare*, *diſtincte*, *ordine*, *adæquate* contemplari res propoſitas juſſerit Des-Cartes; falſumque plane eſſe, illum pluribus argumentis probabilibus vim certiſſimi argumenti tribuiſſe; aut Carteſianos ſtatuere, quod habent in mente, id omne exſtare extra mentem.

De *mente humana* vera ſenſiſſe Carteſium, contra ac Huetius pu-

tat *capite* ſuæ Cenſuræ *tertio*, Schvvelingius ex eo conficit, quod cogitatio eſt primum & immediatum mentis attributum, nec non ipſa ſine corpore optime poteſt concipi. Licet vero ex hac hypotheſi colligitur, minime pertinere corpus ad eſſentiam animi, negat tamen Carteſii Hyperaſpiſtes hinc ſequi, ſola mente totum conſtare hominem, aut Carteſium hoc unquam docuiſſe. Quæ deinde ad ſenſum corpori aſſerendum ſubjicit phænomena Cenſor, ea, judice Schvvelingio, nequaquam confirmant animam non ſentire, ſed optime explicari poſſunt ex hypotheſi Carteſiana, quæ animam per corpus ſentire ultro concedit, perfectamque ſenſationem illam vocat, cum animus exceptos organis ſenſoriis motus percipit, illique perceptioni ſuum ſuperaddit judicium. Porro Carteſii ſententia de Ideis commode explicatur, oſtenditurque Huetium, dum evincere conatur, nihil eſſe in intellectu quod non fuerit in ſenſu, & tamen concedit ideas univerſales ab intellectu effingi, ſibi ipſi non conſtare. Tandem de animæ ſede diſputatur, & glandula pinealis a telis, quibus eam Cenſor impetit, defenditur. Quæ ad illa, quibus *argumentum ad exiſtentiam Dei probandam* a Carteſio excogitatum impugnatur *capite quarto* Cenſuræ Huetianæ, reponuntur, prolixum eſſet omnia referre. Concedit quidem Schvvelingius, inſpectionem creatarum rerum ad Dei cognitionem nos deducere per vias, quas Scholaſtici cauſalitatis, eminentiæ & negationis adpellant, ſed methodos haſce præſupponere jam Ideam Numinis innatam, eamque ſolum explicatiorem clarioremque efficere, contendit. Carteſium vero a petitione principii liberat dicendo, ipſum quidem ante inventam demonſtrationem de exiſtentia Dei, certum fuiſſe de rebus variis per immediatam experientiam, ſed poſt Deum demonſtrative cognitum, illas quoque per cauſas ac ſcientifice cognoviſſe.

Porro illa, quæ in *capite quinto, ſexto & ſeptimo* Carteſii *doctrina phyſica* objecta ſunt, ita diluuntur: Dn. Des-Cartes recte corporis eſſentiam conſtituere in extenſione, cum in corpore nihil deprehendatur quam diviſibilitas, mobilitas, figurabilitas, ſituabilitas, dimenſionumque ac menſurarum certarum capacitas, quæ omnia ab extenſione dependeant. Ipſum mundos uno plures exiſtere poſſe negaſſe, quia id repugnet naturæ rerum, neque tamen definiviſſe, quid per potentiam Dei abſolutam fieri poſſet. Vim argumenti Carteſiani, quo naturam corporis non in duritie aut mollitie conſiſtere oſtenditur, Adver-

ſarium

ſarium non fuiſſe aſſecutum, cum in eo non de translatione totius corporis ſermo ſit, ſed de inteſtino particularum inſenſilium motu: mundum autem infinitum dici, quia nullas cognoſcimus extenſionis mundi fines. Speciatim ad *argumentum Henr. Mori*, in quo præſidium validiſſimum ponit Huetius, reponitur, falſam aſſumi a Moro hypotheſin, quod ſcil. particulæ illæ minutæ, ex quibus ortus hujus mundi derivatur, fuerint æquales, & vel cubi vel priſmata hexagona. Nullibi enim hoc Carteſium determinaſſe, ſed potius diſertis verbis fateri, hæc ſola ratione definiri non poſſe, cum potuerint innumeris iisque diverſiſſimis modis a Deo temperari. *Gravitatis* autem *cauſa* dum vindicatur ab Adverſarii inſultu, objicitur eidem, non recte intellectam ipſi fuiſſe Carteſii ſententiam, qui non in ſolos globulos cauſam gravitatis retulerit; neq; ipſum ſatis conſideraſſe æqualitatem ſitus terræ ac vorticis eam peculiariter ambientis, ut habeant ambo unum axem, ſitque terræ ſuperficies in omnibus axis ſui punctis plane recta, & perpendicularis globulis oppoſite verſantibus; ex quo fiat, ut ad rectos angulos gravium preſſiones ubique in ſuperficie terræ peragantur, nec ipſis exceptis polis, per quos effluens materia ſubtilis gravia corpora deorſum propellat.

Tandem in *ultimo capite* plura odioſa & falſa, quam vera contineri, oſtendit Carteſii vindex. Falſum enim eſſe, quod a Chriſtianæ religionis placitis ſit aliena philoſophia Carteſiana, licet cum inepto Transſubſtantiationis dogmate conciliari non poſſit, cui & ipſe Renatus renunciaſſet amplexurus Reformatorum fidem, niſi eriſticis de confraternitate Mariana Voetium inter ac Mareſium ſcriptis abſterritus fuiſſet. Falſum quoque eſſe, quod ejus aſſeclæ ſint elegantiorum literatum oſores, Ariſtotelemque nullo in numero habeant, quodque Des-Cartes ex antiquorum ſcriptis omnia furtim ſublegerit, cum incertum ſit, an veteres eodem modo ſua explicarint dogmata, ac Carteſius, qui ſuæ methodo inſiſtens omnia, quæ propoſuit, ex principiis ſemel adſumtis derivarit.

G. G. L. DE SOLUTIONIBUS PROBLEMATIS Catenarii vel Funicularis in Actis Junii A. 1691, aliisque a Dn. J. B. propoſitis.

Iii 2 Valde

Digitized by Google

VAlde delectatus ſum lectis tribus Problematis a *Galilæo* propoſiti, a D. *Bernoullio* renovati, ſolutionibus inter ſe conſentientibus, quod indicium eſt veritatis, apud eos valiturum, qui talia accurate non examinant. Etſi autem omnia conferre non vacaverit, in ſumma tamen rei manifeſta eſt concordia. Legem tangentium, & extenſionem curvæ catenariæ in rectam invenimus omnes, & cum curvedinis menſurā olim in *Actis Junii A. 1686, p. 489*, (introducto novo contactus genere, quem oſculum appellare placuit) explicuerim per radium circuli curvam oſculantis, ſeu ex omnibus circulis tangentibus maxime ad curvam accedentis, eundemque adeo quem ipſa curva ad rectam facientis angulum contactus, placuit celeberrimo *Hugenio* (animadvertenti centra horum circulorum ſemper incidere in lineas a ſe primum inventas, quarum evolutione deſcribuntur datæ) ſpeculationem huc applicare, & inveſtigare radium curvitatis vel circulum oſculatorem curvæ catenariæ, ſive ejus curvam evolutione generantem, quam & dedit ſolutio *Bernoulliana*. In *Hugeniana* autem, diſtantia quoque habetur centri gravitatis catenariæ ab axe. In *Bernoulliana* & mea, ejusdem diſtantia tam ab axe quam & a baſi aut alia recta, adeoque puncti determinatio, item quadratura figuræ catenariæ. Quibus ego in mea centrum gravitatis etiam hujus figuræ ſeu areæ adjeci. Conſtructionem lineæ Dn. *Hugenius* exhibet ex ſuppoſita quadratura curvæ, qualis eſt $xxyy = a^4 - aayy$, Dn. *Joh. Bernoullius* & ego reduximus ad quadraturam hyperbolæ; illo perbene adhibente etiam extenſionem curvæ parabolicæ in rectam, me denique rem omnem reducente ad logarithmos, eaque ratione obtinente, *perfectiſſimum in Tranſcendentibus exprimendi pariter & conſtruendi genus.* Sic enim unica tantum ſemel ſuppoſita vel habita ratione conſtante, de reliquo infinita puncta vera exhiberi poſſunt per communem Geometriam ſine interventu ulteriore quadraturarum, aut extenſionum in rectas. Lineæ Catenariæ mirum & elegantem cum Logarithmis conſenſum, ex mea conſtructione animadvertere fortaſſe non injucundum videbitur. Cæterum a Dn. *Hugenio* (egregii ex Tab. Sinuum compendii nobis ſpem faciente) obſervatum eſt, rem etiam reduci ad ſummam ſecantium arcuum, per minima æqualiter creſcentium. Idem & a me notatum fuerat, & cum in mentem veniſſet, ab iisdem pendere & lineæ rhombicæ ſeu loxodromicæ determinationem in uſum nautarum, quam jam multis abhinc annis

Digitized by Google

annis etiam ex logarithmis definiiſſe recordabar, excuſſi veteres ſchedas, & in *proxime præcedente Aprili p. 181 Actorum Erud. hujus anni* rem tandem publice exhibui. Contigit autem, ut Clariſſimus Baſileenſium Profeſſor Dn. *Jacob Bernoullius* Problematis Catenarii renovator, fraternæ ſolutioni, in *Junio nupero p. 282*, ſubjiceret etiam loxodromiarum conſiderationem, ubi multa detexit egregia; dedit etiam conſtructionem loxodromiæ ex ſuppoſita quadratura lineæ, cujus abſciſſa & ordinata ſint z & x, æquatio vero differentialis ad calculi mei ritum, ſit $\overline{dx} = t\,rr\,\overline{dz} : z\sqrt{\overline{rr - zz}}$. Ubi vero videbit, quomodo res a me reducta ſit ad quadraturam hyperbolæ aut logarithmos, agnoſcet credo nunc colophonem quodammodo impoſitum eſſe huic diquiſitioni, tantumque ſupereſſe, ut ad uſum practicum captumque popularem magis adaptetur. Ubi tamen annotare debeo, quædam in dicta mea lineæ rhombicæ conſtructione, Aprili nupero publicata, eſſe corrigenda. Nam pag. 181, lin. 12, pro *1l 2l*, ponatur *1l 3l*, & lin. 25 pro *1d3l* ponatur *2d3l*, & pag. 182, linea 20, pro *ſeu ad* $\frac{e}{1} + \frac{e^3}{3} + \frac{e^5}{5}$ &c. ponatur *ſeu ad* $\frac{e-(e)}{1} + \frac{e^3-(e)^3}{3} + \frac{e^5-(e)^5}{5}$ *&c.* Quod utique debuiſſe poni, ex præcedentibus apparet. Elegans eſt, quod Dominus *Bernoullius* habet, *Januarii nuperi p. 16*, de curvæ partibus quibuſdam diſſimilaribus inter ſe æqualibus. Porro *Junii p. 283* lineam finitæ magnitudinis, infinitos licet gyros facientem, non puto eſſe interminatam; cum finitæ ſit æqualis, & motu æquabili finito tempore percurri poſſit. Hæreo etiam circa id, quod ab eodem dictum eſt *menſe Januario proximo p. 21*, nullius curvæ Geometricæ in ſe redeuntis rectificationem (generalem) eſſe poſſibilem. Scio alium virum Clariſſimum ſimili argumento probare inſtituiſſe, nullius areæ curvæ Geometricæ in ſe redeuntis quadraturam indefinitam eſſe poſſibilem; viſum tamen eſt Dn. *Hugenio* non minus quam mihi, rem non eſſe confectam. Et ni fallor, dantur inſtantiæ, quibus tamen hujusmodi argumenta applicari poſſunt. Hæc veritatis amore, non contradicendi ſtudio a me notata, ſpero non diſplicitura, cum aliis egregie dictis nihil detrahant. Ego certe eo ſum animo, ut viros præclare de literis meritos ac merituros, lubentiſſime nec ſine voluptate prædicem, hanc eorum laboribus honeſtiſſimam mercedem

Digitized by Google

deberi judicans, quæ & in futurum incitamento, & ipſis & aliis eſſe poteſt. Negare non poſſum, mirifice mihi placuiſſe, quæ Celeb. *Bernoullius* cum ingenioſiſſimo juvene *fratre* ſuo fundamentis calculi novi a me jactis inædificavit, idque eo magis, quod excepto acutiſſimo Scoto *Joh. Craigio* nondum mihi occurrerat, qui eo fuiſſet uſus, ipſorum autem præclaris inventis rem, quam ſummæ utilitatis eſſe judico, & ab ipſis agnoſci video, ſpero latius propagatum iri in uſum rei literariæ. Nec dubium eſt, quin ea ratione Analyſis Mathematica perfectioni propius admoveatur, & Tranſcendentia hactenus excluſa ei ſubjiciantur. Egregie a Dn. *Bernoullio* annotatum eſt, in omni puncto flexus contrarii rationem inter *t* & *y*, vel *dx* & *dy*, eſſe omnium poſſibilium maximam vel minimam. Et omnino non dubito, ipſos aliqua detecturos, ad quæ pervenire mihi ipſi difficile eſſet futurum: ſuperſunt enim, in quibus nondum ipſe optata brevitate rem conficere poſſum. Et quemadmodum mihi, qui in has meditationes occaſione *Paſcalianorum* & *Hugenianorum* ſcriptorum potiſſimum incidi, ad ea pervenire progrediendo licuit, quæ ex illis non facile deducentur, & quæ antea vix ſperabantur: ita credo, mea qualiacunque aliis adhuc abſtruſioribus occaſionem præbitura. Et ſane gratulor clariſſimo B. affinia problemati catenario danti & daturo, ſi nempe catena ſit inæqualis craſſitiei, ſi funis ſit extendibilis, ſi pro fune gravi adhibeatur lamina elaſtica, ac denique de figura veli; de quibus vellem mihi cum eo conferre nunc liceret, ſed diverſiſſimi generis laboribus diſtractiſſimus ægre nuper a me obtinere potui, ut repertam jam ante annum ſolutionem propoſiti ab ipſo Problematis tandem elaborarem & in ordinem redigerem, quæ etiam moræ cauſa fuit. Cæterum quia ipſe *p. 290* conjicere voluit, qua occaſione, aut quorum ante me ſcriptorum auxiliis potiſſimum ad has meditationes devenerim, placet id quoque candide aperire. Eram ego hoſpes plane in interiore Geometria, cum Lutetiæ Pariſiorum A. 1672 *Chriſtiani Hugenii* notitiam nactus ſum, cui certe viro, poſt *Galilæum* & *Carteſium*, & has literas publice, & me in ipſis privatim plurimum debere agnoſco. Hujus cum legerem librum de *Horologio Oſcillatorio*, adjungeremque *Dettonvillæi* (id eſt *Paſcalii*) Epiſtolas & *Gregorii a S. Vincentio* opus, ſubito lucem hauſi, & mihi, & aliis quoque qui me in his novum norant inexpectatam, quod mox ſpeciminibus datis oſtendi. Ita mihi ſeſe aperuit ingens numerus theorematum, quæ corollaria

tantum

Digitized by Google

tantum erant methodi novæ, quorum partem deinde apud *Jac. Gregorium* & *Iſaacum Barrovium* aliosque deprehendi. Sed animadverti fontes non ſatis adhuc patuiſſe, & reſtare interius aliquid, quo pars illa Geometriæ ſublimior tandem aliquando ad analyſin revocari poſſet, cujus antea incapax habebatur. Ejus elementa aliquot abhinc annis publicavi, conſulens potius utilitati publicæ, quam gloriæ meæ, cui fortaſſe magis velificari potuiſſem methodo ſuppreſſa. Sed mihi jucundius eſt, ex ſparſis a me ſeminibus natos in aliorum quoque hortis fructus videre. Nam nec mihi ipſi integrum erat hæc ſatis excolere, nec deerant alia, in quibus aditus novos aperirem, quod ego ſemper palmarium judicavi, ac methodos potius, quam ſpecialia licet vulgo plauſibiliora æſtimavi. Poſtremo unum adjiciam, etſi ab hoc loco alienum, optare me, ut D. *Bernoullius* expendere dignetur, quæ circa æſtimationem virium *D. Papino* altera vice repono, præſertim in fine, ubi detexiſſe videor fontem erroris popularis. Optime urget *Julio nuper & p.321.* nihil virium deperdi, quod non alicubi impendatur; ſed differunt vires & quantitas motus: & præterquam, quod quanto firmior obex, eo minus potentiæ in ipſo perditur, certiſſimum eſt, obſtacula in data quavis ratione diminui poſſe, & obſtacula attritus ſeu frictionis non eſſe proportionalia celeritati (ut monui in *ſchediaſmate de reſiſtentia*) eſſe quidem reſiſtentiam medii, ſed nihil prohibet fingi oſcillationes in loco aere exhauſto, aut medio quantævis tenuitatis; poſtremo abſtrahendus eſt animus a circumſtantiis variabilibus, ad ipſam per ſe rei naturam indagandam.

G. G. L. DE LEGIBUS NATURÆ ET VERA æſtimatione virium motricium contra Carteſianos Reſponſio ad rationes a Dn. P. menſe Januarii proximo in Actis hiſce p. 6 propoſitas.

CUm varia impedimenta promtius reſponſuro obſtiterint, facile a Clariſſimi Antagoniſtæ humanitate veniam ſpero. Ut brevitati qua licet conſulatur, disquiſitionem de cauſa gravitatis cum ipſo nunc ſepono. Primaria de virium æſtimatione quæſtio eſt, quas ſcilicet ſemper easdem natura conſervat. Plerique vim æſtimant producto ex mole in velocitatem ſeu quantitate motus, unde & *Carteſiani* volunt,

eandem

eandem in natura motus quantitatem conſervari. Ego contra oſtendi in *Actis Erudit. Mart. 1686 pag. 16*, cum conceſſum ſit a plerisque, potiſſimum ab ipſis *Carteſianis*, ejusdem potentiæ eſſe elevare unam libram ad quatuor pedes, aut quatuor libras ad unum pedem; non poſſe vim æſtimari per quantitatem motus, nec corpus librarum 4 velocitatem habens gradus unius tantum valere, quantum corpus libræ unius velocitatem habens graduum quatuor; quoniam ſi illud unam libram poſſit elevare ad pedes 4, hoc eandem poſſit elevare ad pedes 16. Huic meo argumento quidam reſpondere conati, ſeſe ita implicuerunt, ut non ſatis rem percepiſſe videantur, dum conceſſerunt æſtimationem potentiæ in ratione molis & altitudinis, ad quam moles vel pondus attolli poteſt. Sed Dn. P. recte vidit, hac admiſſa, æſtimationem in ratione molis & velocitatis ſtare non poſſe; itaque de hac perſuaſus, illam negat *Act. Erud. April. 1689, p. 183*, & argumentum quoddam ſuum pro velocitate in pari mole viribus proportionali affert. Ego reſpondens *Act. Erud. Maji 1690, p. 228*, & rem altius repetens, docui ex contraria ſententia ſequi inæqualitatem cauſæ & effectus, imo motum perpetuum, quæ abſurda videantur. *Virium* enim *inæqualium* ea eſſe definivi, quorum ſi unum aliquod in alterius locum ſubſtitui ſupponatur, naſcatur motus perpetuus ſeu effectus *potior* cauſa, & ſubſtitutum tunc eſſe *potentiæ majoris*, id cui ſubſtituitur, *minoris*. Oſtendi autem machinatione quadam adhibita, ſi globus quadrilibris velocitatem habens ut 1 totam ſuam vim transferre ſupponatur in globum unilibrem, isque proinde ſecundum vulgarem ſententiam debeat recipere velocitatem ut 4; oriturum eſſe effectum potiorem cauſa, ſeu motum perpetuum mechanicum. *Potius* autem hic voco, in quo vel in cujus effectu continetur alterum (*inferius*) aut ejus effectus, & adhuc aliquid præterea; ſeu *potius* & *inferius* vel *majus* & *minus* hoc loco ſunt, cum contenta (formalia vel virtualia) hujus in illius contentis inſunt & aliquid præterea. Ita potius eſt, quod attollere poteſt libram ad 16 pedes, quam quod ad 4; nam illud etiam libram attollit ad 4 pedes & præterea adhuc ad 12 pedes.

Clariſſimus P. menſe *Januario Actorum hujus anni* partim ad meum argumentum reſpondet, partim ad ſuum quod *nectit*, accuratam reſponſionem jure ſuo poſtulat. Sequar præeuntem eo libentius, quod & perſpicaciam ejus & candorem animadverto. Interim ad argumenti mei partem tantum reſpondere videtur. Concedit candide, motum

perpe-

perpetuum ex vulgari ſententia ſecuturum eſſe, ſi globi 4 librarum, velocitatis ut 1, tota vis transferri poſſit in globum unius libræ, ſed hoc fieri poſſe negat. Ego (inquit *p. 9 Act. Erud. hujus anni*) *& motum perpetuum abſurdum eſſe fateor, & demonſtrationem ex ſuppoſita translatione eſſe legitimam.* Et mox, *ſi mihi indicet rationem aliquam, qua tota vis motrix ſine miraculo ex corpore majori transferri queat in minus & quieſcens, ego vel motum perpetuum vel victas manus dabo.* De ratione hoc efficiendi poſtea, nunc dicam ad vim mei argumenti, ea non omnino eſſe opus. Mihi enim ſatis fuit oſtendere, 4 lib. veloc. 1, & 1 lib. veloc. 4 non poſſe eſſe virium æqualium; cum ſi *ſupponimus* unum in alterius locum ſubſtitui, ſequatur motus perpetuus. Non igitur opus habeo, ut oſtendam modum *actu* efficiendi hanc ſubſtitutionem. Si quis autem neget meam hanc virium æqualium & inæqualium definitionem (quam tamen Dn. P. admittere viſus eſt) ego, ne de nomine litigemus, id tantum quæram, an non reapſe natura eam obſervet, ſeu an non caveat, ut nunquam ea ſibi ſubſtituat *actu*, quorum ſaltem alterutro alteri ſubrogato motus perpetuus oriri poſſit. Certum eſt experimenta prorſus favere, nec ullum exemplum in contrarium extare. Hoc conceſſo, non habeo opus, ut tota vis corporis majoris actu transferatur in corpus minus; ſufficit mihi exempli cauſa (quod concedere videtur Dn. P.) totam vim minoris in majus transferri poſſe. Itaque ſi tota vis 1 libr. veloc. 4 transferatur in corpus librarum 4, & hoc adeo ſecundum vulgarem ſententiam recipiat velocitatem ut 1, incidetur in id abſurdum (contra conceſſa) ut eorum unum ſubſtituatur alteri, quorum alterum poſſit viciſſim ſubſtitui ipſi, quin motus perpetuus oriatur. Et ita ſequetur, naturam in transferendis viribus æqualitatis leges non ſervare effectuum reſpectu. Quod ſi etiam pro parte retineri vim, & pro parte transferri ponamus, in idem tamen abſurdum incidemus. Erunt fortaſſe, qui vel omnem æqualitatis inter cauſam & effectum legem tollent (quales ſunt qui motum perpetuum admittentes, quantumvis effectum per quantulumcunque produci poſſe putant) vel ſaltem negabunt quidem motum perpetuum ſeu effectum cauſa potiorem eſſe poſſibilem; admittent tamen, ut effectus eſſe poſſit inferior cauſa. Sed vix credere poſſum, Dn. P. huc deſcenſurum. Cum enim effectum cauſa potiorem eſſe non poſſe conceſſerit, videretur effugium quærentis potius quam ſibi ſatisfacientis, cauſam

 admitte-

Digitized by Google

admittere majorem effectu totali, cum utrumque æque a ratione abhorrere videatur. Sequeretur etiam, cauſam non poſſe iterum reſtitui ſuoque effectui ſurrogari, quod quantum abhorreat a more naturæ & rationibus rerum, facile intelligitur. Et conſequens eſſet, decreſcentibus ſemper effectibus, nec unquam rurſus creſcentibus, ipſam rerum naturam continue declinare perfectione imminuta; (fere ut in moralibus ſecundum Poetam, ætas parentum pejor avis, tulit nos nequiores &c.) nec unquam reſurgere & amiſſa recuperare poſſe ſine miraculo. Quæ in Phyſicis certe abhorrent a ſapientia conſtantiaque Conditoris. Videturque inter prima principia hujus doctrinæ recipi poſſe, ut ſemper cauſa & effectus (integra integro) æquipolleant. Et ſane ipſius Dn. P. judicium & candorem appello, an rationi conſentaneum ipſi videatur, ut pro potentia quæ poterat attollere unam libram ad 16 pedes, oriatur mox potentia quæ poſſit attollere unam libram non niſi ad 4 pedes? reliqua potentia neſcio quomodo amiſſa, & ut ita dicam annihilata, ſine ullo veſtigio effectuq; relicto. Quod utiq; contingeret, ſi pro 1 libr. veloc. 4 ſuccedere poſſet 4 lib. veloc. 1. Quin imo effici poterit, ut totus effectus ſubſtitutus vix milleſimam aut centeſimam milleſimam &c. partem ejus quod cauſa poterat, præſtare poſſit. Nam ſi pro 1 libr. veloc. 1000 ſubſtituatur 1000 lib. veloc. 1. (quod ſecundum vulgarem ſententiam fieri poteſt) effectus ad milleſimam partem redigitur, quæ videntur perabſurda. Et generaliter poſito, primum dari A veloc. c, & B veloc. e, translationes vero & concurſus eſſe A veloc. (c) & B veloc. (e) & ſecundum regulam vulgarem a *Carteſianis* maxime defenſam, ſervandam eſſe quantitatem motus, ſeu eſſe Ac + Be æqu. A(c) + B(e), tales aſſumi poſſunt numeri, ut eadem abſurda oriantur.

Mirarer autem, ſi ipſi Dn. P. nihil ſubnatum eſſet ſcrupuli, tum hinc, tum quod videret vim meæ demonſtrationis inevitabilem eſſe, niſi aliquid ſine omni ratione poſſibile negetur, id eſt niſi naturæ rerum denegetur facultas efficiendi vel immediate & directe, vel mediate & per ambages, ut tota potentia majoris corporis alicujus transferatur aliquando in quoddam corpus minus antea quieſcens. Profecto ſententia quæ eo redacta eſt, ut ſtare non poſſit, ſi hoc reperiatur *poſſibile*, valde laborat atque in periculo verſatur. Ut taceam, non videri generalem naturæ legem a tali conditione debere ſuſpendi, & ſuſpectum eſſe effugium, quod nulla poſtulata admittit niſi actu procurata; ut ſi quis

Digitized by Google

quis Archimedi poſtulanti negaſſet, aliquam rectam alicui curvæ æqualem eſſe, quia nullam poterat Geometrice exhibere. Itaque prope mihi perſuadeo, Dn. P. expenſis omnibus tandem in noſtram ſententiam inclinaturum. Si quis tamen abſurda paulo ante indicata concoquere poſſet, in ejus gratiam tentabo, quod Clariſſimus Antagoniſta poſtulat, *modum indicare, quo natura efficere poſſit, ut potentia corporis majoris transferatur in minus quieſcens*. Poſſum autem afferre non unum. Et quidem ſi concedatur, poſſe totam vim minoris transferri in majus ſive motum ſive quieſcens, igitur A motum, majus B quieſcente dividamus in partes ipſo B minores, totius A velocitatem retinentes, & cujuslibet deinde potentiam in B transferendo ſucceſſive, tota ipſius A majoris potentia translata erit in B minus quieſcens. Aliter: A & B connectantur linea rigida quantum ſatis eſt longa, & in ea ſumatur punctum H quod ponatur ſiſti, ita ut compoſitum non progredi quidem, rotari tamen poſſit circa immotum punctum H, quod ſit tam vicinum ipſi A, & tam remotum a B, ut celeritas quæ inter circulandum competit ipſi A, ſit quantumvis parva. Ita poteſt A haberi pro quieſcente, vel quaſi, & tota quaſi vis ejus ſoluto mox nexu ſeu linea rigida ſublata, translata erit in B. Adhibeo lineas rigidas mole carentes, exemplo aliorum qui & puncta gravia fingunt, aliisque id genus demonſtrationum ſubſidiis utuntur, non utique aſpernandis, quando non de praxi, ſed rationibus indagandis agitur. Et compertum habeo, nunquam inde aliquid falſi deduci. Cum Florentiæ eſſem, dedi amico aliam adhuc demonſtrationem pro poſſibilitate translationis virium totalium &c. corpore majore in minus quieſcens, prorſus affinem illis ipſis quæ *Clariſſ. Papinus* ingenioſiſſime pro me juvando excogitavit, pro quibus gratias debeo, imo & ago ſinceritate ejus dignas. Quamvis enim mox ipſe reſpondere tentet, & pag. 11 de inſtantia a ſe ipſo facta ita diſſerat: *Ad id reſpondeo, negari non poſſe validitatem hujus argumenti, ſi ſupponamus vectem perfecte durum & rigidum, verum non datur in rerum natura ejusmodi perfecta durities*: Spero tamen, omnibus expenſis ipſummet animadverſurum, vim argumenti non ita facile eludi poſſe. Pro certo enim habeo, leges naturæ ac motus ita debere concipi, ut nullum oriatur abſurdum, etiamſi corpora ſumme rigida ponantur, quemadmodum & Dn. *Malebranchium* admonui. Neque ullum, credo, exemplum contrarium afferetur.

Digitized by Google

Quin & ſufficeret ad argumenti efficaciam, non eſſe impoſſibilia corpora perfecte rigida, etſi actu non darentur. Ut taceam, talia corpora ſecundum Atomorum Patronos neceſſario debere reperiri in natura. Quin etſi concedamus, nulla dari corpora perfecte rigida, imo nec dari poſſe, quoniam tamen elaſtica corpora promtæ admodum plenæque reſtitutionis in effectu rigidis æquipollent, idemque cum ipſis præſtant, exiguo quantum voles diſcrimine, itaque ſi ipſe vectis ſit ſufficienter rigidus, ſeu reſtitutionis quantum ſatis eſt plenæ ac promtæ, effici poterit, ut aberratio a perfecte rigido, ſit data minor, adeoque vis omnis noſtro argumento manebit, nec potuit motus perpetuus (ſaltem in theoria) evitari, niſi nuntius mittatur opinioni *Carteſianorum.*

Supereſt ut contrario Clariſſimi Antagoniſtæ argumento ſatisfaciam. Ejus enim ſpecioſitate videtur unice impeditus fuiſſe, ne meæ demonſtrationi manus daret, quod & ipſe p. 11 innuit, cum ait: *Satis eſt mihi aliquod argumenti dubium oſtendere, quum enim ſupra allata demonſtratio qua* Carteſianorum *ſententia probatur, ſit evidentisſima* (id cujusmodi ſit, nunc videbimus) *modo adverſa opinio eadem certitudine non gaudeat, ſatis liquet priorem eſſe proferendam.* Cum ergo dubium meæ demonſtrationi objectum ſuſtulerim, nunc contrarium argumentum ſolvere aggrediar. Quod huc redit: Quæ æqualem vincere poſſunt reſiſtentiam, eorum vires ſunt æquales; ſed corpus A 4 librarum, habens velocitatem unius gradus, & corpus B libræ unius, habens velocitatem 4 graduum, æqualem vincere poſſunt reſiſtentiam; ergo corporum A & B vires ſunt æquales. Minorem ratiocinatione p. 8 (ad formam Logicorum redacta) probat tali proſyllogisſmo: Quæ æqualem numerum impresſionum gravitatis vincere poſſunt, ea æqualē vincere poſſunt reſiſtentiam: ſed corpora A & B æqualem numerū impreſſionum vincere poſſunt. Ergo &c. Minor hujus proſyllogiſmi ſic porro probatur: Si corpora A & B aſcendant in planis ſimiliter inclinatis (vel etiam ambo perpendiculariter) tempora quibus ſuam aſcendendi vim conſument, ſeu pervenient quousque poſſunt, erunt ut celeritates, uti conſtat ex *Galilæi* ratiocinationibus. Sed celeritates in noſtro caſu ſunt reciproce ut corpora A & B (ex hypotheſi) ergo & tempora aſcendendi ſunt reciproce ut corpora A & B; ſed quantitas impresſionum gravitatis aſcenſu ſuperanda, eſt in ratione compoſita, & corporis in quod fit impreſſio, & temporis quo durante fit impresſio; (quoniam

Digitized by Google

(quoniam ſi corpus pariter & tempus dividantur in partes æquales, æqualis eſt impreſſio in qualibet parte corporis, & in qualibet parte temporis) Et ratio compoſita eorum, quæ reciproce proportionalia ſunt, eſt ratio æqualitatis. Itaque quantitas impresſionum, ſeu numerus æqualium impresſionum gravitatis in corpora A & B eſt æqualis. Ad hoc argumentum reſpondeo, negando minorem Syllogiſmi principalis, & ad probationem reſpondeo, negando majorem proſyllogiſmi ita habentem: Quæ æqualem numerum impresſionum gravitatis vincere poſſunt, ea æqualem vincere poſſunt reſiſtentiam. Hanc, inquam, propoſitionem nego, ſumendo ſcilicet *reſiſtentiam*, pro quantitate virium contrariarum. Et ne quis temere aut affectate eam a me negari putet, ſciendum eſt, in ea contineri id ipſum quod eſt in quæſtione. Cum enim impresſio gravitatis nihil aliud ſit, quam gradus velocitatis cuivis parti impreſſus, utique ſi reſiſtentiam ſeu vim contrariam paterer hac impresſione menſurari, concederem vim æſtimandam eſſe ex ductu velocitatis in corporis quantitatem, ſeu ex quantitate motus. Atque hæc quidem ad oppoſitum mihi argumentum.

Ego vero ut conſilii mei rationes tandem aperiam, quantitatem reſiſtentiæ ſeu effectus non æſtimo gradibus velocitatis, hoc eſt entibus modalibus ſive incompletis, ſed ſubſtantiis ſeu realibus abſolutis; atque in hoc neglecto πρῶτον ψεῦδος adverſæ partis conſiſtere arbitror, & ea judico VIRIBUS ÆQUALIA eſſe, quæ æqualem numerum elaſtrorum æqualium vi ſua ad eundem poſſunt tenſionis gradum perducere, aut quæ eundem numerum librarum poſſunt attollere ad altitudinem eandem ſupra cujusque ſitum priorem, vel etiam (ſi rem a phyſicis concretis ad pure mechanica traducere malimus) quæ æquali numero corporum æqualium eandem velocitatem imprimere poſſunt; aut denique quæ quamcunque rem potentia præditam (tanquam *menſuram*) æquali numero repetitam exhibere poſſunt. Et duo VIRIBUS INÆQUALIA, eam judico inter ſe PROPORTIONEM VIRIUM HABERE, quæ eſt proportio inter replicationes *menſuræ*, verbi gratia inter numeros æqualium inter ſe elaſtrorum, vel ponderum æqualiter ab ipſis intendendorum aut attollendorum, vel inter numeros corporum æqualium æqualem velocitatem ab ipſis recipientium. Hac æſtimandi ratione vires reducuntur ad quandam *menſuram*, ſemper ſibi congruam tantumque repetendam, & eveniet, ut æſtimatio facta ſecun-

Digitized by Google

dum unam menſuram pro arbitrio electam, ſuccedat etiam ſecundum aliam quamcunque; alioqui natura careret legibus. Aſt hæc non ſuccedunt, ſed invicem pugnant in æſtimatione per gradus velocitatis replicatos, quam oſtendi cum aliis irrefragabilibus & ſemper inter ſe conſentientibus æſtimandi modis non conſentire: cujus rei vera atque intima cauſa eſt, quod ſic nulla accurate loquendo vera & realis menſura adhibetur. Etſi enim (quod probe notari velim) fatear, tria corpora æqualia & æquivelocia præciſe triplo plus habere potentiæ quam eorũ unum, quia una eademq; menſura etiam hic ter repetitur; ter enim repetitur corpus quale ſingulorũ, certæ quantitatis: non tamen ideo concedo, corpꝰ tres habens velocitatis gradus, ter continere corpus ipſi æquale unum habens velocitatis gradum, aut adeo triplam ejus potentiã habere; etſi enim ter contineat velocitatis gradum, non tamen & quantitatem corporis ter continet, ſed tantum ſemel. Unde patet, velocitatem ab æſtimandarum virium officio a me non excludi: oſtendo enim, quicquid demum ad ipſarum determinationem afferatur, ut elaſtrum datæ tenſionis, pondus datæ magnitudinis & elevationis, corpus datæ molis & velocitatis &c. unum vel plura, ſi a cauſa poſſint præſtari aut exhiberi, poſſe etiam exhiberi ab effectu & viciſſim. Et quamcunque demum *realem* virium *menſuram* aſſumo, ſemper conſenſum reperio etiam pro reliquis. Sed ubi *modalis* quædam menſura aſſumta eſt, gradus verbi gratia velocitatis replicandus ſine replicatione corporis (ſtatuendo nimirum duorum corporum æqualium vires eſſe ut velocitates) illico induimur in abſurditates, & ſine cauſa vel amittimus partem potentiæ, vel lucramur. Quæ in exemplum utilia eſſe poſſunt, ne abſtractis nimium fidamus, neve in realis Metaphyſicæ præcepta impingamus. Ex his igitur intelligitur, quod hactenus a pleriſque in hoc negotio non ſatis recte proceſſum eſt, oriri ex defectu *Matheſeos vere generalis*, ſeu *ſcientiæ æſtimandi* in univerſum, quæ nondum quod ſciam tradita eſt, & cujus hic aliquod ſpecimen damus. Quod ſi jam numerus vincendorum elaſtrorum librarum aut aliorum effectuum realium inter ſe congruentium ad æſtimandam potentiam adhibeatur, ſtare non poterit recepta opinio: mea autem indubitato prodibit, ſimulque omnes illæ abſurditates ſupra hic adductæ ceſſabunt, nec unquam ſubſtituetur alteri, cui non alterum viciſſim ſubſtitui poſſit, neque unquam cauſa producere poterit, quod non & effectus integer poſſit aut viciſſim; quæ in adverſa ſententia

locum

Digitized by Google

locum non habent. Sed hæc prolixe deducere neceſſe non eſt, cum a Dn. P. aliisque hæc meditaturis facile animadvertantur. Gratiſſimum autem erit intelligere, an aliqua ſuperſint, in quibus Vir Clariſſimus nondum ſibi ſatisfactum putet, quæ ſi methodice & preſſo pede, ut ſolet, proponere volet, a me pariter ac Cultoribus harum literarum inibit gratiam. Spero enim hac ratione abſolvi quod reſtat, & collatione inter nos continuata tanti momenti negotium (quo conſtituendæ ſunt veræ leges naturæ) ad finem perduci poſſe.

JOHANNIS HENRICI EGGELINGII DE orbe ſtagneo Antinoi epiſtola.

Bremæ, typis Herm. Braueri, 1691, in 4. Plag. 5.

EPiſtolam hanc ad illuſtrem virum, *Gerbardum Molanum*, Liberi Imperialis Cœnobii Luccenſis Abbatem, clariſſimus Autor dedit Bremæ, ipſo natali ſuo, III. Eidus Maji 1691. Argumentum ſuppeditavit vetus monumentum ſtanneum, aut, ut Noſter cum *Cujacio* ſcribi cupit, *ſtagneum*, quod etiam ob formam orbicularem *orbis* nomine in frontiſpicio opuſculi appellat, cum *numi*, *pecuniæ*, *monetæ* titulos privato huic ſigno convenire non crederet, *metallionem* autem, more Italorum, dicere nollet, utpote barbariei vitandæ ſtudioſisſimus. *Orbis* ille ἑξάδραχμος in Peloponneſo prope Corinthum a militibus, ſocium ibidem humaturis, ex ſepulcris forte fortuna erutus, deinde Sereniſſimo Brunſvicenſium & Luneburgenſium Duci ANTONIO ULRICO, Eruditorum Principi, a centurione oblatus, abs eo dono datus eſt *Molano*. In ejus antica viſitur caput Antinoi cynædi ab Hadriano Auguſto inter Divos relati, cum epigraphe: OKTIΛIOΣMAPKEΛΛOC OPEΤCΤOΤANΤINOOΣ; i. e. Ὀςίλιος Μάρκελλος ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἀντινόου. Sic enim ſcribere voluiſſe imperitum ſcalptorem, certum eſt ex numis ab Illuſtrisſimo *Mediobarbo Birago* recenſitis. Conſtat autem, Hadrianum catamito ſuo & templa & ſacerdotes dicaſſe. Ac in his fuiſſe videtur *Hoſtilius Marcellus*. Hinc in poſtica absque lemmate extat *aries*, victima nempe abs illo in Antinoi honorem immolanda. Prolixe probare nititur Eggelingius, *Antinoum* quondam fuiſſe athletam. Et ejusmodi orbes æque ac numos contorniatos exornandæ palæſtræ inſerviiſſe. Tandem autem ſtagneum hunc diſcum ſepulcro illatum alicujus Antinoo familiariter noti, niſi forte is ipſe

Hoſtilius

Digitized by Google

Hoſtilius ille *Marcellus* fuerit; quod ſane non adeo improbabile. Idque triplici de cauſſa: aut ut inſtar hermarum ſepulcris impoſitorum, vices Deorum Manium expleret, ac Lemures Larvasq; ab oſſibus defuncti arceret; aut ut naulum Charontis foret; aut deniq; ut indicaret, quis illic loci ſitus eſſet.

Αὐθεντίαν monumenti hujus rariſſimi dubiam reddunt tum *materia*, tum *orthographia*. Licet enim olim ex plumbo vel nigro, vel albo ſeu ſtagno, diverſis temporibus & locis cuſi ſint numi; eorum tamen, præſertim circa Hadriani πολιτικώτατα tempora, nullus, vel interdictus uſus in rebus alicujus momenti fuit, ut vel ex ipſis Imperatoris hujus numis colligas, qui Monetam Deam non niſi A. A. A. (Auro, Argento Ærique) tutelam exhibentem repræſentant. Dein quis crederet, Hadriani literatiſſimi Principis, ac *Graculi* nomen iſthinc adepti ævo, tam fœde lapſos fuiſſe monumenti publici ſcalptores? Utrumque hunc ſcrupulum ſedulo removet doctiſſimus Autor, primum dicendo, quod ſtagnum quidem in publicis numiſmatibus non uſu venerit, bene tamen in privatis ornamentis palæſtrarum; dein exempla producendo ſimilium lapſuum in orthographia monetariorum & quadratariorum illius temporis. Viciſſim urget pro γνησιότητι orbis ſui, partim ἀμφίμαλλον ejus, ſeu ut Galli amant loqui, *patinam*, nigram ſaturi coloris omninoque talem, quæ non niſi longa annorum ſerie in ſtagno contrahi, a nulla vero arte effingi potuerit. Mox argumento eſſe monet *gibboſum* atque *crenatum marginem*, non dubium formæ malleique antiqui characterem. Ultimo loco magnum ſententiæ ſuæ pondus accedere ait ab *artificio* ſingulari *celaturæ*. Inde quippe concludit, orbem hunc non barbaris ſeculis eſſe effictum, quin ante Pertinacis tempora; quemadmodum etiam poſt reſtaurari cœptas bonas literas efformatum non eſſe, perſuaſus eſt, quod eo abhinc tempore Corinthiacus ager ſub Turcarum barbarorum poteſtate fuerit ad illum ipſum annum, quo ex ſepulcro erutus fuerit, cum aliis antiquitatis Romanæ ruderibus, orbis iſte Antinoi imagine conſpicuus.

* * *

Dum, Lector Benevole, *ſpatium* Novis Litterariis *aliis non ſupereſt, diſſimulare tamen non poſſumus celeberrimi & ſæpius nobis in his Actis ex merito laudati Polyhiſtoris,* Danielis Georgii Morhofii, *lugendum univerſo Litterato Orbi obitum, quippe qui Lubecæ d. 30. menſis Julii proximi ex diuturno languore & cachexia, anno ætatis quinquageſimo quinto expiravit.*

❧(o)☙

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Octobris, Anno M DC XCI.

LE TABLEAU DU SOCINIANISME &c.

id eſt,

Repræſentatio Socinianiſmi, in qua conſpicitur dogmatum Socinianorum impuritas atq; falſitas, & ſimul oſtenditur machinatio eorum, qui hæreſin Socinianam tolerandam eſſe contendunt; diviſa in duas partes, & diverſas ad vere fideles epiſtolas. Pars I.

Hagæ Comitum, apud Abrahamum Troyel, 1690. in 12.
Conſtat plagulis 26.

Autor libri *D. Petrus Jurius*, qui etſi nomen ſuum in titulo non expreſſerit, in ipſo tamen contextu non diſſimulat (vid. Ep. III. p. 131.) ad impugnandum Socinianiſmum incitatum ſe eſſe profitetur conſideratione ſummæ neceſſitatis, quæ urgeat, ut ſectæ hujus incrementis reſiſtatur. Queritur de calamitate Eccleſiarum Gallicarum, quod preſſæ perſecutionibus, adverſus irrepentes Socinianiſmi propagatores remediis ſufficientibus uti nequiviſſent. Eccleſiaſtæ munere privatum quidem quendam eſſe ait in Pictonibus, duosque alios ejuſdem hæreſis reos in Andegavenſi provincia detectos fuiſſe; ſed occulte ſerpſiſſe malum, donec univerſali illa proſcriptione diſperſi non ſolum pii & orthodoxi, ſed & hæretici iſtiusmodi doctores, in Angliam & Belgium venerint. Quanquam autem Deo gratias agit, quod horum non adeo magnus ſit numerus, ingentem tamen eorum eſſe ſignificat, qui peſtilenti opinione de indifferentia inter ſectas Chriſtianas (quam in libello pernicioſo de *reunione Chriſtianiſmi*, Gallice ante annos viginti edito, ſparſam eſſe ait) imbuti, Socinia- pag. 7.

Digitized by Google

nos tolerandos eſſe, & in illorum quoque doctrina ſalutem inveniri poſſe exiſtiment. Hoc imputat iis, qui contra gratiam ſufficientem
pag. 9. & invincibilem diſputent, *Arminianis* nempe, quos *Semiſocinianos* vocat, & paulo poſt aperte *Simonem Epiſcopium* omnium periculoſiſſimum Chriſtianæ religionis hoſtem eſſe pronuntiat, & omnes ejus diſcipulos pro Socinianis habet. Dolet etiam, quod ſcripta ejus in Academiis Britannicis publice explicari dicantur. Licet vero non neget,
11. licentiam tantos errores profitendi ex libertate religionis, ſive tolerantia politica diverſarum ſectarum ortum habere, Romanam tamen Eccleſiam in Gallia eadem hæreſi infectam eſſe ſtatuit, multoſque ex Clero illi adhærere, ſicut Politici, teſte *Huetio*, ad atheiſmum prolapſi ſint. Hæc ex introitu operis, ſive *epiſtolæ primæ* (in octo enim diſtributus eſt liber) exordio annotavimus, in qua poſtea ſyſtema Socinianiſmi proponitur. In hoc errores ſectæ ſummatim recenſet, eamque accuſat, quod Scripturæ autoritatem enervet, infallibilitatem prophetiæ neget, & utilitatem Veteris Teſtamenti extenuet; dein contradictiones & corruptiones in textu admittat; maxime vero, quod ſacras literas ſimpliciter humano judicio ſubjiciat, nec ex illis agnoſcat, quæ philoſophiæ repugnent, ſed potius quocunque modo explicanda eſſe contendat: unde fiat, ut æternitatem Filii Dei ejuſque ſatisfactionem neget, tum animarum lethargum aliaque ejuſmodi a Chriſtianiſmo
19. plane abhorrentia doceat; item, quod fidem juſtificantem Chriſtiano neceſſariam non eſſe putet, ſed ex mandatorũ obſervatione & promiſſis
20. ſalutem ſuſpendat; porro quod de Deo ideam habeat longe pejorem, quam Plato aut Zeno, dum omniſcium vel infinitum eſſe neget, omni-
27. potentiam ejus reſtringat, & materiæ, quam æternam ſtatuat, quaſi alliget, eaque minorem eſſe cenſeat, affectibus quoque ſubjiciat. Ad-
29. dit reliqua, quod Angelos & animas ex materia productas eſſe doceat, quod hominem juſtum & immortalem creatum eſſe neget, imaginem
32. vero Dei nihil aliud fuiſſe putet, quam uſum rationis & dominium in
36. bruta; quod de providentia Dei profanas habeat cogitationes, minuſque ei quam Platonici & Stoici tribuat; unde fiat, ut prædeſtinatio-
38. nem penitus tollat, omneſque Pelagii errores, ut & Novatiani foveat; item quod virtutem & utilitatem Sacramentorum inficietur, & baptiſmum pro indifferenti habeat; quod jus gladii Magiſtratibus auferat, & eatenus Anabaptiſtis aſſentiatur. Repetit, quod Trinitatem rejiciat, Chriſtum pro pura creatura habeat, incarnationem Verbi,
ut &

Digitized by Google

ut & redemtionem & ſatisfactionem ſimpliciter neget; immortalitatem animæ, quam aperte negare non audeat, debilitet, motum & actiones animæ corpori alliget, ſeparatæ vero a corpore ſoporem tribuat, impiorum prorſus annihilet; reſurrectionem tollat, dum novam animarum & corporum creationem ſtatuat, ex qua hypotheſi etiam judicium extremum locum habere non poſſit. Fatetur quidem, *Crellium* celebrem Socinianorum Doctorem, aliquanto obſcurius & veriſimilius ſcribere, ſed ad communem ſectæ ſententiam reſpici vult. Ex his omnibus concludit, Socinianiſmum adeo non eſſe Chriſtianiſmum, ut potius ſit formalis Chriſti abnegatio, & deſtructio atque ruina abſoluta religionis Chriſtianæ. Occurrit in fine iis, qui utilius eſſe dicunt, ut de his opinionibus ſileatur, idque in Gallia factum, & vix nomen ſectæ auditum eſſe notat. Fieri id quidem tunc absque magno periculo potuiſſe putat, ſed aliud nunc exigi, poſtquam libri pernicioſi, *Tumulus Socinianiſmi*, *Proteſtans Pacificus*, & ſimiles, (quibus tolerantia ſectarum univerſalis ſuadetur) lingua Gallica prodierint, & in hominum manibus verſentur. pag. 42.

Epiſtolæ II. articulo I. parallelismus inſtituitur, inter religionis Chriſtianæ dogmata, & Socinianorum errores. In hoc multa cum eloquentia oſtendit Autor, quantam quamque nobilem ideam de Deo verus Chriſtianiſmus concipiat, quomodo hominem ut creaturam cum Deo collatam deprimat, miſeriam culpamq; humanam evidenter ob oculos ponat, officium hominis egregiis argumentis liquide demonſtret, de myſteriis divinis cum ſumma doceat reverentia & majeſtatem eorum extollat. His omnibus (*Art. II.*) contraria doceri ſtatuit a Socinianis. Ideam enim de Deo deſtrui, creaturas in præjudicium Creatoris extolli, ſuperbiam hominis foveri, virtuti omnia adminicula ſubtrahi, diſciplinam morum principiis ſectæ illius ſubverti. Contemnit jactata de Socinianis pietatis exempla, eaque vel hypocritica eſſe, vel minime æquari iis dicit, quæ apud paganos quosdam olim, & hodie apud Indorum Philoſophos aliquos reperiuntur. Speciatim notat, dogmate Sociniano, quod Chriſtus perfectiorem legem, quam Moyſaicam, promulgaverit, manifeſto ſolvi obligationem hominis ex lege morali divina ortam, & conſcientias conſtringentem, quia lex Chriſti tantum foret poſitiva. Addit alia arguitque, quibus myſteria religionis Chriſtianæ prorſus evertant, dum illa rationis imperio ſubjiciant, & Scripturæ autoritatem elidant. 50. & ſeq. 64. & ſeq.

Digitized by Google

pag. 97. *Epiſtola III.* ab initio opponitur aliquid libello anonymi, cujus titulus refertur: *Advis ſur le tableau du Socinianiſme*, ſive, *Animadverſio in repræſentationẽ Socinianiſmi.* Hujus ſcripti ſcopus eſſe dicitur, ut errores Sociniani extenuentur, & pro non fundamentalibus habeantur.
102. Sed acriter repugnat *D. Jurius*, &, ut alia prætereamus, *art. I.* magnopere contendit, & argumenta prioris epiſtolæ eo allegat, quod Socinianiſmus minime ſit doctrina Chriſtiana: neque enim ſufficere, quod qui-
103. dam ex Socinianis Chriſtum pro Meſſia habeant & adorent (quanquam a Transſylvanorum cœtu, inter Socinianos maximo, ne id quidem fieri ſcribat;) nam Gnoſticos quoque & Manichæos paria & plura feciſſe, qui tamen pro Chriſtianis haberi nequeant. Comparationem ſubjungit in-
107. & ſeqq. ter Socinianiſmum & Mahumediſmum, & hunc propter quosdam articulos illi præfert. Negat denique Socinianiſmum proprie religio-
112. nem dici poſſe, cum præmia & pœnas non credat; neque Chriſtiana (quod ex ſupra deductis præſupponitur) neque Judaica ſit, quia creaturam (pro qua Chriſtum habet) adoret, neque Pagana, quia pluralitatem Deorum non admittat, & a Turcica quoque diſtinguatur; nil aliud de-
113. nique eſſe exiſtimat, quam ſpeciem quandam *Deiſmi*. *Deiſtas* vocat, qui Deum eſſe fatentur, ſed nullam ei fere providentiam tribuunt, & omnes religiones Deo placere contendunt; dein animas cum corporibus interire ſtatuunt, pœnasque & præmia poſt hanc vitam tollunt.
115. & ſeq. Parem impietatem Socinianis adſcribit. *Altera hujus epiſtolæ parte*, ſive *articulo II.* reprehendit, quod nullos articulos religionis eſſentiales admittant Sociniani, vel adeo paucos, ut religio ipſa plane tollatur. Allegat hic, quæ adverſus *Nicolium* Sorbonicum demonſtrata a ſe eſſe dicit, nempe quod dentur articuli eſſentiales, qui a non eſſentialibus diſtingui debeant. Addit, eos ipſos articulos, quos Sociniani negant,
119. aut indifferentes habent, eſſentiales eſſe. Articulorum autem fundamentalium characteres tradit, (1.) quod ſint clare & liquide revelati; (2.) quod ſint graviſſimi momenti; (3.) quod ad finem, quem Deus in religione ſibi propoſuit, accommodatiſſimi ſint, ad gloriam nempe Dei, ac ſanctificationem & ſalutem hominum. Appendicis loco ſecundæ
128. huic epiſtolæ adjuncta eſt diſſertatio de *Pelagianiſmo*, cujus Socinianos reos eſſe cenſet, ſimul etiam *Pajonii* diſcipulos perſtringit, qui providentiam Dei in actionibus voluntariis rejiciunt, & ita in mutationibus
129. hodiernis inſignibus, v. g. in *Britannia*, *Sabaudia & Valdenſium* vallibus,

Digitized by Google

bus, manum Dei agnoſcere nolint; item, quod operationem Spiritus Sancti & tentationes Satanæ in mente hominum negent. Reſpondet pag. 131. etiam adverſario, qui ſcire ex eo voluerat, quomodo cor ſuum diſponat ad credendum, quæ ſint ſupra & contra rationem ſuam. Hoc ita a ſe fieri dicit, ut ſubjiciat eam divinæ revelationi, & hanc pro ſuprema ratione habeat, licet minime percipiat & comprehendat, quomodo cum ſua ratione myſteria divina conciliari poſſint.

Epiſtola IV. Art. I. monet Autor, veritatem evidentem ſive ſenſus (*de ſentiment*) ut loquitur, non egere probatione, nec magis probandam eſſe 131. inter Chriſtianos divinitatem Chriſti, & ſatisfactionem ab eo præſtitam, quam lucem aut calorem Solis. Obſervat præterea, fidem de myſterio Trinitatis ſeparari non poſſe ab articulo incarnationis; ſed eos, qui 135. Chriſtum Deum eſſe credunt, neceſſario etiam & duas perſonas in eſſentia divina agnoſcere; ſi autem duæ admittantur, nihil prohibere, quo minus etiam tertia credatur, cum Scriptura de tribus, Patre nempe, Filio & Spiritu diſerte loquatur. Cum vero Autor nunc adverſus 136. eos potisſimum diſputet, quos indifferentes & tolerantes vocat, & qui Chriſti divinitatem a ſe ipſis credi aſſeverant, dubitant autem, an illa neceſſario credenda ſit, aut Sociniani, qui eam non credunt, damnandi: ideo magno ſtudio demonſtratum it, hunc articulum neceſſario credendum eſſe. Hoc loco quatuor comparationibus urget adverſarios, deſumtis a ſubditis, qui Regem de throno dejectum ad viliſſimam conditionem 137. redigere velint; ab Atheiſmo, cujus ſpeciem eſſe dicit, ſi Divinitas ei, qui 145. eam habet, detrahatur; a Paganis, qui Deo Iſraelis divinam gloriam 148. non tribuebant; & ab immortalitate animæ, quæ ſtare non poſſit cum opinione, quod anima ſit materiæ corporeæ pars ſubtilior. Iſta vero 150. omnia applicat ad Socinianiſmum, per quem Chriſtus, negata ejus divinitate æterna, eadem aut majori contumelia affi[illegible]atur, quam vel Regi in piſtrinum detruſo contingat, vel quam Athei aut Pagani Deo inferant, aut qui animæ ſuam auferant dignitatem, dum eam ex materia oriri & cum ea interire ſtatuunt. *Art. II.* defendit neceſſitatem credendi divinitatem Chriſti æternam adverſus *Epiſcopium*, cujus verba ex 153. *Lib. IV. Inſtit. Theol. cap. 34.* affert. Negat enim ſufficere, quod ille opinatur, ſi credamus, Chriſtum eſſe filium Dei, neque tamen definiamus, quomodo & qua ratione filius ſit, ſcilicet cum plures ſint *filiationis* modi, & quod modus ille æternæ generationis in Scripturis, ut cauſantur,

Digitized by Google

tur, non ſit revelatus. Contrarium quidem parte ſecunda hujus operis
contra Socinianos probandum recipit, idque contra conniventes illos
hic præſupponit, & inde neceſſitatem credendi hunc articulum adſtruit.
pap. 165. Idem aſſerit de ſatisfactione Chriſti pro peccatis præſtita, & fide, qua
166. illa apprehendi debet, ſpeciatim argumentatus ex Joh. VI. 51. & ſqq. de
manducatione ſpirituali corporis & ſanguinis Chriſti, de qua ibi agi
176. dicit, item ex Rom. III. 25. ubi Chriſtus propoſitus eſſe dicitur a Deo,
credendus *propitiator per fidem in ſanguine ipſius.*

Ulterius hoc thema proſequitur *Epiſtola V, & ejus art. I.* & ne-
180. ceſſitatem credendi aliis argumentis adſtruit. Scribit enim, ſyſtema
fidei de Chriſto, non ſolum a Socinianis, ſed & ab illis, qui eos tolera-
re velint, penitus deſtrui, vaneque jactari ſapientiæ, miſericordiæ & ju-
ſtitiæ divinæ magnitudinem in opere redemtionis, niſi duo illa fun-
188. damenta teneantur. Idem deducit ex adoratione Chriſti, quam Socini-
189. ani admittunt. Solide refutat *Epiſcopium*, qui putat, adorari illum et-
iam poſſe non ut Deum, ſed ut Legatum Dei. Denique multus eſt,
195. ut oſtendat, ſi Arminianorum conniventiæ & tolerantiæ locus ſit, fore,
ut plerique ad Arianiſmum & Socinianiſmum deficiant, quia longe
facilius eſt horum tradita, cum ratiocinatione humana convenientia
ſequi, quam animum ad credenda myſteria incomprehenſibilia indu-
200. cere. *Artic, II.* judicium de Theologis tolerantiam Sociniani erroris
ſuadentibus aperit. Negat bona fide loqui, qui Sociniani videri no-
lint, ſed incarnationem & ſatisfactionem Chriſti credi a ſe profitean-
tur, ſimul tamen cenſeant, has veritates non eſſe eſſentiales in fide Chri-
ſtiana. Hæc enim nequaquam a viris doctis & argumentandi peri-
tiam habentibus admitti & ſtatui poſſe, licet forte multi ex ſimpliciori-
bus ita ſentiant. Interim a Theologis illis ferri Socinianos & ad com-
205. munionem admitti, ideoque in omnibus ſectis ſeparatis, puta *Anabapti-
ſtarum, Mennoniſtarum & Remonſtrantium* ſeu *Arminianorum* latitare
Socinianos, & a Doctoribus & Conſiſtoriis eorum non rejici, imo
206. in ſcriptis (*Epiſcopium* ſeparatim innuit) ſemina Socinianiſmi depre-
209. hendi oſtendit. Negat quoque tales de religione perſuaſionem ha-
bere, quæ fidei nomen mereatur, ſed ſolum opinionem philoſophicam
& probabilem. Conqueritur de fama, quæ Anglicanæ Eccleſiæ hanc
opinionem tribuat; laudat tamen librum *Bulli*, Theologi Britanni, pro
Niceni Symboli aſſertione, & quod approbatus ſit ab Anglorum Eccle-
ſia.

Digitized by Google

ſia. Taxat epiſtolam quandam Latine editam, qua tolerantia defenſa pag. 212.
eſt, & licet concedat, male docere, qui tantum contra errores declament, morum vero vitia intacta ſinant; non minus tamen peccare dicit, qui neglecta veritate dogmatum, de charitate & diſciplina vitæ ſolum ſermocinentur. Denique nec in confeſſionibus & libris eorum, imo 213.
ne in juramentis quidem, cum ſe orthodoxos eſſe affirment, ſufficientem ſecuritatem agnoſcit, ob periculum æquivocationis & diſſimulationis, ſtante præſertim tolerantia & communione, quam cum Socinianis 216.
colunt, & frigida articulorum fundamentalium tractatione. Neque etiam excuſatos habet, qui dicunt, tolerantiam Socinianiſmi nec poſſibi- 218.
lem nec juſtam eſſe, niſi aſſeverent, quod ſecta illa cum religione Chri- 221.
ſtiana ſit incompatibilis.

Epiſtola VI. oppoſita eſt *Boſſueto Epiſcopo Meldenſi*, ut & Autori relationũ de libris eruditorũ (*Hiſtoire des Ouvrages des Sçavants*) quo cum *D. Jurius*, ut ex aliis libellis, quos conſulto huc usque in Actis noſtris non recenſuimus, ſatis conſtat, vehementer eſt colliſus, aliisque, a quibus ſe impugnatum eſſe dicit. Ut autem imputationem *Boſ-* 226.
ſueti, ac ſi Patres Eccleſiæ ante Concilium Nicenum pro Arianis & Socinianis habeat, a ſe amoliatur, *Art. I* aperte aſſerit contrarium, & ad- 227.
ductis teſtimoniis Polycarpi, Athenagoræ, Juſtini Martyris, Tatiani, Irenæi, Clementis Alexandrini, & Tertulliani, confirmat, dogma de Trinitate ab iis creditum fuiſſe. Ulterius progredi non voluit, cum de ſequentibus Patribus nemo facile dubitet. *Art. II.* idem facit in do- 237.
ctrina de æterna generatione filii Dei, & dicta ſua in *epiſtolis paſtoralibus* explicat, improbans ſcripta *Petavii* & *Huetii*, qui patribus ſupra 249.
nominatis, aliisque, præſertim *Origeni*, *Theophilo Antiocheno* & *Lactantio* errores in hoc articulo imputant. Proſequitur ea pluribus, 253.
& ſententiæ veterum orthodoxum ſenſum tribuit, quanquam ſpeculationes & phraſes inconvenientes ſecutos illos eſſe non neget: interim 277.
ab Arianiſmo & Socinianiſmo eos penitus abſolvit. *Art. IV.* acrius aggreditur Boſſuetum, & ante omnia axioma illius, quo velut cardine tota illa machina libri *de variationibus* volvatur, Eccleſiã nempe in ex- 278.
poſitione fidei nunquam variaſſe, disjicit, confidenter affirmans, licet in fundamentis ipſis non variaverit, variaſſe tamen ſucceſſu temporum in expoſitione, ſive modo & formula docendi & explicandi. Sugillat *Boſſuetum*, quod non, ut *Petavius* & *Huetius*, in libris antiquorum

verſatus

Digitized by Google

pag. 281. verſatus ſit, ſed compendiariam notitiam aliena relatione nitentem habeat; imo ex fama, de ſincera ejus de myſteriis fidei profeſſione dubitat. At *Baſnagii* opus contra variationes editum laudat: deinde ad epiſtolam *Boſſueti* ad Proteſtantes contra Epiſtolas ſuas Paſtorales editam, quam in Actis noſtris anni proximi p. 609. retulimus, non ſine acrimonia reſpondet. *Petavii* & *Huetii* ſententiam de Theologia Pa-
283. trum denuo proponit, & ideo in hos convitia, ſibi a *Boſſueto* injuſte impacta, reflecti oſtendit; ſe vero Patres illos minime pro Arianis habere proteſtatur, & Autoris ſupra indicati judicium perſtringit.
294. Interim lapſus quoſdam Patrum agnoſcit, & ſine ſcandalo detegi poſſe exiſtimat, cum non ab iis, ſed a Scripturis veritas religionis
296. & judicium de controverſiis peti debeat. Negat conſtanter, quod *Boſſuetus* illi objecit, quaſi ſtatuerit, quod in Socinianiſmo ſalva-
298. ri aliquis poſſit; excipit tamen eos, qui in cœtu Sociniano vivant, & diſcedere ab eo non poſſint, errores vero deteſtentur. Inter alia ad
300. ea, quæ Boſſuetus de digamia Haſſiaca retulit, retorqueri poſſe dicit, quæ de laſcivis amoribus, etiam Epiſcoporum celeberrimorum in Gallia, libris vulgata ſunt. Negat, & ab autore relationis injuſte & falſo ſibi tribui ſcribit, quod digamiam illam approbaverit: ſtatuit tamen
302. leges matrimonii, ut poſitivas, ita & diſpenſabiles eſſe, dummodo in facto non erretur; provocat ad Zvingerum Doctorem Helvetium, &
305. exempla atque decreta Genevenſium; notat etiam, Imperatores Chriſtianos, *Theodoſium*, *Valentinianum*, *Leonem* & *Juſtinianum*, *XIV* cauſas divortii uxoribus, XVII maritis indulſiſſe, quanquam neget omnia illa ſibi probari.

Epiſtola VII. aggreditur Autor *Art. I.* librum, qui titulum *Com-*
312. *mentarii Philoſophici* habet: rejicit autem inprimis principium, cui libri iſtius ſcriptor, & qui eum ſequuntur, tolerantiam univerſalem ſuperſtruunt, dicentes, culpam non contrahi apud Deum ab iis, qui erro-
315. 316. rem aliquem fovent, quem pro veritate habent. Hoc prorſus impie aſſeri dicit, & ſatis refutatum eſſe libro parvo, cujus titulum refert, & ſe ejus autorem profitetur: *Des droits des deux Souverains en matiere de religion*, id eſt, *de duarum ſupremarum poteſtatum, conſcientiæ & Principum, jure contra dogma de indifferentia religionum &c.* Æquiparat ſententiam illam novæ hæreſi Jeſuitis imputatæ de *peccato philoſophico*,
316. iisdemque argumentis refutari dicit, recte explicando, quæ ſit ignoran-

tia

Digitized by Google

tia invincibilis, & quatenus excuſetur. Eodem loco habet libellum pag. 321.
ſeu epiſtolam: *La lettre eſcrite de Suiſſe en Hollande*, ſive *Literas ex Helvetiorum regione in Bataviam ſcriptas*; cum non niſi compendium ſint commentarii illius. *Artic. II. Epiſcopii* & ſequacium argumenta 336.
aggreditur, & primo regulam rejicit, quod nemo obligetur aliquid credere, quam pro modo & proportione, quo revelatum eſt; unde inferunt, quia articuli de Trinitate, incarnatione & ſatisfactione non ſint clariſſime revelati, neceſſe non eſſe, ut plena certitudine credantur. Docet enim *D. Jurius*, credenda ſimpliciter eſſe, etiam obſcurius revelata, v. g. immortalitatem animarum, pœnas inferni & gaudia vitæ æternæ, & quidem aſſenſu, ſi non *ſpeculationis*, ſaltem *adhæſionis*. Concedit vero, obſcuriora quædam minus neceſſaria creditu eſſe, quando non ſunt maximi momenti ad ſalutem, & cum doctrina de hac evidenter non cohærent. Iſta & alia ad regulam illam ſeu majorem propoſitionem argumenti regerit; minorem quod non ſatis clare revelati ſint tres illi articuli, ad partem hujus operis ſecundam differt. Interim *Epiſcopium* 339.
ipſum adducit, qui dictis Joh. I. ad Socini ſophiſma rejiciendum convictum ſe eſſe fatetur. Examinat poſtea & elidit ſecundum argumentum pro Socinianis, quod ſaltem ſpeculative ex malo philoſophiæ uſu errent; neq; enim concedit, hoc modo excuſari vel hanc vel alias hæreſes 340.
poſſe, quæ ex eodem fonte errores ſuos hauriunt; multo minus admittit *Epiſcopii* ratiocinationem a ſilentio Scripturæ, ſive quod Scriptura expreſſe non dicat, hos articulos neceſſario credi debere. Sufficere 346.
enim dicit, quod aliquid in Scriptura clare ſit revelatum & aſſertum, eoque ipſo creditu fiat neceſſarium: allegat tamen etiam dictum Joh. III, 18. quo non credenti *in nomen unigeniti filii Dei* denunciatur damnatio. Repetit & explicat, quæ ſupra monuerat de adoratione, quam Chriſto, ut angelo ſeu legato Dei tribui poſſe *Epiſcopius* ſtatuit. Accedit denique ad maximum *Epiſcopii* argumentum, tolerari debere in recentioribus, quod toleratum fuerit in antiquis. Negat hanc 351.
aſſertionem, quia veritas quædam ſucceſſu temporis clarius explicata fuit, & ita innotuit, ut excuſari ejus ignorantia aut neglectus jam non poſſit. Reſpondet ad ſymbola, in quibus mentio non fit divinitatis 356.
Chriſti æternæ, & de intentione atque occaſione ſymbolorum diſſerit, vehementer autem improbat immodeſtum Epiſcopii de Symbolo Niceno judicium; excuſat etiam (ut fieri poſſe putat) Juſtini Martyris lo- 360.

cum ex *Dialogo cum Tryphone*, quem opponere conſueverunt; addit,
ſi non ſufficiant, quæ pro eo allegari poſſunt, ex ſingulari tamen ejus
opinione & errore de Patrum omnium ſententia judicari non debe-
pag. 363. re. *Art. III.* refellit tractatum Doctoris *Berry* Angli, Rectoris
Collegii Exceſtrienſis Oxfordiæ, lingua vernacula editum titulo Naked
Goſpel i. e. *nudum Evangelium.* Rationes autem ejus, propter quas
divinitatem Chriſti æternam & incarnationem inter quæſtiones curio-
ſas & ad ſalutem non neceſſarias retulerit, pro futilibus habet, easque
prolixe diluit, & proterva autoris illius dicta contra fidem horum arti-
culorum ſerio vituperat. Narrat tamen illum Collegio ejectum, li-
brum ejus a Doctoribus Jano & Hullo examinatum, & a tota Academia
condemnatum, tum manu carnificis combuſtum publice eſſe. Hoc
395. nomine Eccleſiæ Anglicanæ gratulatur, & Regi gratias agit.

Ultima, eaq; longiſſima epiſtola eſt octava, inſcripta *Paſtoribus & Di-
rectoribus Eccleſiarum Gallobelgicarum in provinciis fœderatis*, quos in
exordio impenſe laudat ob pia & juſtiſſima decreta in congregatione
ſua proxima facta, & ad alia etiam ſeveriora hortatur. Agit autem *Art. I.*
de tolerantia civili, ſive de libertate religionū omnium, quam, etſi Eccle-
ſiaſtica conſenſio obtineri non poſſit, a multis ex recentioribus com-
mendari queritur, quaſi quieti publicæ, ut & propagationi veræ religio-
nis iſthoc modo conſulatur. Licet autem *D. Jurius* moderationem erga
diſſentientes & hæreticos non improbet, & conſcientiam a coactione
eximat; laxam tamen illam tolerantiam & Eccleſiæ & Reipublicæ ſum-
me periculoſam eſſe contendit, hujus vero relaxationis ſuaſores, per
404. multas conjecturas ſuſpectos Socinianiſmi facit. *Art. II.* quod præ-
cedenti de moderatione adverſus hæreticos dixerat, pluribus explicat,
ita tamen, ut licitum & juſtum eſſe dicat hæreticos premere (*geéſner*,)
412. id eſt, exercitium publicum, & acceſſum ad munera & honores, & dog-
matum propalationem inhibere. Explicat & conciliat, quæ in aliis
libris ſuis ſcripſerat, & ab adverſariis ut contradictoria allegantur.
426. *Art. III.* negat ſe ſtatuiſſe, quod Magiſtratus ſemper autoritate ſua
uti adverſus hæreticos debeat, aut quod aliquando tolerantiæ locum
conſilio prudenti dare non poſſit, idque pluribus declarat. *Art. IV.*
ſtatum controverſiæ ſic concipit: *An Magiſtratus, cum poſſit & com-*
434. *modum fuerit, autoritatem ſuam interponere debeat ad extirpandam*
hæreſin & idololatriam, non quidem per vivicomburia, ſed tollendo do-
cendi

Digitized by Google

cendi licentiam & ejiciendo contravenientes, *item deſtruendo idolorum templa*, *& uſurpando omnia media, quibus vera religio juvatur.* Hoc affirmat Autor, & refutat contraria ſentientes ac Magiſtratui omnem curam de religione abjudicantes, eorumque objectionibus reſpondet. Primum argumentum in hoc articulo ex jure Dei deducit, cujus honorem Magiſtratus promovere debet. Alterum, *Art. V.* ex jure ipſo- pag. 460.
rum Magiſtratuum; & probationes affert ex decreto *Ordinum Hollandiæ* A. 1614 publicato, item ex libro *Hugonis Grotii* de imperio ſum- 466.
marum poteſtatum circa ſacra, cujus contenta enarrat, tanto majori cum pondere, ut putat, quia *Arminiani* Autorem illum pro idolo habeant, & quia ſententia *Grotii* ab Ordinibus Fœderati Belgii ipſo facto 477.
probetur, quamvis per conniventiam (nulla lege publica) ſectas com- 479.
plures ex utilitate Status ſui tolerent. Male igitur de forma Reipublicæ Fœderatorum inſtructos eſſe juvenes illos Doctores dicit, qui effrenem omnium religionum licentiam, in Gallia olim conceptam, in Belgio veluti enixi ſint. Jus tamen Magiſtratus, ſive, ut loqui in Germania ſolemus, *reformandi*, moderate & cum conſilio procerum ex populo exerceri debere monet. Sequuntur notabilia plurima contra novato- 491.
rum ſententiam, quod Magiſtratus omnes religiones liberas permittere, omnesque diſſentientes, modo boni cives ſint, ferre debeat. In ſum- 507.
ma dicitur, adverſari illam autoritati Principum & Magiſtratuum, ſpeciatim vero fundamentalibus Belgii fœderati legibus, & corrumpere diſciplinam Chriſtianam. Tam pernicioſi dogmatis autorem in epiſtola Latina de tolerantia ſupra allegata & Goudæ impreſſa, nominat *Bernardum*. *Art. VI.* aliæ minoris momenti objectiones refelluntur, 509.
& ſpeciatim, ſpem & promiſſionem de magna utilitate ex affluxu hominum, & pace provinciarum per licentiam illam procuranda, vanam eſſe; 515.
pacē vero Belgii non licentia illa, ſed ſapienti regimine & conſervatione jurium Magiſtratus circa ſacra, niti oſtenditur. *Art. VII.* ſpecioſum pro tolerantia abſoluta & univerſali argumentum, quod aſſerto Magiſtratibus jure reformandi, non poſſit culpari, ſi ut in Gallia factum eſt, religio purior vi ſubvertatur, confutat. Singulatim hic examinat & refutat Autor, quicquid a contrariæ ſententiæ propugnatoribus affertur, & demonſtrat, quanta ſit inter eos, qui falſam, & qui veram religionem promovent, ratione juris, differentia; ſpeciatim vero Gallici rigoris contra Reformatos exerciti injuſtitiam arguit; denique ut ja- 557.

 ctanti-

Digitized by Google

ſtantiam de magno licentiam illam aſſerentium numero reprimat, ex actis *Synodi Gallobelgicæ* Amſtelodami A. 1690 habitæ, epiſtolam, XXXV miniſtrorum Eccleſiæ, qui ex Gallia in Angliam profugerant, d. 2. Augusti ſcriptam, & reſponſum a Synodo d. 8. Decembr. datum adducit.
pag. 559. Queſti ſunt exules illi de ſuæ gentis & profesſionis viris, qui errores Socinianos, quos dudum clam foviſſe & ſpecie tolerantiæ & charitatis excuſaſſe in Gallia viſi erant, jam palam diſſeminarent, & quod idem in
563. Belgio editis ſcriptis fieret. Reſpondit Synodus, ſe eundem dolorem ſentire, & ad remedium afferendum opem & conſilium conjuncturam. Addit Autor decretum Synodi, quo propoſitiones novem damnantur, quas Latine verſas adſcribere operæ pretium eſt. (1.) *Quod Socinianiſmus ſit religio tolerabilis, in qua ſalvari homines poſſint.* (2.) *Quod ſalus obtineri posſit in omni religione, dum adſit bona fides & intentio.* (3.) *Quod non peccent, quantumcunque mali perpetrent, qui conſcientiæ ductum ſequuntur.* (4.) *Quod illi ſaltem hæretici ſint, qui veritatem contra conſcientiam oppugnant.* (5.) *Quod blaſphemus non ſit, qui non blaſphemet contra propria principia.* (6.) *Quod pietas & ratio exigat, ut tolerentur omnes hæreſes, tolerantia civili & eccleſiaſtica.* (7.) *Quod Magiſtratibus jus non ſit, ut autoritate ſua utantur contra idololatriam & progreſſum hæreſium.* (8.) *Quod cuilibet privato fas ſit credere & docere quæ velit, nec impediri à Magiſtratu debeat.* (9.) *Quod gratia divina unice conſiſtat in propoſitione verbi, nec detur operatio interna Spiritus Sancti.* Additur acris cenſura contra harum theſium defenſores. Finit Autor reſpondendo paucis ad epiſtolam *Intolerantis ad intolerantem* recens publicatam, in qua nimis cito jactari dicit, quod non omnia Commentarii Philoſophici argumenta refutata epiſtolis hujus libri prioribus fuerint: id enim edita ultima ſufficienter præſtitum eſſe confidit. Quam vero ſpem fecerat de parte ſecunda operis, ſive refutatione Socinianiſmi,
578. eam fere tollit, tum ob virium defectum, tum quod audire ſe ſcribit, eſſe in Anglia viros doctos, qui laborem illum ſint ſuſcepturi. Brevis ſubjungitur declaratio duorum locorum ex epiſtola VI, & unius ex Ep. VII, quæ contra ſententiam ſuam explicari non vult Autor.

ABREGE' DE LA DOCTRINE DE LA TOlerance civile. i. e.

Com-

Compendium doctrinæ de Tolerantia civili.

Roterodami ad exemplar Londinenſe, 1691, in 12. Plag. 2½.

STatum quæſtionis, quæ hoc tempore magna utrinque contentione agitatur, ſic concepit Autor: *An Magiſtratus poſſit aut debeat affligere ſeu cruciare* (geeſner) *aut punire aliquos ſolius religionis cauſa?* Qui hanc quæſtionem negant, *Tolerantes* vocantur: qui affirmant, *Intolerantes*. Prioribus accedit Anonymus hic, & negativam ſequentibus argumentis it ſtabilitum. (1.) Reſpectu Dei ad promovendam ejus gloriam nihil agi dicit, quia zelo illo non extinguantur hæreſes, niſi extrema Inquiſitorum Hiſpanicorum ſævitia, quam *Intolerantes* ipſi rejiciant & execrentur, adhibeatur. Unicam ergo, quæ tuto eligi poſſit, ad gloriam divini nominis in convertendis hæreticis promovendam, viam eſſe inſtructionem piam & exemplum morum proborum. (2.) Reſpectu veritatis utilius eſſe cenſet, idque ex dicto Apoſtolico: *oportet eſſe hæreſes*, colligit, ſi errores in notitiam populi veniant & ſolide refutentur, quam ſi violenta eorum ſuppreſſio inſtituatur. (3.) Ex natura religionis deducit, non alio modo eam (quia in corde hominum reſidet) quam inſtructione & perſuaſione plantari poſſe & debere; coactionem autem ad externam profeſſionem, neque quidquam efficere, & contumelioſam eſſe Evangelio, quaſi ſcilicet hoc absque manu regia ad perſuadendas hominum mentes non ſufficiat. (4.) Salutem noſtram periclitari negat, ſed promoveri, ſi errantes tolerentur; neque ab his contagionem metuendam eſſe, ſi legitima media, inſtructionis nempe adhibeantur: quod ſi hæc non ſuccedant, eventum divinæ providentiæ committendum eſſe judicat. Parum æſtimat argumentationem ab exemplo eorum, qui peſtifera lue infecti, arceri aut ſeparari ſolent: ait enim, ſi infectis præſentia hominum ſanorum ſuccurri poſſet, ejectionem eorum injuſtiſſimam futuram eſſe; at errantibus in fide & opinionibus ſuccurri poſſe a recte ſentientibus & errores refutantibus, idque tentandum eſſe, & ſucceſſum, ut dictum eſt, divinæ gubernationi deferendum. Unde (5.) conſequens eſſe exiſtimat, ut etiam proximi ſalus tolerantiam exigat. His ſubjungit argumenta ex revelatione ſive ſacris literis: nempe ex veteri Teſtamento liquidum eſſe ſtatuit, quod extra incolas Palæſtinæ exitio deſtinatos nemo ad religionem & ſacra Judaica coactus fuerit. Urget ſpeciatim

Digitized by Google

tolerantiam Sadducæorum, quam Chriſtus, licet occaſionem ſæpius haberet, minime improbaverit. Deinde ex Novo Teſtamento naturam Evangelicæ doctrinæ omni violentiæ repugnare, hanc vero Satanæ methodo convenire oſtendit. Poſt hæc mediam illam, ſive mitioré ex *Tolerantibus* ſententiã in *D. Jurii* epiſtola octava Repæſentationis Socinianiſmi explicatam, in cenſuram vocat, nec magis probat, quod Magiſtratus affligere, premere & vexare poſſit aut debeat errantes, quam punire. Rejicit etiam, quod dicunt, non ſemper ad afflictionem auferendam obligatum eſſe Magiſtratum, ſed quando commode id facere poſſit. Si enim bonum & juſtum ſit, ut affligantur, ſemper id in cauſa hac graviſſima etiam cum periculo fieri debere. Negat Magiſtratui incumbere, aut in ejus viribus eſſe, ut de erroribus cognoſcat. Nominatim ab eo onere liberandum eſſe ait, quem cum ſumma veneratione nominat, *GUILIELMUM Britanniæ Regem*. Ex antiquitate etiam eccleſiaſtica & martyrum hiſtoria ſuam tuetur opinionem; aſſerens, quod optimis Eccleſiæ temporibus nunquam vis facta ſit diſſentientibus, & ad infirmitates & lapſus refert, quod intempeſtivo Epiſcoporum & Imperatorum quorundam zelo fieri cœpit. Inde opprobrium Chriſtianiſmo illatum eſſe putat legibus Arcadii & Honorii contra Manichæos & Donatiſtas. Exemplis Doctorum, qui reformationis ſeculo præcedenti autores fuerunt, non movetur, quia quæſtionem hanc nunquam ſolide examinarint, aliasque opinionis ſuæ cauſas habuerint. Tandem non plus concedit Magiſtratibus, quam ut religionem, cui addicti ſunt, dominari & eminere faciant, niſi forte pacto prohibeantur, aut ſine perſecutione prærogativam illam obtinere non poſſint: deinde, ut eas prohibeant & coerceant religiones, quæ ſubditos ab obſequio Magiſtratibus debito retrahant, turbas excitent, aut in reliquas omnes dominari velint. In his tamen omnibus cogitare Magiſtratus debere, Deo rationem reddendam a ſe eſſe, & ut charitatem potius ſequantur, quam timori & ſuſpicionibus indulgeant. Gloriam vero divinam optime promoveri a Magiſtratu poſſe arbitratur, ſi Doctores populo det, qui ad eum inſtruendum & emendandum idonei ſint doctrina & moribus; plus ab illis negat a Deo exigi. Addit aliquid contra ſperatam Romanæ Eccleſiæ converſionem, quam prædictam eſſe innuit, & ab Eccleſiis Gallobelgicis petit, ut in proxima Synodo de hac tolerantia denuo deliberent, & de ea ſapienter decidant.

MATHE-

Digitized by Google

MATHEMATICAL SCIENCES IN NINE Books, by VVilliam Leybourn Philomath.

hoc eſt,

Curſus mathematicus, in quo ſcientiæ mathematicæ novem libris comprehenſæ docentur a Guilielmo Leybourn Philomathem.

Londini, apud Thomam Baſſet & Socios, A. 1690. in fol.

Conſtat 11 Alphab. & tab. æn. 43.

Cum ſolertisſimus vir *Guilielmus Leybourn* uſu frequenti compeciſſet, quanto cum diſcentium emolumento ſcientiæ mathematicæ doceantur, ſi omnes uno in ſyſtemate comprehenſæ, illarumque doctrinæ ita inter ſe connexæ ſint, ut fundamenta ſua ex aliis libris, quos cum temporis & ſumtuum diſpendio evolvere neceſſe ſit, non arceſſant ac repetant; a multis jam annis conſtituit, tale opus Anglicana lingua in ſuæ gentis uſum conſcriptum edere in publicum, nuperque ab amicis compulſus, id quod animo diu volverat, exſecutus eſt. Dedit autem præcipue operam, ut omnes hujus ſyſtematis partes eo ordine diſponeret, quo ab illis legendæ ſunt, qui ſuo Marte illarum notitiam ſibi comparare geſtiunt. *Primus* ergo *liber Arithmeticam* proponit, non vulgarem ſolum, ſed decimalem quoque ac logarithmicam. *Secundus Geometricus* eſt, & problemata ac theoremata elementaria complectitur. Utrique autem ſupplementi loco brevis de *Algebra ſpecioſa* tractatio adjecta eſt. In *tertio* libro doctrina de *primo mobili* uſuque Globi perſpicue explicatur, & varia circulorum ſphæræ projectio docetur. *Quartum* librum *Coſmographia* ſibi vindicat, partim cœleſtis, quæ de ſyſtematibus Aſtronomicis, & tam errantium quam affixarum ſtellarum, nec non cometarum natura agit; partim terreſtris, quæ *Geographia* quoque dici ſolet, cui annexa eſt de æris ſeu epochis variis diſſertatio *Chronologica.* In *quinto* libro *Trigonometria* plana & ſphærica exponitur, non ſolum quatenus Tabulis ſinuum, ſed etiam Analemmatis, globi cœleſtis, & ſcalarum in hunc finem conſtructarum adminiculo exerceri poteſt. *Sextus* liber Geometricorum inſtrumentorum uſum oſtendit in *Longimetria*, *Planimetria* & *Archuectura*

militari. Navigationis præcepta tradit liber *ſeptimus*, *Gnomonices octavus. Nonus* autem nihil aliud eſt quam *Nicolai Mercatoris* Inſtitutionum Aſtronomicarum *liber ſecundus de Planetarum Theoria*, in linguam Anglicanam converſus. Additæ quoque ſunt ſuis in locis tabulæ ad rem præſentem accommodatæ.

GERHARDI FELTMANNI DE TITULIS Honorum Libri II.

Bremæ, apud Hermannum Brauerum, 1691. in 8. Plag. 47.

AMœnum hoc ac nitidum diſſerendi argumentum, ex Jure publico ac gentium moribus maxima ex parte depromptum, jam ante viginti annos occupavit Autor Conſultiſſimus, illudque collatis ex Jure civili ſuffragiis condigne illuſtrare inſtituit. Quanquam autem intermedio tempore ex Univerſitate Grœningana, in qua Primarium Juris Profeſſorem agebat, ad Curiam Provincialem Friſiæ Orientalis fuerit vocatus, negotiisque forenſibus arctius multo addictus; non ideo tamen ab Academicis ſtudiis, quibus ipſum a prima adoleſcentia commilitones haud vano augurio deſtinaverant, ſemet abſtrahi paſſus eſt. *cap. fin. §. 6.* Singulari etenim alacritate hoc ipſo anno non tantum nova eruditionis ſuæ edidit monumenta (Vid. Acta menſis Aug. pag. 359:) ſed curam quoque adhibuit merito laudabilem, ut hunc Tractatum *de Titulis Honorum* non tam externa forma, quam potius re ipſa ex inſigni acceſſione locupletiorem ſiſteret. In concinnando vero ac emendando hoc opere haudquaquam rigido nexu membra ſingula ſtrictim compingere voluit Autor; ſed ſolutius paulo ſcribendi genus amplexus genuinas ſæpe materias invicem miſcet, liberiusque deinceps ſupplet, haud raro etiam adventitiis quæſtionibus diſtinguit, ut alternante hac viciſſitudine Lectoris animum ſuſpenſum ſemper tenere magisque avidum reddere videatur. Quod ipſum inſtitutum æmulari eo minus veremur, ubi ſumma rerum momenta nobis commemoranda veniunt, ſi paucisſimis prius generalem connexionem fuerimus præfati. *Hoc* videlicet ordine in duobus libris Tituli cenſuram ſubeunt, prout nomini proprio vel præmitti vel poſtponi conſuevere; cumque duas rurſus ſpecies forment poſterioris notæ tituli, declarantur prius illi, qui dignita-

Digitized by Google

gnitatum, officiorum, poſſesſionumque ſunt indices; poſt & iſti, qui nuda honoris aut amicitiæ epitheta. Quæ ſingula titulorum genera a ſummis Principibus, ſub quo auguſto vocabulo Imperatorem Romanum, Reges, Electores, aliosque Status potentiores comprehendimus, explanate decurrunt ad Magiſtratus, Nobiles, Eruditos cæterosque honoris luce aliqua conſpicuos.

Ipſius vero commentationis exordium more ſolito ducitur ab iis, quæ circa Titulorum ac Honorum naturam ac ſpecies ſunt obſervanda; cumque hæc theoretica magis eſſe videantur, ſubjicitur in *c. 5. 6. & 7.* quæſtio præjudicialis & apud Batavos maxime illuſtris de ſtatu Drenthiæ, utrum inter fœderatas Belgii Reſpublicas Provinciæ titulum mereatur? Indeciſam relinquere maluerat hanc quæſtionem Autor in priore editione p. 23: ne vero intempeſtivæ cujusdam timiditatis eum quiſpiam inſimulare poſſet, manifeſte affirmativam amplectitur, expoſitis late argumentis, quæ in utramque partem proferri ſolent. Titulorum origo ex Jure Gentium deducitur in *cap. 9. & 10.* ac Juris Divini indulgentia ſtabilitur. *Cap. 11. & 12.* duæ claſſes producuntur, quarum prior Reges & Principes ambitioſos ac titulis ineptis ſtolide tumidos notat; poſterior vero glorioſe commemorat Heroes magnanimos & modeſtos, quibus non affectata in titulis ſimplicitas placuit. Seorſim mox in *c. 13.* diſſeritur de Regibus Galliæ, cur adſtricto utantur titulo, & qui hujus inſtituti receſſus eſſe videantur. Luxuriam dehinc in privatorum titulis, quæ ab Italis potisſimum derivata noſtram ætatem affligit, liberius perſtringunt *cap. 14. & 15.* ſic tamen ut in *cap. 16.* concedatur, certis in caſibus alios etiam titulos & majores admitti poſſe; argumento ducto a nummorum fato, in quibus nunc tyroni eadem conſtituatur merces, quæ ante duo ſecula præſtabatur egregio artifici. Et ſic adeo, concordante Limnæi judicio, titulos æque, ac rerum pretia creſcere ferendum eſt. *Caput 20. & ſeqq.* recenſent Principes provinciarum titulos uſurpantes ſine re, quorum commemorationem cum poſſeſſorum indignatione ſuſceptam commoda haud pauca, nec pauciora tamen incommoda ſecum vehere, ex latiori diſcurſu deprehendimus; quemadmodum ex *cap. 25.* omnino innoxiam eſſe omisſionem tituli circa rem adhuc acquirendam, licet tredecim rationes obſtent, quæ ſigillatim ac ſolide refutantur. Intermedium *cap. 24.* Pontifici Romano ſummum imperium in terras, quas hodie posſidet, defert, & Ejus-

Lib. I.

Digitized by Google

dem Nuntios apud Reformatos etiam Principes ac Status eodem cum Regum Legatis honore haberi, Fœderatorum Belgii Ordinum exemplo docet. *Cap. 33.* evolvit epitheta Majeſtatis Sacræ, Sacroſanctæ, & quis eorum inter Imperatorem Romanum, & Reges Angliæ, Daniæ & Sueciæ in ſalutando mutuus ſit uſus. Circa Cæſaris titulum ex *cap. 34.* notamus, Imperatoris titulũ Regem Galliæ non tantum, ſed & Reges omnes poſſe uſurpare, adjecto regni nomine; perperam tamen Cæſaris titulum tribui ulli alii Principum quam Imperatori Romano. Stringit eapropter Autor monumentum a mercatoribus Londinenſibus Carolo II Regi poſitum, in quo *Cæſar Britannicus* ſalutatus fuit. *Cap. 36.* Protectoris titulum a Cromvvellio uſurpatum, jam olim in Anglia cognitum fuiſſe probat, ac inſimul notat, titulum ſine re fuiſſe, quando Henricus II Galliarum Rex ſe Protectorem libertatis Germanicæ in literis jactavit. In *Cap. 37.* diſſeritur de Titulo Miniſtri, qua de cauſa apud Proteſtantes Clericis tribuatur, & quo in pretio eundem Magnatum aulæ habeant, quandoquidem illis ſolum Conſiliariis ſervetur, cum quibus arcana dominationis Reges & Principes potentiores conferre ſolent. Galliæ Rex quinq; tantum ex ſuis hoc titulo mactare dicitur, veluti Regni Cancellarium, Secretarium rerum exterarũ, Secretariũ rerum militarium, Principẽ Rationalium regni, atq; Secretarium Domus Regiæ. *Cap. 42.* avitam Friſiorum libertatem eruit, & qualis inter iſtum populum & Imperium Germanicum olim interceſſerit nexus. Nobilium ordines diverſos *cap. 43.* recenſet, prout alii vel ob merita, vel ex ſtirpe Nobiles, alii Liberi Nobiles Imperii, alii Equites, alii Equites Imperii. *Cap. 45.* exponit titulum Superintendentis & Inſpectoris. In *cap. 48.* adſtruitur, ſingularum Belgii Fœderati Provinciarum Ordines creare poſſe Equites. De titulis Deo tribui ſolitis in *cap. 51.* disquiritur, ac ſpeciatim quidem, an Ter Optimus Maximus a Chriſtianis appellari tuto poſſit. Negavit id ipſum *Joachim Oudaan* libro, cui titulus *Roomsche Outheden, Coll. 4. p. 146,* hoc argumento motus, quod profana gentilitas eum titulum ſoli Jovi tribuerit, cum is Deorum omnium Optimus & Maximus haberetur, quæ comparatio Chriſtianis eſſe debeat abominabilis. Huic tamen reponitur, verba iſta non ſemper comparationem ſupponere, verum & citra eam abſolute denotare rem utiliſſimam & pleniſſimam. Sic fundum O. M. dici, qui cum omni commodo, qualecunque illud ſit, ad aliquem pertinet, licet unicus ſit. In

Cap.

Cap. 54. origo vocis *Souverain* in diſceptationem venit. Deduxerat eam *Guy Coquille ſur les coutum. de France Queſt. 39.* ex vocabulo Latino *ſupremus*; quod reprobat Noſter, & contendit, illam in Germania inferiore natam eſſe, & compoſitam ex *ſuiver* & *rein*, quæ pro ſynonimis habentur, & propter ſingularem emphaſin uſu loquentium conjunguntur, quales formulæ complures hac ratione connexæ ibi proſtant. Exprimit ergo *Souverain* illud, quod *purum putum* appellamus, cui nil admixtum, id quod imperio accommodatum talem vim ac poteſtatem denotat, quæ in omnes ſine ulla exceptione competit. In *cap. 61.* memoratur, olim a Galliarum Rege Electoribus Imperii datum tantum fuiſſe titulum Celſitudinis Electoralis, ſed ante annos non multos Baronem Blumenthalium, cum Legati munere apud Regem Galliæ fungeretur, effeciſſe, ut Electori Brandenburgico Serenitatis Electoralis titulus fuerit tributus. Quo titulo hodie a Regibus non tantum cæteri Electores ſeculares decorantur, ſed & Eccleſiaſtici, modo ex Domo Electorali aut patre Principe Imperii ſint nati. Qui enim ex Comitum, Baronum, Nobiliumve ordine ad iſtud faſtigium fuerint evecti, hodienum Celſitudinis Electoralis titulo ſalutantur. Haud fruſtra vero in ſeq. *cap. 62.* quæritur, utrum Septemviri hodie Electores dici poſſint? Et affirmativam ſententiam Autor his potiſſimum rationibus adſtruit: ſecundum famoſam Juris regulam, temporariam mutationem Jus provinciæ non innovare; ſpectandam eſſe originem; nec pro abſurdo reputandum, ſi alicujus numeri ratio in appellatione non habeatur. Nam Fœderis Divini veteris dici interpretes LXX; neminẽ tamen neſcire, quod plures fuerint. Sic Centumvirale judicium & Centum-Viros fuiſſe dictos, licet quinque ſupra centum eſſent; imo aucto poſtea numero ad centum & octoginta, priſcam tamen Centum-Virorum appellationem manſiſſe. An vero Papa Romanus a Proteſtantibus Principibus *Sanctiſſimus Pater* ſatis commode appellari poſſit, ambiguæ deciſionis quæſtio videtur ex iis, quæ *cap. 66.* congeſta ſunt. Traditur hic, de titulo iſto diſputatum fuiſſe in Anglia, cum ageretur de nuptiis inter Carolum I. & Filiam Hiſpaniæ Regis contrahendis, ubi Papæ diſpenſatio ab altera parte deſiderata fuit. Cum enim Pontifex prius epiſtola ad Regem Angliæ ſcripta ei titulum Dilecti Filii largitus eſſet, exinde illos, qui ſuaſores hujus connubii extiterant, fundamentum petiiſſe, Pontifici ex relatione civili titulum Sanctiſſimi Pa-

Digitized by Google

tris ceu mere politicum tribui poſſe. His tamen non obſtantibus, presſius Noſter concludit, vel ex hac ſola ratione Principes Proteſtantes non poſſe Pontifici largiri Patris titulum, quia in ſuis provinciis pro Patribus coli debent, & non tantum Epiſcopi, ſed & ſummi Pontifices in ſuis territoriis revera exiſtunt. Quod ipſum thema *de Jure Papali Principum Evangelicorum*, Magnificum *Strykium*, B. Zigleri in primaria Juris profeſſione in Academia Wittenbergenſi ſucceſſorem dignisſimum, in oratione ſua inaugurali nuper tractaſſe cognovimus. In *Cap. 72.* prolixa disquiſitio de Legatis eorundemque variis ordinibus, honoribus ac poſtulatis inſtituitur, quibus v. g. ex his titulus Excellentiæ ſit tribuendus, utrum ſecundo legato idem ſit exhibendus honor, qui primo defertur. Quem in finem exhibentur declarationes nonnullæ de hiſce cauſarum momentis a Legatis Brandeburgicis in conventu Neomagenſi Legatis Anglicis Mediatorum partes tum ſuſtinentibus oblatæ. Quæ Pontificibus Romanis circa titulorum ſecularium collationem competat poteſtas, & quæ de facto, ut loquimur, ab iis ſubinde fuerit uſurpata, *cap. 75. & l. 2. cap. 27.* fuſius exponunt. In *Cap. ſeqq. 77. & 78.* duas quæſtiones deciſionem ſuam ex Jure Civili expectantes deprehendimus. Primum quæritur, quam probandi vim habeant tituli in lapide vel monumento ſcripti? Rem totam occaſione *l. 6. C. de relig. & ſumt. fun.* hiſce concluſionibus exponere ſatagit Noſter: (1) ſi conſenſu perſonæ, cui vel ipſi vel hæredibus & ſucceſſoribus ejus, titulus inſcriptus incommodum adfert, is antea poſitus fuit, tunc absque dubio contra eam hæredesve ejus plenam faciet probationem. (2) Si de conſenſu non apparet, & in loco publico per tempus longiſſimum inſcriptio hæſerit, tunc perfectam & plenam probandi vim habet, ut is damnum adeo ſua culpa ſentiat, qui non contradixit. (3) Sed ſecus res habet, ſi nec longo tempore poſita, nec in loco publico deprehenditur inſcriptio, & inſuper neque de conſenſu neque de contradictione ejus conſtat, de cujus damno agitur, tum etenim titulus neutiquam probabit dominii alteriusve juris translationem, ac ne quidem præſumtionem pariet, maxime ſi extiterit in loco haud frequentato. Quæritur ſecundo de probandi modo. Repetit Noſter doctrinam a Bartolo ac Baldo traditam, probationem tituli ſupponentis collationem dignitatis, aut officii alicujus, faciendam eſſe per productionem originalium, ut loquimur; adeoque non ſufficere, ſi vel

testimoni-

Digitized by Google

teſtimonium codicillorum Principalium jam confectorum proferatur, aut ad teſtes vel famam publicam fiat provocatio. Quæ omnia majori ſolertia excutiuntur, ſi non de mero honore publice augendo, ſed de procedria, quam alius ſibi deberi ait, contentio fuerit ſuborta. Hoc etenim caſu obtinet diſpoſitio *l. 15. C. de R. V.* ut non is alteri præferatur, qui prior codicillos Principis manu ſignatos impetravit, ſed qui prior poſſeſſionem muneris, cujus titulus eſt index, acquiſivit; quod illuſtri exemplo quorundam Competitorum noviter evectorum in Collegium Principum ulterius declaratur. In *Cap. 85.* explanantur & ordine & re affines *Tituli Cod. de his qui potentiorum nomine titulos prædiis affigunt &c.* & *ut nemo privatus titulos prædiis ſuis vel alienis imponat vel vela regia ſuſpendat. Cap. fin. 88.* vigore *Auth. Habita C. ne filius pro Patre* eum, qui Studioſum vel Profeſſorem injuria afficit, ipſo jure infamem fieri, notat.

Et hæc ex Libro I. Sequitur Lib. II. qui licet 34 tantum Capitibus conſtet, & ſic nedum mediam prioris libri partem æquet, iſti tamen materiarum utilitate & jucunditate haudquaquam cedere videtur. *Lib. II.* *Cap. I.* titulos varios Scholarum tradit, earundemque characteres, qui pædagogia ſeu ſcholas triviales a gymnaſiis illuſtribus, iſta rurſus ab academiis, has ab univerſitatibus diſtinguunt. Cumq; de cõ ſatis conſtet, quod in Germania non niſi Imperatoris indultu academiæ poſſint erigi, quæritur porro, num gymnaſium illuſtre civitas municipalis conſtituere jure ſuo valeat. Negatur id ipſum, atque ad effecta ſuperioritatis territorialis refertur, ea potiſſimum de cauſa, quod nullum collegium abſque Principis conſenſu conſtitui queat. In *cap. 9.* exemplis compluribus adſtruitur, Reges & ſummos Principes ſubinde etiam alterius Reipublicæ civibus titulos conferre ſolere. Quo in caſu commendanda venit Fœderatorum Belgii Ordinum cautela. Iſtis tale quid ubi ſubolet, malunt prævenire alios, & eosdem prius Proceribus ſuis decernere honores; ne forte vel non agnoviſſe ſuorum merita, vel impares extraneo Principi in conferendis honoribus eſſe videantur. Ideo cum juſſu Reipublicæ ſuæ Legatus Venetus Danielem Heinſium Equitis cingulo donare vellet, eidem eandem dignitatem Patriæ Ordines prius contulerunt. Cumque alio tempore Ludovicus XIII Rex Galliæ Belgis Fœderatis per literas denunciaſſet, hoc ſe in mandatis dediſſe Legato ſuo, ut Principem Auriacum, cui hactenus Excellentiæ titulus tributus

Digitized by Google

fuerat, majori titulo *Alteſſe* exciperet; tale reſponſum tuliſſe fertur ab Ordinibus, gratias ſe agere Regi, quod eadem ipſi mens eſſet, quæ ſibi eſſet: nam & pridem ſe Principem Auriacum condecoraſſe titulis, qui idem ac Gallicum *Alteſſe* notarent. A moderno vero Principe Auriaco WILHELMO, jam Magnæ Britanniæ Monarcha, Licentiati Juris titulum, quem Academia Cantabrigienſis ejus Serenitati ante annos non ita multos ſubmiſſe obtulit, clementiſſime admiſſum eſſe refertur in *Cap. 12.* cui jungimus *cap. 19.* quod Regiæ Domus Stuardianæ nomen gentilitium eruit. Teſte Buchanano, natales illud ducit ab officii titulo. Poſtquam enim conditor Sereniſſimæ hujus Familiæ Gualterus pater Roberti Regis Scotiæ ampliſſimã meruerat dignitatem, quæ populi iſtius lingua audit *High Steward*, quaſi diceres ſummum Vicarium; factum eſt dehinc, ut poſteris ejus, auguſto licet ſolio admotis, titulus iſtius officii in *Stuard* contractus, ex tenaci ſubditorum uſu adjiceretur, quamvis perperam, nec absq; omni indignatione Regum. Simile quid circa Familias illuſtres Seneſchallorum & Truchſeſſiorum accidiſſe, fuſius memoratur. *Cap. 29.* concurſum titulorum ac officiorum examinat, & quæ circa *l. f. C. de Adſeſſ.* moveri ſolent. Recenſentur poſtea conditæ hac de re a Batavis leges, earundemque fata; quibus præmiſſis, tranſitus fit ad quæſtionem præjudicialem Comiti Portlandiæ ab Ordinibus patriæ non ita pridem motam. *Cap. 31.* Actiones inveſtigat, quæ intuitu titulorum, in quantum dignitatum, officiorum ac poſſeſſionum indices ſunt, competere cenſentur. Varia vero remedia pro caſuum varietate ſemet offerunt. Occurrit (1) Poſſeſſorium ſummariſſimum; quando inter Principes potentiores metus armorum ſubeſt; ſequuntur (2) Actio ex interdicto uti poſſidetis, (3) Actio injuriarum, (4) Actio negatoria & confeſſoria, (5) Actio præjudicialis, (6) Actio ex L. Diffamari, (7) Condictio ex lege priva adverſus illum, quiſſciens dolo malo alicui negavit titulum debitum, ut pœnam privilegio expreſſam luat; quorſum ſpectant, quæ habentur *in med. art. 44. Capitul. Leopold.* Nec privatorum tantum vindicationi titulos relictos eſſe credendum, quin illos publica tutela gaudere *Cap. 33.* demonſtratur. In *Cap. 34.* & fin. incidenter Autor vitæ, ſtudiorum ac honorum ſuorum curſum & incrementa exponit, adjiciens prætermiſſa ſeu ſupplementa nonnulla. Præ cæteris monet a ſe paſſim uſurpatam formulam, Ordines Imperii a Cæſare receptos eſſe in con-

ſortium

Digitized by Google

ſortium Majeſtatis: utque mentem ſuam clarius exprimat, addit, modum Regiminis iſtius convenientius vix poſſe conferri, quam cum ſtatu matrimoniali, ubi mulier viro nupta recipitur ab hoc in omnis vitæ conſortium, quo non curarum tantum, ſed & imperii domeſtici particeps fit; & tamen paterfamilias eſt, qui in domo dominium habet. Perinde ergo, ut paterfamilias æquiore animo ſibi feret dici, quod conjugem admiſerit in conſortium dominii vel imperii domeſtici, quam eum nil invita uxore poſſe facere, cunctaque ſine hujus conſenſu geſta eſſe nulla: ſic & ſatius fore, ſi omnes illæ quæſtiones de ſede Majeſtatis in Imperio cum reliquis luſoriis proſcriberentur, earumque tractatio Profeſſoribus aliisque, qui de Jure Publico ſcribere volunt, gravi pœna interdiceretur. Absq; ulla autē acerbitate, jurium ac negotiorum publicorum capita ſic poſſe diſtingui, ut tradatur, quid Cæſar ſolus faciat ac facere poſſit, quidve Ordines ſoli faciant facereve queant, & in quibus rebus horum arbitrium expectare Auguſtus noſter lege de ejus imperio lata promiſerit. Humaniſſimis denique verbis in §. §. fin. Lectorem compellat Autor, ut æquo animo ferat, ſi quid forte vel citra voluntatem ſuam in alios liberius dictum, aut prætermiſſum, aut non ſatis methodice prolatum fuerit. Quo ipſo egregie nobis implere videtur axioma in Jure Canonico paſſim obvium: *Bonarum mentium eſſe culpam timere, ubi culpa non eſt.*

NOUVELLE ANATOMIE RAISONNE'E, OU les uſages de la ſtructure du corps de l' homme, & de quelques autres animaux, ſuivant les loix des Mechaniques, par Daniel Tauvry, Docteur en Medecine.

hoc eſt,

Nova Anatomia ratiociniis inſtructa, ſive uſus ſtructuræ corporis humani & nonnullorum aliorum animalium, ſecundum leges mechanicas, autore Daniele Tauvry Medicinæ Doctore.

Pariſiis, apud Stephanum Michallet, 1690. in 12.

Conſtat plagulis 17. cum 20. iconiſmis.

Tanto

TAnto cum artificio machina corporis humani elaborata eſt a ſapientiſſimo Creatore, ut, licet quamplurimi ſagaciſſimi viri omne ſtudium, operam & laborem collocarint, partim in perſcrutanda automati hujus fabrica, & cognoſcendis inſtrumentis, quibus mens noſtra corporis molem agitat, partim in explicando ſingularum partium uſu, nondum tamen nec ſibi nec aliis ſatisfacere in omnibus potuerint, relicturi quam plurima poſterorum diligentiæ. Quæ cum apud ſe perpenderet doctiſſimus hujus libri Auctor, non putavit ingratum fore naturalis ſcientiæ conſultis, ſi ſua cogitata de uſu ſtructuræ corporis humani in publicum proferret, ac cum ipſis communicaret. Habet autem ille corpus humanum pro machina quadam ſtatica, hidraulica & pneumatica, cujus hypomochlia & vectes ſint oſſa, funes muſculi, antlia cor & pulmones, canales vaſa in quibus liquores curſum circularem peragunt. Hinc ergo primum paucis figuram, ſitum, ſtructuram & connexionem partis, cujus actionem explicare inſtituit, deſcribit, & nonnunquam de organis brutorum ad eundem uſum aptis natis quædam diſſerit, deinde ex principiis phyſicis ac mechanicis uſum ejus derivat. Qua quidem in re ita verſatur, ut ſicubi recte cenſere ipſi videntur Doctores alii, calculum ſuum ipſis adjiciat, ſed ubi res nondum ad liquidum eſt deducta, ſuas quoq; conjecturas proferat, tanquam hypotheſes ſimpliciſſimas. Ex his ſpeciminis loco præcipuas ſummatim recenſebimus. Spiritus animales, prout vulgo explicantur, non dari, ſed *cerebrum* liquorem quendam ſubtiliſſimum a ſanguine ſecernere, qui nervos imbuens tantam rigiditatem ipſis conciliet, ut ab objectis ſenſilibus debita ratione commoveri poſſint. Odoriferarum rerum particulas non immediate ad *olfactus* organon adplicari, ſed aerem, qui dum in illis hoſpitaretur, determinatum quendam modum acquiſivit. *Muſculorum* fibras ex veſiculis conſtare, in quas ſanguis ab arteriis continuo impellatur. Quod ſi vero nerveæ fibræ, quæ extrema fibrarum carnearum cingunt, ſe contrahant, non patere exitum ſanguini ab arteriis adfuſo, atque ideo intumeſcere muſculum, & partem mobilem ad ſe trahere. Dum *inſpiramus* aerem, non influere ſanguinem in pulmones, ſed aerem in interſtitiis hærentem a lobulisque inflatis preſſum comprimere vaſculorum orificia, ſanguinem vero inibi contentum & in anguſtias redactum, cum ſecundum lineam rectam moveri prohibeatur, deflectere in motum circularem, atque hinc oriri ſanguinis colorem pariter atque calorem: interim vero

illum

illum quoque ab aere partes quaſdam elaſticas recipere, a quibus deinde in vaſcula capillaria protrudatur. Sanguinem ad *lienem* adlapſum, dum cellularum fibræ contrahuntur, comminui quaſi ac ſubtiliorem reddi; hinc vero deferri ad jecur, ut bili admixtus motum ejus celeriorem reddat, ne diuturniori mora partibus, quas alluit, noxam adferat: ab *omento* vero oleoſas particulas ad bilis præparationem conferri, quibus involvantur ſalina ipſius ſpicula. Renes ſuccenturiatos eundem fere uſum habere cum epiploo, & ſanguini ſuppeditare partes pingues & oleoſas. In *ovulis fæmellarum* non fœtus ſtamina, ſed ſemen illarum contineri, idque dum cogitationibus, quas amor ipſis ſuggerit, indulgent, exprimi, & in uterum delatum ibique menſem circiter detentum, acorem contrahere, quo orificia vaſculorum reſeret, fluxusque menſtrui ſit origo. Beſtias vero ab hoc immunes eſſe, cum in illis oſcula vaſorum uteri glandulis ſint obſita, nec proinde facile arrodi poſſint.

THE ART OF PRACTICAL MEASURING &c.

hoc eſt,

Ars praxin Geometricam facile exercendi, bipedalis regulæ adminiculo. Auctore Heinrico Coggeſchall.

Londini, apud Thomam Bennet, 1690, in 12. Plag. 6.

Quamvis plurima paſſim proſtent inſtrumenta, quibus facile expediuntur ea problemata, quæ ad Geodæſiam & Stereometriã pertinent, teſtatur tamen Auctor hujus libri, in Anglia præcipue probatam fuiſſe regulam hic deſcriptam, atque hinc factum quoque eſſe, ut ejus uſum explicandum ſibi ſumeret. Quod ut commode faciat, Logiſticæ decimalis præcepta præmittit, modumque exponit in uſum vocandi Logarithmos Tovvneleanos, de quibus nemo hactenus præter Jonam Moor mentionem injecerit. Deinde tam ſuperficies quam corpora ope regulæ ſuæ dimetiendi modum oſtendit, tandemque ſciatericorum præcipuorum conſtructionem edocet, varias hincinde tabulas ad res propoſitas facientes interſerens.

IL GENIO VAGANTE, &c.

Digitized by Google

Genius vagans, ſeu Bibliotheca curioſa ex centum & pluribus Itinerariis a Comite Aurelio Anzi collecta. Pars I.

Parmæ, apud L. M. Ruinetti, 1691, in 12. Plag. 24.

PHotii Conſtantinopolitani, per Myriobiblon ſuum æternam famam meriti, & *Joh. Bapt. Ramuſii*, a tribus diverſorum Itinerum voluminibus, ſuperiori ſeculo editis, ſatis noti exemplo excitatus, ſimilem ex variis cujusque linguæ Relationibus præſentis ſeculi Bibliothecam Itinerariam Ill. Autor adornare inſtituit. Et in Præfatione quidem ſuccinctam eorum exhibet notitiam, qui *Bononia* oriundi peregrinationis ſtudio inclaruerunt, inter quos *Ludovicus Bartema*, & *P. Franciſcus Pipinus* emineant, cui Latinam *Marci Pauli Veneti* Hiſtoriam oblivioni alias prope obnoxiam debeamus. Orditur deinde opuſculum ab itinere cujusdam *Martiniere*, qui opera ſua chirurgica Societati
pag. 3. *Boreali* & *Islandicæ*, Friderici III Daniæ Regis auſpicio A. 1647 inſtitutæ
6. addicta, Septentrionales partes perluſtraverit. De *Bergæ* Norvegiæ emporii, cujus palatium Archiepiſcopale Hamburgi, Lubecæ & Bremæ uſui ceſſerit, mercatoribus refert, quod in loco publico, qui *Cœnobii* nomine veniat, certam Fraternitatem inter ſe & cælibatum colant, huic poſteriori vero renunciantes, negotiandi libertate retenta, inde excedere
9. neceſſe habeant. In ſingulis *Lapponiæ* ædibus nigram ali *felem*, quæ incolas, quocunque abeant, inſtar fidi Achatis comitetur, & veſperi circa
17. negotia domeſtica in conſilium adhibeatur. In *Siberia* quinque ipſi honeſtioris conditionis exules, qui a M. Moſcoviæ Duce eo relegati fuerint, obvios factos intolerabilem ſui ſimilium miſeriam expoſuiſſe; quomodo quotidie venatum ire coactis, præter famem, intenſiſſimum aeris rigorem, & ferociſſimarum beſtiarum incurſus, larga ictuum, qui coreaceis ſcuticis nudo corpori infligantur, meſſis immineat ſtatum muſtelarum Scythicarum numerum non referentibus.
27. Notari ab eodem Geographos, longitudinem freti *Weygaz* intra 10 leucas Gallicas reſtringentes, cum ultra 30 milliaria Germanica ſe extendat; unam item eandemque *Zemblam* in *veterem* & *novam* male *diſpeſcentes*: *Hollandos* quoque fruſtra eſſe, qui de ingreſſu in mare Tartaricum unico navigio tempore Mauritii Naſſovii facto glorientur, cum montibus *Pater noſter* dictis & perpetua glacie obſi-

tis

tis undique cinctum ſit. A *Franciſco Negri* Ravennate multa ad *Lapponiæ* notitiam facientia edoctus Autor noſter, ex parva incolarum pag. 33.
ſtatura refutari eos aſſerit, qui quæ de Pygmæis traduntur, pro commentis habeant; nec, cum inertes ſint & meticuloſi, *Guſtavum Adolphum* S. R. aliquot eorum, ut vulgo perhibeatur, legiones ſecum traxiſſe, ex *Scheferi* Hiſtoria, a P. *Lubino* A. 1678 Gallice reddita, itidem
confirmat. Ex itineris a *Frid. Martens Hamburg.* A. 1671 *Spizbergam* 44.
verſus ſuſcepti deſcriptione, a *Jacobo Rautenfels* Nob. Curland. in
Italum idioma translata, didiciſſe ſe ait, quam jucundum glacies iſtius loci ſpectaculum præbere ſoleat: ita integra apparuiſſe ſacella cum 52.
feneſtris & portis ſuis, tabulas item & menſas quadratas & rotundas cyaneis pilis innixas, ex quarum una vel 40 perſonarum capaci, ſtiriæ inſtar tapetis pependerint: cadavera etiam poſt 30 annos ita incorrupta
reperta fuiſſe, ac ſi pridie demum exanimata fuiſſent. Poſt Synopſin 60.
aliquam Navigationis Batavicæ A. 1594. ſeqq. in *Novam Zemblam* exhibitam, de tranſitu in Indias Orientales per mare Septentrionale adhuc 73. 84.
ſperando ratiocinatur, ſi inter *Spizbergam*, & novam *Zemblam*, Continentis partem & falſo hactenus inſulam creditam, usque ad 78 & 79 grad. inſtituatur navigatio, & ſi hibernandi ibidem neceſſitas occurrat, non in ſuperficie, ſed ſub terra habitacula, frigoris arcendi cauſa, extruantur. De ſimili tranſitu inter Grœnlandiam & Americam, ex Indiis item Orientalibus in Europam tentato ibidem agitur;
ſubjiciuntur etiam quædam de naturalibus Islandiæ & Grœnlandiæ; 115. 94.
& quomodo in oris ejus maritimis nauclerus Societatis Grœnlandicæ Daniæ 300 dolia arena aurei coloris & ponderis A. 1616 repleverit,
aurifabris vero ne granum quidem auri eruentibus, in mare Balthicum 100.
juſſu Capitis Societatis arenam ejicere coactus præ mœrore obierit; ſubeunte tamen paulo poſt jubentem pœnitentia, cum alius quidam aurifaber ex eadem arena puriſſimum aurum extraheret. De quatuor
item Grœnlandis in conſpectum Regis adductis additur, eos præ ani- 113.
mi ægritudine pariter defunctos eſſe, cum ſexaginta jam milliaria na-
tando emenſi, ex fuga in patriam per mare tentata retracti fuiſſent. In 127.
longa ſatis epiſtola *Herculis Zani* Equitis Bonon. (qui inſigni linguarum variarumque ſcientiarum apparatu inſtructus totam Europam, Turcia excepta, perluſtravit, hanc etiam aditurus, niſi A. 1684. vita cum morte commutanda fuiſſet) de ſtatu *Moſcoviæ*, quem A. 1671 in

Digitized by Google

comitatu Legationis Polonicæ altius pernoſcendi opportunam com-
moditatem nactus erat, varia ſcitu jucunda occurrunt. Ita, ut pauca
pag. 143. attingamus, ob indiſpenſabilem Regni legem neminem, qui cum Legatis
accedit, ante quam hi ad M. Ducem introducti fuerint, quicquam in
urbe negotiandi licentiam habere. De urbis, Pariſiis & Londino tri-
plo majoris, amplitudine ex 700000 incolarum & 2000 templorum
copia conſtare poſſe, quorum potioribus extruendis architectus Ita-
148. lus *Ariſtoteles* Bononienſis a *Joh. Baſilide* immenſis ſumtibus adhibitus
fuerit. Ad ſingulos viarum angulos, vel trahas vel eſſeda, prout anni
cardines id exigunt, parata inveniri, quibus, quocunque lubeat, pro
certa mercede deveharis. Cujuscunque generis artifices, inſtitores
& mechanicos peculiares ſibi habere regiones, in quarum una, ad mil-
154. liaris longitudinem, non niſi Sanctorum imagines venum expoſitæ con-
ſpiciantur; ubi tamen *emendi* vel *vendendi* vocabulis uti religio eſt, ſed
emptor, num hoc vel illud pretium argenteum cum imagine quadam
permutare velit, rogatus, illud absque ulteriori contentione venditori
numerat. Inter cerimonias circa publicam Legatorum admiſſio-
nem obſervari ſolitas, & illam refert, quod *Bojarus* quidam (quod
156. nominis *Conſiliarium* innuit) Magni Ducis manum elevare, & advenis
oſculandam porrigere ſoleat. Infideles tamen, qui canum loco ha-
beantur, ad genuum ſolum admitti oſculum. Omnem Religionis in-
novationem cum averſentur Moſcovitæ, duabus tunc primariis fœmi-
nis de Ritualis modo eccleſiaſtici mutatione aliquando diſſerentibus,
ſub crurifragii comminatione ſilentium impoſitum fuiſſe. Fabulam
161. alioqui eſſe, quod Sanctorum ſuorum imagines, beneficio quod ſibi
petierant, non impetrato, flagellis cædere dicantur. Poſtquam ſolen-
167. nem fluminis in feſto *Epiphaniæ* conſecrationem, cum tali aqua peccata
180. ablui credantur, & pompoſam Dominicæ *Palmarum* celebrationem
ipſo *Zare* (quod vocabulum Regem proprie denotare, Bibliorum auto-
ritate probatur) ejusque Aulicis præſentibus peragi ſolitam, exacte de-
ſcripſit, de proceribus agit, & quod nulla præ viliſſimo ſubditorum
prærogativa gaudeant, fuſtigationi, æque ac illi, obnoxii, *Bojari* ob
181. defloratam gynæcei virginem publice, usque dum expiraret, *flagellati*
exemplo confirmat. Statuta Regni, & Anteceſſorum *Sanctiones* A.
1647 a *Zaro* rerum tunc potiente in uno volumine *collectas* & typis
vulgatas eſſe, in quibus de cultu divino, judiciis, bonorum diviſione,
tutelis,

tutelis, mancipiis, &c. pauca quædam diſponantur, conſuetudine & praxi legum paucitatem ſupplente. Omnem viris ad Gynæceum aditum interclusum, & ſi quæ male ſe habere incipiat, a medico accerſito, & a provectioris ætatis matrona de morbi genere edocto, congrua ei remedia applicanda eſſe. Teſtatur etiam, priſcam illam in feſto *Paſchatos* ſe invicem ſalutandi formulam: *Chriſtus reſurrexit: vere reſurrexit*, uſu adhuc obtinere; quo tempore *Zarus* quoque miniſtris & exteris duo rubicunda ova diſtribuere ſoleat. Eam eſſe porro linguæ Moſcoviticæ & Polonicæ affinitatem, ut citra interpretis interventum loquentes ſe mutuo intelligant. *Waiwodis* hodie uxores & liberos in provincias ſecum ducere licitum eſſe, quos olim obſidum loco relinquere opus fuit; variis interim Secretariis aliiſque miniſtris actionum obſervatoribus adjunctis. Dum ritus nuptiales recenſet, nec hunc intactum relinquit, quod tertio ferculo illato ſponſus ad thalamum ſponſam deducat, & certis fœminis jacturam libertatis interim pro mercede aliqua deplorantibus, poſt horam circiter ſponſi pater poculum vini plenum convivis porrigat; hoc ſi pertuſum ſit & effluat, ſponſam violatæ pudicitiæ ream inventam fuiſſe indicio eſt, & reſcindendo matrimonio anſam præbet; quæ reſciſſio etiam ob alios corporis defectus locum habet, ſi modo dotem duplicatam reddere ſponſus paratus ſit. Cognationem ſpiritualem & quartum gradum matrimonia impedire: mariticidas collotenus vivas ſepeliri: ad certos annos vendi poſſe uxores, ut & liberos in ſervitutem tradi, ſi parentes ære alieno urgeantur; qui communiter ob laxiorem diſciplinam eos minus habeant morigeros, ob promiſcuum etiam cum liberis balnei uſum merito deteſtandi. Procerum alicui injuriam inferens duplo majorem offenſo mulctam ſolvere cogitur ſalarii, quod hic ex aula percipit. Inter Nobiles, qui majores ſuos civilitate hodie ſuperant, inveniri, qui in arctioris amicitiæ ſignum, exteros ad uxores introducant, quæ ni idiſſime comptæ, porrecta prius aqua vitæ, juſſu maritorum genis oſculum infigi patiantur, eoſque vel flore bombycino vel ſtrophiolo acu picto, aut alio id genus munuſculo donatos dimittant. Lites inter eos exortas, conſcenſis equis, baculis terminari, quibus ſe invicem excipiant. Veluti devotio in templis ſpatioſis & ſubſelliorum vacuis ſe exerens, exuberantius erga Principem obſequium, & haud æque ubivis obvia in pauperes largitas, inter primarias virtutes referendæ ſint:

Margin references: pag. 189. (beside "& praxi legum… Gynæceum"); 191. (beside "ei remedia…"); 196. (beside "& exteris duo…"); 202. (beside "ventum loquentes…"); 205 (beside "actionum obſervatoribus…"); 218. (beside "jorem offenſo…"); 221 (beside "ſtrophiolo acu picto…").

 ita

pag. 224. ita ebrietatem utrique ſexui, Religioſis etiam nimis familiarem, & ob negligentiam inde oriundam tot cientem incendia, ſuperbiam, & impotentem mutuis ſe proſcindendi conviciis pruritum, turpiſſimam ipſis aſpergere maculam. Frequentiſſimi uſus monetam, ab una parte *Zari*, ab altera *Equitis* effigie inſignitam, (quæ *Kopek* dicatur, & dimi-
259. dium ejus *Deniske*, cujus generis vel centum Ducato valore æquales citra ullum loquelæ impedimentum intra buccam recipi videas) exportare velle graviſſimum piaculum eſt. Et cum olim fodinæ ob induſtriæ defectum ignotæ fuerint, verſus Tartariæ fines fodina ferri ſe prodente, rogatu *Zari* ab Electore Saxoniæ foſſores impetratos, eorum-
257. que opera notabilem ferri copiam inde erutam fuiſſe. In M. Ducis *Alexii Michalovicii* laudes dum excurrit, a miti eum, juſto, caſto, pio & ſobrietatis ſtudioſo commendat animo, qui Regicidio Anglicano intellecto, facti indignitate commotus Carolo II. 50000 militum obtulerit, & univerſis Anglis ejectis, omnem Legatis a Cromvello mittendis aditum denegaverit; qui literarum amore quotidie librorum in linguam ſuam translatorum lectioni aliquid temporis impenderit, & *Luciano Goloſovio* Bojaro Latine docto, & *Naſocchino*, Latinæ, Gallicæ & Germanicæ linguæ perito, ut & *Paiſio Ligaridio* Chio, Metropolitano Theſſalonicenſi, ob eruditionem largi ſtipendii oblatione ad ſe evocato, impenſe faverit, aliasque artes munificentia ſua promoverit; unde & in gratiam Regis artificioſis fabricis oppido delectati, Proceres in ſpatioſa ante urbem planitie complura eaque ſplendida ab utroque latere
234. palatiola erigere certaverint. Primarii quoque, qui magna apud *Zarum* gratia valuit, Miniſtri *Artemonis* meminit, & quomodo ex hujus arbitrio ultimā conjugem Princeps duxerit, *Nataliam* ſcilicet, filiam *Cyrilli Poliocrevicii* Equitatus Smolenskovienſis Præfecti, origine tamen *Germani*, quam ex formoſiſſimarum Regni corona, & ex tribus harum omnium, prævia matronæ honeſtæ exploratione, perfectiſſimam
269. inventam Principi ſuo ſelegerit. Sequuntur itinera a *Vincentio Fava*, itidem Equite Bononienſi, in *Africam* & *Syriam* A. 16:5; item a *Seba-*
305. *ſtiano Berni* Societatis Jeſu A. 1655 in *Ciſrariam* ſuſcepta, qui poſte-
313. rior *Goam* quoque adiit, ubi S. *Franciſci Xaverii* corpus viſitans integrum idem, excepta altera manu, quam Roma habet, & ore aperto
325. prædicantis quaſi, reperit. Literæ nonnullæ a *Joh. Ludov. Zani*, Excubiarum Præfecto, & Glogaviæ A. 1671. ex ictu globi defuncto, ad

Propin-

Propinquos ſuos ſcriptæ, varia ad ſucceſſum belli Sueco-Danici ut & Cæſareo-Turcici in Hungaria & Tranſylvania tunc geſti, ſpectantia continent; in quibus nec illud reticendum ſibi putavit, quantum commodi pauxillum illud Latinitatis ex ſchola adhuc reliquum ſibi attulerit. pag. 338. Subjungitur *Nova diviſio Terræ* per differentes incolarum ſpecies & generationes inſtituenda, deſumpta ex Ephemeridibus Gallicis d. 24. Apr. A. 1684. 387. In hac *Lappones* peculiarem & quidem quartam ſpeciem conſtituunt; 393. cumque quoad ſequiorem ſexum pulchræ & deformes ubique reperiantur, pulchritudinis cauſam non ſolum in aquæ, ciborum, regionis & aeris, ſed potiſſimum etiam in ſeminis certæ ſpeciei vel generationi quadrantis qualitate quærendam eſſe. Sic in *Ægypto* & *Africa* reperiri, quæ vel cum Cleopatra 395. aut famoſa illa Veneris Romanæ ſtatua certare poſſint; *Mingreliam* quoque, *Georgiam*, & *Circaſſiam*, omnium peregrinantium conſenſu, pulcherrimas totius Orbis fœminas fovere, adeo ut nec Chriſtianis nec Judæis mancipia muliebria in *Circaſſia* ſibi comparare liceat, ſolis Turcis & Muſulmanis reſervanda. Partem hujus Operis primam claudit compendiaria trium Regnorum Africæ, *Congo*, *Matamba* & *Angola* deſcriptio, ex vaſto *Cavazzi* Opere excerpta, cujus recenſionem cum jam dum in Actis noſtris A. 1687. menſe Decembri exhibuerimus, hoc labore, ne actum agamus, eo facilius ſuperſedebimus.

LES MEMOIRES DE MONSIEUR DE Puyſegur. i. e.

Commentarii Jacobi Caſteneti, Equitis, Domini de Puyſegur, Tribuni legionis Pedemontanæ, & in exercitibus regiis ſub Ludovico XIII & XIV Locumtenentis generalis, publicati a Dn. du Cheſne, Conſiliario Regio & Hiſtoriographo Galliæ. Acceſſerunt inſtructiones militares. Tomi II.

Amſtelodami, 1690. in 12. Plag. 22.

QUanquam multa cum libertate, res a ſe geſtas vel viſas Vir hic fortis & rei militaris peritiſſimus in commentariis hiſce ſuis retulerit & deſcripſerit, de genere tamen ſuo & parentibus nihil memorat; ſed ſupplevit

Digitized by Google

plevit hoc in præloquio, quod opuſculo præfixum eſt, editor Dn. *du Cheſne* indicans , natum illum fuiſſe (quo die & anno non notavit) ex nobili & ſplendida in Aquitania familia; tabulam quoque progonologicam addidit. Patrem habuit XIV liberorum parentem, inter quos *Jacobus* hic ſeptimus fuit, qui poſtquam ex ephebis (inter quos in Ducis Guiſii aula locum habuit) exceſſiſſet, militiæ nomen dedit, totosque quadraginta quinque annos Regibus ſuis fidelem & utilem præſtitit operã; ætatem vero ad octoginta duos annos produxit, ea felicitate, ut in tot expeditionibus, in quibus maxima pericula intrepide adierat, nunquam vulneratus fuerit, licet bis in hoſtium venerit poteſtatem. Referuntur in eodem præloquio contenta documentorum quorundam, quæ poſt excuſum jam commentarium reperta ſunt, ad hiſtoriam illuſtrandam & confirmandam facientia; ſunt autem literæ Regum, Principum, & Ducum exercituum regiorum, ad *Puyſegurium* vel de eo ſcriptæ. Quod commentarios ipſos attinet, tam varia & multa in iis narrantur, ut recenſeri in compendio ordine & prolixe non poſſint, ſed per ſumma tantum capita, aut notabila quædam eundum ſit. Initium narrationis ab anno 1617, finem vero in anno 1658 facit Autor. Interea, quæ de ſeipſo refert, plurima ſunt, quæ animi præſentiam, conſilii copiam & intelligentiam rei militaris inſignem, tum probitatem non vulgarem oſtendunt. Cum anno 1620 in civili illo tumultu, qui inter Regem Ludovicum XIII, matremque ejus Mariam Medicæam ortus erat, Puyſegurius, viginti forte annorum adoleſcens, & adhuc gregarius miles, cum hoſtibus profugis in caſtellum quoddam prope urbem Andegavenſem, ardore quodam animi perrupiſſet, non mortem ſolum evaſit, ſed & præſidiariis perſuaſit, ut deditionem Regi fa-
pag. 4. cerent; id quod Mareſcallus Galliæ, *Franciſcus Baſſompetra*, in ſuis quoque notavit commentariis, quanquam Puyſegurium errore quodam *Puyſigutium* nominaverit. Anno 1622, cum bello, quod vocant, Hugonotico in obſidione Montiſpeſſulani in cohorte quadam prætoria inter minores ordinum ductores adhuc eſſet, ob ſolertiam tamen & fortitudinem a Ducibus regiis delectus eſt, ut muni-
20. mentum quoddam ſuburbanum (*cornutum* vocant) exploraret, quod cum vitæ diſcrimine præſentaneo ea fide & peritia præſtitit, ut dignus haberetur, qui Regi ipſi, quæ egerat, referret; quod ea fecit ingenuitate, auſus etiam conſilium de ratione oppugnandi munimenti dare, cui ſucceſſus reſpondit, , ut Rex primum Signiferi, qui vacaturus eſſet,

locum

locum ei promiſerit; generoſe enim recuſaverat pecuniam præmii loco a Rege oblatam, eamque ſodali ſuo, qui in exploratione iſta vulnus lethale acceperat, volente Rege, tradidit: ſed præventus ambitu potentiorum, ſigniferi munere non niſi poſt annum & ſex menſes potitus eſt, interim inter *ſclopetarios*, quos *majores* vocant, Regii corporis cuſtodiæ deſtinatos receptus. Anno 1631, cum ſeptem annis ſignifer fuiſſet, ſoluto XII millium librarum Gallicarum, i. e. quatuor imperialium millium pretio, in legione veterana, quæ a Pedemontana provincia nomen olim ſortita eſt, centurionis locum & vigilum præfecti acquiſivit. Hoc pag. 36.
per occaſionem in actis anni 1622 refert, & poſtea anno 1632 repetit. 110.
Interim cum adhuc inter ſclopetarios illos eſſet, a Rege tamen, qui in Subalpinis tunc bellum gerebat, ob inſignem peritiam rei tacticæ, ut & favore quodam ſingulari, delectus eſt ad inſtruendas copias, 57.
quibus Rex ſororem ſuam, Sabaudiæ Ducis uxorem excipiebat, & inſtituto certamine ſimulato delectabat; ut vero ornatior labore illo fungeretur, veſte, qua Rex ipſe die præcedente uſus erat, donatus fuit. Nec ſolum in expeditione bellica opera ejus libenter uſus eſt Rex, ſed & in negotiis occultioribus, quale fuit, cujus gratia Bruxellas, ubi tunc Regina mater exulabat, anno 1622 miſſum ſe eſſe ſcribit, & in quo induſtriæ ſuæ ſpecimen haud exiguum dedit. Anno 1635 interfuit expeditioni, quam regius exercitus ductu *Bernardi Saxoniæ Ducis* Vinarienſis, & Mareſchallorum *Forcæi* & *Brezæi* ad Rhenum ſusceperunt, in qua multa narrat ſuo conſilio & opera geſta, ut & anno 1636 in Belgio ſub Caſtilianæo & eodem Brezæo Mareſchallis. 112.
Anno 1637, cum legio ſua ſub Ludovico Borbonio Comite Sueſſionenſi Campaniæ ſummo Præfecto militaret, inſigni illi & regii ſanguinis Principi induſtriam virtutemque ſuam multis experimentis probavit Puyſegurius; 138.
honeſti etiam & boni viri officium ei præſtitit, cum apud Regem, apud quem male delatus erat, fidem & prudentiam ejus laudaret, & quosdam caſus adverſos excuſaret. 153.
Anno 1639, Rege ipſo præſente, Heſdinum captum eſt, in qua obſidione quædam a Ducibus non optime adminiſtrata annotavit Puyſegurius, commendavit tamen Regi ſecreto eum interroganti Mellerajum ex Richelii clientibus, tormentorum Præfectum, juvenem quidem, nec ſatis peritum, ſed diſcendi cupidum & fidelem, qui etiam dignitate Mareſchalli Franciæ tunc honoratus fuit. 161.
Anno ſequenti 1640 urbs egregia *Atrebatum* in Gallicam venit pote- 101.

 ſtatem.

Digitized by Google

ſtatem. In ejus obſidione haud contemnenda Puyſegurii opera fu-
it, ſed præmia a Rege ſibi deſtinata, præfecturam nempe in cohorti-
bus prætoriis, invidia Cardinalis Richelii, & Henrici Deſſiati de Cinq-
mars, qui ſtabuli regii Præfectus major erat (vulgo *le Grand*) interverſam
eſſe queritur. Anno 1641, cum Comes Sueſſionenſis cum Duce Bullio-
næo Sedani tunc domino, arma contra Regem, aut potius, ut dice-
bant, contra Richelium cepiſſet, datum a ſe conſilium eſſe memorat, ut
munimentum ad pontem Moſæ Sedano oppoſitũ conſtrueretur, tametſi
ſuſpectus nihilominus Regi factus fuerit: quam tamen ſuſpicioné elu-
erit, cum Bullionæo perſuaſiſſet, ut cum Rege in gratiam rediret, ſingu-
lari illa in re induſtria verſatus, nec exiguis obnoxius periculis. Riche-
pag. 211. lii enim potentia tanta erat, ut Regi ipſi metuenda eſſet, ita ut, ſi fides
haberi debet *Cinqmartio* qui id Bullionæo aperuit, in nulla regni urbe
tutum ſe eſſe crederet, cum omnes a factione Richelii tenerentur, &
226. ideo Sedanum ſe recipere vellet. In prælio ad Baſſeam anno 1642, cum
magna clades ducum culpa, qui Puyſegurium recta monentem ſpreve-
rant, Gallis eſſet illata, captus ipſe ab Hiſpanis, annoque integro in
cuſtodia detentus eſt, nec niſi mortuo Ludovico XIII anno 1643 in Gal-
240. liam rediit, a quo poſt obitum Richelii, cui nunquam gratus fuerat,
inſignem gratiam ſibi promittebat. Hæc ex Tomo I. obſervavimus.

Tomo II. continuatur narratio de geſtis A. 1644 & ſequentibus.
249. Ex his notabiliora ſunt expugnatio Gravelingæ, Burburgi & aliorum
oppidorum A. 1645: Cortraci, Montium S. Vinoci, Furnæ, Mardici,
Dunkerchæ A. 1646: quibus expeditionibus pleriſque interfuit Puyſe-
gurius conſilio & manu promtus: obſervata quoque diſciplina & æ-
261. quitate multam acquiſivit laudem, cum Dixmuda cuſtodienda ei cre-
271. deretur. Anno 1648 captæ urbi Yprenſi a Condæo Principe præpoſitus
fuit; cum vero gubernatio ſuperior non *Caſtilianæo* Mareſcallo, ſed alii,
artibus aulæ prælato deferretur, præfectura illa ſe abdicavit, & poſtea in
expeditione illius anni multa prudenter & fortiter egit, & Furnenſibus
276. deditionem perſuaſit. Anno ſequenti 1649 Puyſegurius Magiſtri aulæ
regiæ (*maiſtre d' hoſtel*) munere fungebatur, cum Rex cum Regi-
na matre Lutetia civium ſeditione territus exceſſiſſet, & Turenius pro
285. factioſis exercitum contra regios duceret. Inſigne fidei ſuæ ſpecimen
tunc dedit Noſter, recuſatis centum aureorum millibus, quos ei Ellebo-
vius, ad Pariſienſes tunc tranſiens, offerebat, ſi partibus illorum accedere
& ur-

Digitized by Google

& urbis cuſtodiam ſuſcipere vellet. Erat enim hoc animo, ut Regi ſemper & unice adhæreret, nec potentium miniſtrorum nutum ſequeretur; quo quidem inſtituto rebus ſuis nocuit, ut non ſemel in hoc commentario & circa finem inprimis queritur, ſicque nec ad majora & fructuoſiora militiæ munera, quæ merebatur, evectus eſt. Licet etiam Condæo Principi valde acceptus eſſet, auſus tamen fuit anno præcedente, jam tum prævidens, quod regias partes deſerturus eſſet, diſerte & in faciem ei obteſtari, ſe ſub eo militaturum non eſſe, ſi id faceret. Dudum quoque, cum A. 1630 Rex *Marilliacum* Franciæ Ma- pag. 272.
reſchallum Richelii inſtinctu capi juſſiſſet, (qui & paulo poſt ſupplicio affectus eſt) promiſſam Reginæ matris nomine parem ſummam, ſi liberationem *Marilliaci*, a ſe cuſtoditi, procurare vellet, itidem rejecerat. 80.
Cum ille, de quo dicere cœpimus, tumultus prior, in quo *Puyſegurius* operam haud ſpernendam, in cuſtodienda ripa Matronæ amnis, exiguis licet cum copiis præſtitit, compoſitus eſſet; Regius exercitus ductu Comitis *de Harcourt* Cameracum obſedit, ſed necquicquam reclamante *Puyſegurio*, ſine cauſa, ut judicat, & cum damno ab urbe illa receſſit.
Anno 1650 amiſſam eſſe ſcribit *Neoporti* capiendi occaſionem, cum 300.
ne tunc quidem recte monens audiretur. Succesſit tamen conſilium 308.
ejus, quod *Mazarino* ad obſidendum Retelium munitum in limite Belgico oppidum, & ad prælium cum Turennio, factionis adverſæ du- 31.
ce, Hiſpanicis & Lotharingicis copiis ſubnixo, committendum ſuppeditavit. In hoc tam perite & fortiter ſeſe geſſit, ut licet ambigue 319. ſeqq.
pugnaretur, multaque minus recte adminiſtrarentur, victoria tamen ad 335.
ab regiis ſtaret partibus. At nec ea ratione *Mazarini*, quem candore ſuo plus ſemel offenderat, benevolentiam ſinceram acquirere potuit. Anno 1651, cum legiones regiæ ſub *Aumontio* Mareſchallo, ob ſtipendii defectum aliasque querelas ſeditionem moverent, ipſe verbis primum, & exemplo legionis cujus Legatus erat, in officio eas continuit, & poſtea ablegatus fuit, ut obſequium exercitus nomine Regi offerret. Quanquam vero morbo impeditus adire tunc Regem nequiit, grata tamen fuit voluntas ejus, ut Rex benigna epiſtola *d. 16. Septembris* data teſtatus eſt. Paulo poſt, cum tentatus, an Ducis Au- 342.
reliani, qui gubernationem regni olim neglectam denuo prætendebat, imperium agniturus eſſet, maſcule reſtitiſſet, ab ipſa Regina cum aliis veteranorum tribunis clementiſſime admiſſus & publice laudatus eſt. 358.

 Polli-

Digitized by Google

Pollicebatur autem Regina, manu capiti Regis impuberis, qui ejus ſinui adſtabat, impoſita, ſe fidei ſibi filioque præſtitæ oblituram non eſſe, & fore, ut Rex meliori tempore ſuo digna bene meritis præmia da-
pag. 359. turus eſſet. Tunc intra verba ſtetit gratia, & *Mazarinus* inſtituta ſaltatione oblectari tribunos & centuriones poſt aliquot dies curavit. *Laodunum* eo anno Puyſegurii opera ſervatum. Omiſſa enim ejus urbis occupatione, Condæus Reteliũ tunc aggreſſus eſt & expugnavit. Compenſatum id damnum fuit adacto ad deditionem, itidem Puyſegurii in-
366. duſtria, caſtello Portiano. Anno 1652 ſub Turennio, Regi jam reconciliato, & cum Fertæo copiis præfecto, denuo in recuperando Retelio utilem operam navavit noſter. Anno 1653 certamen ei cum Mazarino obortum eſt ſatis acre, quod is *Præfectum generalem*, quem vocant, ex equitatu & clientibus ſuis deligeret, præteritis veteranis peditum tribunis. Auſus eſt tunc Mazarino, præſente *Tellerio* dicere, ſe licet ille locum eminentiorem obtineret, non minus tamen Regis mini-
375. ſtrum eſſe. Offenſæ inde conceptæ ex genio nationis ſuæ memorem manſiſſe Cardinalem, cum damno ſuo ſe ſenſiſſe refert. *Monſonium* inde captum eſt, ſtrenue in oppugnatione ſe gerente *Puyſegurio*, ſed non ſine damno legionis. Anno 1654 ad Atrebatenſem urbem tum regius exercitus Turennio Duce, tum ex adverſo Condæus caſtra habuerunt, hic tamen in ſuis oppugnatus, & cedere accepta clade coactus eſt.
384. 394. Multum conſilio & manu ad id contulit *Puyſegurius*, qui non longe poſt A. 1655 legionis Pedemontanæ, cujus Legatus huc usque fuerat,
395. Tribunus (*Meſtre de camp*) factus fuit. Capta ſunt eo anno a regiis, ſemper ſtrenue cum legione ſua militante Noſtro, Landrecejum,
396. Condatũ Fanum D. Gislenii & alia. Annus 1656 infelix fuit regiis partibus: cum enim Valencenarum urbem Turennius & Fertæus obſediſſent, tam prave omnia, ſpretis Puyſegurii monitis, ſunt adminiſtrata, ut Condæus magna ſtrage regios affecerit, & urbem, cui tunc *Bournevillius* præerat, liberaverit, captis in prælio illo non ſolum *Puyſegurio*, ſed &
397. Fertæo Mareſchallo, & magno ductorum regiorum numero. No-
422. ſter ſatis liberaliter habitus fuit a Condæo & aliis, fidemque ob fortitudinis & moderationis famam adeptus, ad captivos regiarum partium
423. liberandos viginti librarum millia erogavit, ipſe tamen *Mazarini* ma-
432. lignitate ſerius quam alii liberatus. Reverſus & a Mazarino ſatis comiter admiſſus Condæum, hoſtem tunc licet, ſummopere commen-

davit,

davit, neminem eſſe aſſeverans, a quo fortitudine & militandi peritia vinceretur. pag. 434. Experimentum anno ſequenti 1657 cum regiis Turennius ſenſit, cum ab obſidione Cameraci per Condæum depelleretur. 439. Eodem tamen anno Mardicum cepit Turennius, poſtquam a *Puyſegurio* de ſitu munimentorum melius inſtructus, oppugnationem non bene inſtitutam correxiſſet. Annus 1658 captura *Dunkerkæ*, *Furnarum*, *Dixmudæ*, *Ypræ*, *Meninii*, *Aldenardæ*, & profligatis plus una vice hoſtibus, proſper fuit Gallis. Secuta A. 1660 pace, Condæum in regnum redeuntem Puyſegurius Sueſſione ſtativa habens hoſpitio excepit, ſpreta Cardinalis invidia. Hic narrandi finem fecit Noſter, & nos excerpendi faciemus, omisſis non ſolum vitandæ prolixitatis gratia multis, quæ ad Autorem ſpectant, ſed reliquis quoque, quorum mentionem facit, quæ alii geſſerunt. Notari ex illis, quæ epilogi loco commemoravit, meretur, quod a ſe Regi Ludovico XIII conſilium datum eſſe ſcribit, ut Legatos munitarum urbium ipſe Rex conſtitueret, non dependentes ab electione & patrocinio Gubernatorum; item ut veteranas cohortes in primariis urbibus in hyberna collocaret, & ut Generali exercituum Præfecto non permitteret, ut ſuas legiones in expeditione in caſtris haberet, (commoda enim harum cum damno cæterarum injuſte promovebant) ſed ut eas alias in regiones 451. militatum mitteret. Non tacet tamen, Turennii contrariis ſtudiis multa poſtea ex utilibus illis conſiliis mutata eſſe, & de hujus, quem tamen omnibus officiis demereri non neglexerit, & ob inſignem fortitudinem & rei militaris ſcientiam maximi fecerit, in ſe malevolentia queritur. *Inſtructiones militares*, quæ in titulo memorantur, fini commentariorum adjectæ ſunt, pagellarum circiter 30, & diſtributæ in capita 17, 458. de quibus bellicæ rei periti judicabunt. Continent autem monita de 463. metandis caſtris, de agmine in planitie aut per ſylvas & trans amnes bene ducendo, de duplicatione ordinum, de acie pro hoſtilis exercitus ſitu aut ordine inſtruenda aut verſanda, de loco ad prælium capiendo, de iis quæ in obſidione munitorum locorum, habita præſidii & aliarum circumſtantiarum ratione obſervari debent, item de officio ejus, qui defendere talia loca velit.

MEDICINA HYDROSTATICA: OR HYDROſtaticks applyed to the Materia Medica, by the Honourable Rob. Boyle, Fellow of the R. S. ſive,


Hydroſtatica ad Materiam Medicam applicata per Virum Illuſtrem Rob. Boyle, Regiæ Societatis Sodalem.

Londini, ſumtibus Samuelis Smith, 1690, in 8. Plag. 18.

TAmetſi potiſſimus præſentis tractatus ſcopus ſit, oſtendere modo, qua ratione per examina hydroſtatica explorari queat, num hæc vel illa corpora inter Materiam Medicam recenſeri & adhiberi ſolita, pro genuinis reputanda, an vero pro adulterinis ac ſuppoſititiis habenda ſint: nihilominus celeberrimo Autori placuit generaliorem ei *Medicinæ Hydroſtaticæ* titulum præfigere: tum ne prolixior rubrica his, qui librum poſt hac forte allegare cuperent, incommoda foret: tum maxime, ut ipſe fatetur, exemplo ingenioſi *Sanctorii*, qui nempe non dubitarit *Medicinæ Staticæ* nomine inſignire tractatum, quo trutinam ad uſus quosdam artem medicam ſpectantes applicuit, fortaſſe haud plures, quam hic ex Hydroſtaticis eidem accommodati reperiantur. De cætero confidit Autor, nec defore ſeculo hoc naturæ ſcrutatorum feraci, qui & illius & ſuum hoc inventum pluribus poſthæc uſibus non infeliciter adhibituri ſint, utut forte a neutro ipſorum primum prævifis. Licet vero nec momentoſum illud *Archimedis* Problema, (*Corpus nempe aqua gravius tanto minus in aqua quam in aere ponderare, quantum eſt pondus aquæ, mole ſeu magnitudine iſti æqualis*, cui nempe cuncta pene experimenta hydroſtatica innituntur, quodque iſtius quidem interpretes mathematice paſſim demonſtrare ſategerunt, Noſter vero *in Paradoxis Hydroſtaticis* jam olim phyſice magis explanavit) nec fluentium inde operationum modus, ab ejusdem ſcilicet Commentatoribus & *Marino Getaldo* imprimis, traditus, nova aut ignota ſint: attamen ne quis forte talium ignarus in limine hæreret, in anteceſſum non omiſit Autor ſigillatim & apparatum omnem inſtrumentorum hic neceſſariorum, & compendia per experientiam ſibi hac in re ſuggeſta, totum deniq; procedendi modum clariſſime & populari plane ſtylo ob oculos ponere: veritus nempe, ne ſi librum habitu magis mathematico indueret, eos facile deterreret & ab utilitate inde capienda arceret, qui conſpecto theorematum, problematum & ſimilibus nominibus, mox a ſcriptorum talium perluſtratione abhorrent, putantes ea Mathematicum tantum lectorem ſibi expoſcere. Et apparatus quidem hydroſta-

Digitized by Google

TAB. XI. ad A. 1691.
pag. 487.



Digitized by Google

droſtaticus inſtrumentis ſat paucis iisque ſimpliciſſimis, uti ex *adjecta Figura* videre eſt, abſolvitur: inter quæ primas tenet Trutina *a a*, medio- Tab. XI. cris ſaltem bonitatis, (niſi forte gemmas aliave pretioſiora examinare eſt animus, ubi ſolito accuratior requiritur,) ſuis lancibus *b b* juſte inſtructa; hanc e fulcro ſeu columella *c c* ope uncinuli *r* ſuſpendere præſtat, quam nudis tractare manibus, ne hæ inter longiorem expendendi moram vacillantes, incertam forte reddant obſervationem: cujus quidem cautelæ neglectum quamplurimis erroribus, apud varios autores occurrentibus, anſam dediſſe Noſter conjicit. Suſpenditur vero columellæ ex brachiolo *d e*, ſurſum deorſumque mobili, eum in modum, ut mediante filo *h h h*, trochleas *f* & *g* pervadente, ſuſtolli ad lubitum aut demitti, & in quolibet ſitu ſic adminiculo ponduſculi mobilis *i* ſtatuminari valeat. Proximum eſt, ut juſta pondera ad manus ſint, cum majora unciarum, drachmarum, &c. *q*, tum minora, granorum minutiis dijudicandis apta, *ſ ſ ſ ſ*, quæ e ſua pyxide *o* miniſterio forcipulæ *p p*, quam digitorum expromere & tractare commodius eſt. His ita apparatis jam, ſi obveniat corpus aliquod *ſolidum aqua ponderoſius*, cujus gravitatem ſpecificam hydroſtatice explorare lubeat: non alio opus eſt, quam ut corporis pondere, quod in aere habet, prius exacte cognito & conſignato, ope ſetæ equinæ *k k* (quæ nimirum ejusdem propemodum cum aqua gravitatis eſſe, nullumque adeo in aqua pondus habere obſervata fuit) vel ſimplicis, vel pro re nata multiplicis, & inſtar reticuli adaptatæ, ex altera lancium innoxie hunc in finem perforata, (niſi ejus loco aliud ſacoma alteri lanci æquiponderans ſubſtituere quis malit) ſuſpendatur corpus trutinandum *l*, penitusque ſic immergatur intra aquam in alveolo vitreo *m m* ſtagnantem, & ita jam attendatur, quot ponderibus altera lanx indigeat ad lingulam trutinæ in perpendicularem præciſe ſitum redigendam: quo pacto innoteſcet pondus illius corporis, quale in aqua habeat. Hoc porro pondus, ſi a priori illo, quod in aere deprehenſum fuerat, detrahatur, & per Reſiduum, (quod utriusque differentiam dabit,) dividatur integrum illud in aere pondus, Quotiens manifeſtabit, quænam obtineat proportio, ratione gravitatis ſpecificæ, inter ſolidum illud examinatum & aquam mole eidem æqualem. Sic v. g. fruſtum marmoris albi, quod in aere habuerat ℥ij ʒiij ℈j gr. IX, ſeu rotundius loquendo, 1169 grana, intra aquam non adſcenderat ultra 738 grana: quibus


quibus a priori ſumma ſubtractis, reſiduum 431 granorum exhibuit gravitatem aquæ marmori mole æqualis; factaque ſic diviſione, proportio marmoris ad aquam talis prodiit, qualis eſt inter $2\frac{71}{100}$ vel proxime $\frac{7}{10}$ ad 1. Quo vero accuratior emergat computus, inter operandum ſedulo curare jubet Autor, ne corpus examini ſubjiciendum ulla parte extra aquam promineat, aut vaſis vitrei latera fundumve tangat, aut aeris bullulis ſponte ſæpius adnaſcentibus quadantenus quaſi totidem veſiculis ſupportetur leviusve reddatur; aut lanx ſuperficiei aquæ imminens ei nimis appropinquet, & ab adhæreſcentibus inde guttis obſervatio turbetur: denique ut lanci pondera continenti tanta ſimul ſetæ equinæ portio indatur, quanta in altera corpus appenſum tenenti ſuper aquam extat: quandoquidem ea tantum ſetæ pars, quæ aquis mergitur, nulla indiget ponderis compenſatione. Si *corpora* examinanda tam *puſilla* ſint, ut circumligari ſe non commode ob exilitatem ſetis equinis patiantur, nec reticulo inde contexto comprehendi valeant, qualia ſunt gemmarum fruſtula, *pulvereſve* ponderoſiores: iis recipiendis adhibetur ſitula vitrea latioris orificii, qualis *n* in figura apparet, cujus pondus tam in aere, quam in aqua prius exacte explorandum: huic enim a ſeta ſuſpenſæ talia immittuntur, ipſaque dein penitus aquæ ſubmerſa, eodem modo, ut cum aliis corporibus proceditur. Eadem ſitula inſervit etiam ponderandis hydroſtatice *liquoribus aqua gravioribus* & ab ejus commixtione immunibus: qualismodi ſunt hydrargyrum & olea nonnulla chymica, cinnamomi puta, cariophyllorum, Guajaci, &c. Pro *reliquis vero liquoribus* expendendis varia communicantur technaſmata. *Primus modus* eſt, ut liquorum gravitas exploretur miniſterio certi cujusdam corporis in aqua ſubſidentis, (cujus pondus ſemel notum ſit) in variis nempe liquoribus ſucceſſive trutinati, perque ponderis ſui in quolibet eorum repertam quantitatem, ipſorum gravitatem ſpecificam prodentis; uti v. g. idem Succini fruſtum in aqua pependit $6\frac{3}{4}$ grana, in vino rubro Gallico $8\frac{1}{2}$, in ſpiritu vini $17\frac{1}{8}$, denique in vinoſis ſpiritibus ſumme rectificatis $34\frac{1}{8}$. Cum vero ſuccinum, levioribus quidem liquoribus examinandis aptiſſimum, in gravioribus, v. g. oleo Tartari per deliquium, fortiori ſolutione ſalis Tartari vel Cinerum clavellatorum, oleo Vitrioli, ſpiritu Nitri, etſſ. ſupernatet, adeoque explorationi tali ineptum reddatur, Noſter conſultiſſimum expertus eſt, pro talismodi operationibus adhibere bullam vitream, immiſſo prius

pauxillo

hydrargyri obturata inſervit [illegible]

Digitized by Google

. XII. ad A. 1691.
ag. 498.



iam vitream, immo prius
pauxillo

pauxillo Mercurii pro augenda gravitate, hermetice ſigillatam; aut melius adhuc fruſtum Cryſtalli montanæ, præſertim cum graciles ejus ſtiriæ priſmaticam a natura figuram nactæ, immergi aptæ ſint lagenulis etiam minoribus, pretioſiores liquores includentibus, abſque ullo horum diſpendio: uti & reliquæ proprietates pleræque, quas ad *ſolidum* ejusmodi *hydroſtaticum* requirit Autor, in ea concurrunt: quæ ſunt, ut corpus tale in omnibus, præter hydrargyrum, liquoribus ſubſidat, item, ne quid de pondere ſuo perdat per effluvia inſenſibilia, ne diſſolvi ſe aut corrodi ab ullo liquore patiatur, ne fractu facile ſit; utque tandem uniformis, qua ſenſum & parabilis materiæ ſit, quo experimenta eo facta cum aliis communicari ab iisque pariter probari valeant. *Alter modus* liquorum pondus examinandi, mechanicus potius, quam hydroſtaticus, talis eſt, ut ampulla gracili collo inſtructa pluribus ſucceſſive liquoribus ad certum & fixum usque ſignum repleatur, & ſic dein ponderoſitas cujuslibet trutina expendatur. *Tertius* a Merſenno communicatus, conſiſtit ex cavo cylindro æneo, inferius ſacomate onerato, quo arrectus in liquoribus natare, & ſic magis minusve ultra eorum ſuperficiem extans ſpecificæ gravitatis gradus indigitare queat: cui ob corroſionis facilitatem, Noſter vitreum ſubſtituere mavult, duplici inferius bulla inſtructum, quarum inferior Mercurio gravanda pauliſper ſit, quo ſitum teneat perpendicularem. *Quartus* ab eodem Merſenno proditus ita ſe habet, ut liquores qualescunque hydroſtatice examinandi, infundantur in ampullam minorem vitream, obturaculo cereo vel ſubereo firmiter, & excluſo omni aere obſtructam; atque ita aquæ immergantur, hydroſtatice inſtar aliorum corporum ponderandi, cognito tamen prius ampullæ obturaculique pondere tam in aere, quam in aqua: quod nempe dein deducendum eſt ab obtenta ejusdem gravitate, quam liquore plena habuerit. Cum vero ampullæ hujus obturaculum ſive cereum ſive ſubereum hoc incommodi habeat, quod aqua levius ſit, ſeparataque adeo trutinatione indigeat, ac præterea corroſioni variorum liquorum pateat, Noſter ejus loco elegit vitreum, ampullæ collo exactiſſime per mutuam attritionem adaptatum: præbuitque ampulla iſta, quam rotundam adhibuit, exemto obturaculo alium inſuper uſum, ſubiens nempe vices *ſitulæ hydroſtaticæ*, ſupra indicatæ, pro examinandis pulveribus: quin & immiſſo pauxillo hydrargyri obturata inſervit loco *bullæ hermeticæ ſigillatæ*, cujus pariter

 ſuperius

Digitized by Google

ſuperius facta mentio eſt. Denique ſi *corpus tale* hydroſtatice examinandum offeratur, quod in *aqua facile diſſolvatur* ſive ſe miſceat, id conſilii Autor ſuggerit, ut, quandoquidem id immediate in aqua ponderari nequit, alius loco hujus liquor ſubſtituatur, a quo talis diſſolutio metuenda haud ſit, atque ſic inveſtigetur ſpecifica gravitas, quam corpus reſpectu hujus liquoris obtineat, tandemque comparata utriusque liquoris inter ſe differentia innoteſcat, quamnam gravitatem corpus in aqua habiturum fuiſſet, ſiquidem intra eam tuto examen inſtituere licuiſſet. Cum vero experientia doceat, eas ſubſtantias, quæ in *aquoſis* liquoribus diffluunt, intra *oleoſos* diſſolvi non ſolere, ſaltem quoad ſenſum ac tam brevi tempore, dum ponderatio peragitur; hinc facile patet, oleoſum aliquem liquorem aquæ hic commodiſſime vices ſubire. Præ cæteris vero aptiſſimum Noſter huic negotio expertus eſt oleum Terebinthinæ, & quidem limpidius illud, quod vulgo ſub ſpiritus Terebinthinæ nomine venire ſolet: partim quod paſſim ejus copia haberi poſſit, nec adulterari facile ob pretii vilitatem ſoleat, uti oleis chymicis ſæpius contingat: partim quia tanquam deſtillatum corpus liberius reputari valeat a mixtura particularum aquoſarum, quibus olea vulgata expreſſa plerumque ſcateant.

Expoſuimus hactenus modos, quibus varii generis corpora hydroſtatico examini ſubjicere liceat: in quibus quidem ex Autore noſtro communicandis vel ideo prolixiores eſſe voluimus, ne talismodi compendiorum ignaris interim carendum foret experimentis adeo proficuis, ſi forte ingenioſi hujus ſcripti tranſlationem, de qua tamen haud dubitamus, diutius nonnihil differri contingeret: reſtat nunc ut videamus, quid utilitatis ejusmodi examina, in arte & materia Medica inprimis præbere valeant. Et *Uſus I.* quidem ab Autore noſtro allegatus, concernit potiſſimum lapides aliave foſſilia ad regnum minerale ſpectantia: ut nimirum generatim explorare liceat, num ea metallici aliquid admixtum intra ſe foveant. Quandoquidem enim Idem jam *in Tractatu* antehac *de Gemmarum origine & virtutibus* edito deduxit, præcipuam, ſi non omnem Gemmarum vim & efficaciam pendere a qualitatibus metallicarum & mineralium ſubſtantiarum, materiæ lapidiæ, dum ea liquida adhuc aut ſaltem mollis fuit, intime unitarum, quod veroſimile eſt pariter, imo magis adhuc obtinere in bolis, argillis aliisve foſſilibus ignobilioribus, dum ſcilicet intra ea, dum

Digitized by Google

dum *in ſolutis principiis* extiterunt, major metallicarum partium copia ſemet inſinuare facilius potuit: Medicorum utique intereſſe arguit, noviſſe, plus minusve materiæ talis adventitiæ corpori alicui num admixtum ſit. Ad faciendam vero talem æſtimationem conſultum judicavit, normæ loco adſciſcere lapidem aliquem maxime purum, qua ſenſum certe, & ab omni adventitia tinctura mixturave maxime liberum, *cryſtallum* puta; cujus gravitatem ſpecificam comperit ſe habere ad æqualem aquæ molem, ut $2\frac{1}{2}$ ad 1 circiter, vel absque fractione, ut 5 ad 2. Pro regula itaque haud fallaci tradit, quod, quandocunque durum aliquod foſſile facto examine hydroſtatico deprehendatur eſſe multo ponderoſius, quam cryſtallus ejusdem molis, pro ſigno ſat probabili hoc haberi debeat, ſolido illi concreto notabilem ineſſe quantitatem corporis alicujus metallici aliusve mineralis; unde porro ejus qualitates vel proficuæ vel nocivæ humano corpori deduci queant: fatetur tamen, argumentum hoc negative haud procedere, quandoquidem ad qualitatem ejusmodi conciliandam nonnunquam perexigua adventitiæ materiæ portiuncula admixta ſufficere poſſit. Cæterum regulam hanc comprobarunt varia tentamina circa diverſos lapides in re medica occurrentes facta, quorum nempe ſinguli cryſtallum gravitate ſpecifica ſuperare viſi ſunt: ſic v. g. Hæmatites ad aquam ſe habuit ut $4\frac{15}{100}$ ad 1; Lapis Lazuli, ut 3 ad 1; Magnes ut $4\frac{95}{100}$; Lapis Calaminaris (cujus in pollinem triti miram virtutem, in curanda diarrhœa torminoſa & quandoque dyſenterica, magnopere ſibi a famoſo quodam nec indocto empirico commendatam narrat Autor,) ut $4\frac{69}{100}$ ad 1. *Uſus II.* indicatur, dijudicare num corpus aliquod lapidi quoad ſpeciem æmulum revera pro tali habendum, adeoque ad regnum minerale referendum ſit: quo magis enim illud abludat a ſpecifica cryſtalli gravitate in defectu, eo minus titulo tali dignum eſſe: ita patuit corallia & margaritas propius ad naturam lapideam accedere, quam aut calculum humanum aut lapidem Bezoardicum: dum proportio quidem gravitatis coralliorum ad aquam fuit, ut $2\frac{68}{100}$, & margaritarum ut $2\frac{51}{100}$ ad 1: calculi humani vero tantum ut $1\frac{76}{100}$, item $1\frac{69}{100}$, & lapidis Bezoar quandoque ut $1\frac{47}{100}$, quandoque ut $1\frac{55}{100}$ ad 1: qua occaſione Autor perhibet, Medicum quempiam experientiſſimum diuque in India Orientali verſatum, ac ita propitiam ſæpe occaſionem nactum genuini lapidis Bezoardici virtutes probandi, nihilominus ei cal-

Digitized by Google

culum humanum aut æquare aut præferre quoad efficaciam ſolitum fuiſſe. *Uſus II* eſt, quod diſtinguere nonnunquam hoc adminiculo liceat diverſas ejusdem corporis ſpecies, ſub eadem quidem vulgo denominatione venientes, at non minus quandoque inter ſemet variantes, quam ejusdem ſpeciei individua: exempli loco adducuntur diverſæ *magnetis* ſpecies pondere notabiliter diſcrepantes, dicunturque Norvagici & Anglicani haud paulo graviores eſſe Italicis, Elvam Inſulam nactis patriam. Sic *hydrargyrum* Hiſpanicum hydroſtatice examinatum a Noſtro compertum fuit ratione ponderis ad aquam ſe habere ut 14 $\frac{11}{100}$ ad 1: cum alioqui vulgaris Mercurius fere ſe contineat intra proportionem 14 ad 1, aut plane 13$\frac{1}{2}$ ad 1. Pariter quoque inter *Granatos* Europæos & ex America advectos tantam ſenſit intercedere differentiam ratione gravitatis ſpecificæ, ut non abs re conjiciat diverſiſſimæ utrosque virtutis eſſe, qua gradum ſaltem, ſi non qua ſpeciem. *Uſus IV* habetur, diſcernere lapides genuinos, ſive minerales ſive animales, a factitiis & adulterinis: nempe quemadmodum inter qualitates corporum vix ulla eſt, iis adeo intime inhærens, ut gravitas ſpecifica: ſic nil quoque difficilius eſt impoſtoribus, naturalis nimirum hiſtoriæ plerumq; ſatis ignaris, quam eandem aut exacte imitari, aut alterare, quin ſimul ſenſibilis ſemet exerat mutatio in reliquis qualitatibus fraudem detectura: ſic gemmæ factitiæ ex minio paratæ, pariterq; margaritæ Mercurii adminiculo fabrefactæ, utut ſpecioſiſſimæ, tamen inſita ponderoſitate nimia facile ſe produnt. *Uſus V* in eo conſiſtit, quod ope talis examinis hydroſtatici probabiliter æſtimare detur intemeratam bonitatem gradumque puritatis in variis corporibus: cognito nempe ſemel ſpecifico pondere alicujus individui, quod genuinum eſſe noverimus, eoque dein collato cum gravitate aliis ejusdem ſpeciei inſita. Et ſane adſeverat Autor, majorem hoc intuitu inter lapides ejusdem nominis differentiam obtinere, quam quis facile ſibi perſuaderet: quo ſpectat exemplum de Granatis ſuperius allatum. At vero hic ſimul monet, gemmarum nobilitatis æſtimationem non eodem modo fieri mox debere a Medicis, uti quidem a Gemmariis: ſcilicet hos quidem, de venuſtate & ſplendore maxime ſolicitos, inter gemmas ejusdem ſpeciei non abs re eas præ aliis in pretio habere, quæ cæteris paribus, ſpecificam gravitatem exerant minorem, ut quæ fere magis uniformes ac translucidæ ſint, tincturam ſuam nactæ a pigmentis

tis partium ſubtiliorum: aſt viciſſim Medicos atque Chymicos, in gemmis virtutem medicamentoſam unice intuentes, merito eas præferre, quæ ponderoſiſſimæ ſunt, uberiorem nempe portionem ſubſtantiæ mineralis vel metallicæ adeptæ. Ne vero gratis hoc aſſerere videatur, exempli loco exponit, quomodo in opinione ſua, qua ſuſpicatus fuerat, in Granatis latitare ſat copioſa corpuſcula metallica naturæ Martialis, confirmatus per experimentum fuerit. Scilicet Granati Bohemici, ſaturato rubore conſpicui & in minutisſimum pollinem contriti (& quidem ad evitandam ſuſpicionem, mortario non ferreo) grana octo cum vitri cryſtallini in pulverem redacti uncia una commiſcuit, & intra fornacem fervidisſimam ad bihorium in fuſione detinuit: unde prodiit maſſa uniformis ſatis & ſufficienti *virore* tincta, qualem nempe colorem alias præparatum ferrum vel chalybs vitro puro conciliare ſolent. Non ideo tamen negat, dari quandoque pigmenta mineralia naturæ adeo ſubtilis, ut vel minima eorum quantitas, quæque vix ſenſibiliter gemmas aliis minus coloratis graviores reddere valeat, ad quamlibet totius earum materiæ partem imprægnandam ſufficiat: id quod illuſtrat exemplo Zaphoræ, cujus nempe partem unam centeſimam vitro Veneto in fuſione probe commixtam, ad idem colore cæruleo ſuaviter ſaturato imbuendum ſufficere expertus eſt. *Uſus VI.* innuitur, acute dignoſcere ſpecificam variorum liquorum gravitatem, non modo ad diſtinguendum ſic genuinos & intemeratos ab adulteratis & corruptis, ſed & pro aliis finibus, tam reſpectu materiæ medicæ proprie ſic dictæ, quam aliarum phyſiologiæ partium utilibus: cum certum ſit, alterationes in gravitate liquorum ſpecifica emergentes plerumque comitem habere ipſius conſiſtentiæ mutationem. Sic v. g. hoc pacto experiri datur, quatenus aſſervatio diuturnior, fermentatio, putrefactio ſpecificam liquoquorum gravitatem immutet; item probare licet gradum ſpirituoſitatis aut virtutis in variis liquoribus & menſtruis, & quidem certius & compendioſius, quam per deflagrationem vulgo uſitatam, qua nempe perditur, quantum probationi deſtinatur. Quoad examinis hydroſtatici applicationem vero hic pro regula notare jubet Autor, quod inter liquores quidem per deſtillationem ex vino, pomis aliisque fermentatis paratos, *leviſſimi*, inter acidos vero ſpiritus & liquores *graviſſimi* pro fortisſimis omnium ejuſdem generis reputandi ſint: id

Digitized by Google

quod nempe ſcire, gradumque adeo ſubtilitatis roborisve liquorum in numerato quaſi habere, multis caſibus maxime neceſſarium eſt: ſic expertus nonnunquã fuit Noſter, *aquam fortem* nimis quandoq; fortẽ apparuiſſe pro arrodendo argento, adeo ut opus habuerit prius per aquæ admixtionem nonnihil debilitari. Pariter & falli ſubinde arguit Chymicos, quando pro Extractis parandis indiſtincte adhibeant Spiritum Vini rectificatisſimum: quandoquidem virtus medicamentoſa complurium corporum non unice reſideat in eo, quod Chymicis *ſulphur* audit, ſeu parte reſinoſa, cui ſane eliciendæ omnino talis Spiritus vini aptisſimus; ſed ſæpius in gummoſa & quandoque mucilaginoſa ſubſtantia, pro qua elicienda ſpiritus ſuo phlegmate adhuc pauliſper dilutus magis foret adæquatus: uti v. g. conſtet, Gummi Arabicum, Tragacantham etſſ. non parere ſpiritui vini rectificato, bene tamen debiliori: myrrham quoque in hoc facilius, quam illo diſſolvi. *Uſus VII.* eſt Stereometricus, non directo quidem tendens ad examinandum materiam medicam, & Medicis tamen & Phyſicis non parum proficuus, pro meliori deſcriptione & exactius determinanda magnitudine variorum Simplicium, quam vulgo per dimenſionem nudam longitudinis latitudinisque fit: dum certum eſt ob inſignem figurarum, irregularium præſertim, varietatem multa dari poſſe corpora mole diverſisſima, & eandem nihiloſecius longitudinis latitudinisq; menſuram recipientia. Certius itaque molem eorumdem determinare docet Autor. Scilicet cubis ex varia materia, magnitudine unius præciſe pluriumve pollicum, in aere prius, dein in aqua trutinatis comperit, aquam unius pollicis cubici dimenſione, ponderare 256 grana, aut ſaltem exceſſum defectumque vix notabilem eſſe: vel ideo vero numerus iſte præ aliis ſe commendavit, quod abſque ullis fractionum ambagibus ſepties bipartiri ſe pateretur, puta in 128, 64, 32, 16, 8, 4 & 2, adeoq; huic negotio commodiſſimus eſſet: maxime cum experientia ei haudquaquam reclamaret. Si ergo ſolidum aliquod, poſtquam ejus pondus in äere prius exploratum eſt, in aqua deprehendatur de gravitate ſua perdere ℥ß.xvi. gr. ſeu rotundius 256 grana, tuto concludere licet ejus dimenſionem eſſe præciſe unius pollicis, cujuscunque etiam illud ponderis aut materiæ ſit: quod ſi numerum iſtum excedat, aut eum non attingat, non minus facilis erit extenſionis æſtimatio ob fractionum commoditatem, dum

32 quæ-

32 quælibet grana deſignant $\frac{1}{8}$ pollicis partem, adeoque exceſſus ille defectusve nullo pene negotio computari poteſt. Si corpus tale ſit, quod in aqua ſolvatur, eadem operatio, ut ſupra monitum, inſtitui poteſt in Oleo Terebinthinæ: hac tamen obſervata differentia, quod ejus olei pollex cubicus non 256, ſed modo 221 $\frac{1}{8}$ grana pendere compertus ſit. Corporis aqua oleove hoc levioris ſoliditatem ita explorare, difficilius quidem videri poſſet, cum experimentum proprie tantum concernat corpora in fluido ſubſidentia; ita vero, ad Merſenni, hac in parte juſto obſcurioris ductum, rem aggredi jubet Noſter: nimirum 1. Corpus illud aqua levius in äere ponderetur; 2. ſumatur lamina plumbea, iſti ſubmergendo ſufficiens, ponderis certi atque rotundi, v. g. unius præciſe drachmæ vel unciæ; 3. hujus pondus, quale in aqua exſerat, exploretur, & a priori illo cognito ſubtrahatur; 4. lamina ope ſetæ equinæ alligetur corpori examinando, & conſignetur, quantum pondus in äere aggregatum hoc habeat; 5. idem aggregatum in aqua trutinetur, & obtentum ita pondus ab illo ſubducatur: Differentia dabit ſpecificam gravitatem aggregati reſpectu aquæ; 6. ab hac differentia ſubtrahatur rurſus ſolius laminæ ſpecificum in aqua pondus, ac Reſiduum manifeſtabit pondus corporis levioris in aqua; 7. hoc ipſum tandem per 256 (quot nempe grana unum pollicem aquæ cubicum habere ſupra dictum eſt) dividatur, habebiturque ſic ſoliditas propoſiti corporis aqua levioris. Si vero hoc ſimul poroſum atque bibulum, adeoque metuendum ſit, ne inter explorandum aqua ſemet intra illud inſinuet, jubet Autor id prius, poſtquam nempe corporis pondus in aere indagatum fuerit, tunica cerea totum obveſtire, ipſumque ceræ ita obductæ pondus, quod in aere habeat, (aquæ enim cera pondere non multum diſſimilis eſt) explorare: porro alligata lamina plumbea obſervare pondus hujus aggregati in aqua, indeque ſubtrahere pondus aquæ, quanta ceræ adjectæ mole æqualis ſit, ac de cætero procedere eodem modo, ut antea expoſitum eſt. Alium præterea modum communicat Autor, corporum bibulorum minorum, ſive aqua ſint graviora, ſive leviora, ſoliditatem computandi ope Mercurii, illis in vaſculo, cujus capacitas ſtereometrice prius cognita ſit, ſuperaffuſi, explorato prius numero granorum, quot uno pollice cubico Mercurii contineantur. Denique occurrit objectionibus nonnullis, quibus aliqui incertitudinem experimentorum hydroſtaticorum arguere ſoleant, petitis

Digitized by Google

titis partim a diſcrepante pondere aquæ, diverſis e locis hauſtæ, partim a diſcordia autorum in gravitate variorum corporum definienda paſſim diſcrepantium. Prius quod attinet, teſtatur Autor, ſe varii generis & loci aquis exploratis, perſenſiſſe earum differentiam in gravitate adeo exilem eſſe, ut vix ultra $\frac{1}{1300}$ alia aliam gravitate ſuperet, (ſpeciatim vero nivalem cæteris leviorem prædicat,) ut adeo minutum hoc diſcrimen in re, ubi non mathematica, ſed phyſica tantum accuratione opus ſit, vix ullius momenti eſſe valeat: quoad alterum non diffitetur, ſcriptores nonnihil inter ſe hac in parte diſſonare, cujus rei pluſculas quoque cauſas adducit: cum tamen & *ipſæ hæ differentiæ* plerumque, fere illarum inſtar, quæ in Obſervationibus Aſtronomicis ſemet exerunt, ſatis exiles ſint: iis nil quicquam obſtantibus concludit, experimenta hydroſtatica, tot nempe in praxi egregios uſus præbentia, in pretio habenda eſſe, nec minus accurata, quam ullum ex aliis modis, hactenus pro determinanda proportione corporum ratione ponderis & molis, menſurandaq; eorum corpulentia adhiberi ſolitis. Supereſſet nunc, ut de libri hujus appendice, cui Titulus, *Methodus Hydroſtatica æſtimandi Mineras*, diceremus: verum cum jam in nimium excreverit hic diſcurſus, ejus relationem in proximum menſem, ſi Deo placuerit, Lectoris nunc tædium veriti, differre cogimur.

BASILII FABRI SORANI THESAURUS ERUditionis Scholaſticæ, jam olim poſt aliorum operas per AUGUSTUM BUCHNERUM recenſitus & emendatus. Huic novæ Editioni acceſſerunt præter Indicem Latinum rituum & antiquitatum, Germanicum item dictionum & phraſium, infinita pæne vocum & exemplorum Supplementa, iteratis curis CHRISTOPHORI CELLARII.

Lipſiæ, ſumptibus Joh. Friderici Gleditſchii, 1691, in fol.

Conſtat Alphab. 20.

BASILII FABRI, viri eruditiſſimi, *Theſaurus Eruditionis Scholaſticæ* jam diu notiſſimus eſt, poſtquam jam ultra ſeculi ſpacium diſcentium uſibus inſerviit; neque minus conſtat, AUGUSTUM BUCHNERUM

NERUM literarum iſtarum, ſi quisquam alius, peritisſimum, aliosque poſt illum doctiſſimos Viros, ſemel atque iterum ea adjeciſſe, quæ in *Theſauro* hoc deſiderari videbantur, eundemque fulgentiſſimum reddere poterant. Sed iſti tamen omnes cum in hoc tantummodo deſudaverint, ut ſua, quæ annotaverant, insererent, non vero ut omnia in aliam faciem reformarent, quæ quidem emendatione videbantur indigere; cumque præterea ſine Autoris mentione multa, omnia fere ſine Autoris ſectione, hoc eſt, libro, capite, verſu allegata; & innumera vocabula plane omiſſa; ſæpe etiam longa ſerie quædam ſine exemplo & teſtimonio nude appoſita deprehenderentur; iſtam demum, arduam quidem & difficilem provinciam ſibi imponi paſſus eſt clariſſimus CELLARIUS, multis ingenii monumentis dudum famæ celebritatem adeptus, nobisque proinde ſæpenumero cum laude nominatus, ut iſtis omnibus, & ſi quæ plura in utiliſſimo libro prætermiſſa erant & requiri poterant, pro ſua in his rebus ſpectata dexteritate remedium afferret, Lexico huic celebratiſſimo colophone veluti impoſito. Ille igitur iterata induſtria opus aggreſſus, vacua ſupplere, turbata ordinare, bis poſita aut alieno loco inſerta reſecare curæ habuit, adjectis præter nova exempla, novasque obſervationes ferme innumeras, ad minimum millenis vocabulis, quæ fruſtra hic antea aliquis quæſiverit. Imprimis vero id ſedulo egit, ut Autores accuratiſſime citarentur, allegato libro, & libri minore inciſo, ſive epiſtola, ſive carmine, ſive quod vulgo appellitari mos eſt, capite, capitisque paragrapho aut carminis verſu. Ut adeo nunc demum, quantum ipſius rei indoles atque ratio permittit, Lexicon habeat ſtudioſa juventus, quod ſuis numeris abſolutum videri poſſit.

LEONARDI PLUKENETII PHYTOgraphia.

Londini, ſumptibus Autoris, 1691, in 4.

GRatiam certe permagnam a curioſioribus Botanophilis inibit clarisſimus Autor, quod adeo raris egregiisque plantis augere numerum Exoticorum, ad imitationem clarisſimi Breynii aliorumque, voluerit. Sunt enim Phytographiæ binæ partes: prior 72 Tabulis abſoluta ultra 400 ſtirpes continet, poſterior continuando ſeriem pag. 409. Tabularum a 73 ad 120 excurrit, atque adeo 48 Tabulas complexa, 323. ultra 300 plantas addit. Utrinque plures novæ hactenus nondum, aut

Digitized by Google

etiam obſcurius deſcriptæ recenſentur, præcipue quas ex India Orientali a Chirurgo peritisſimo D. Richardo Sambach ad Pharmacopœum & Botanicum apud Londinenſes meritiſſimū D. Jacobum Pettever miſſas impetravit. Id autem egit clariſſimus Plukenet, ut non modo icones illarum ſtirpium Tabulis inſcriberentur æneis, ſed & nomina ex Notis Characteriſticis deſumta ſubnecterentur, ſervato tamen in utraq; parte Operis ordine alphabetico, ut hoc facilius quæſita reperiri queant.

FERDINANDI HELFRICI LICHTSCHEID, VVürmla-Auſtriaci Conſiderationes quædam circa altitudines & velocitates pendulorum in diverſis circulis.

TAB. XI. *Fig. I.* EVolventi nuper Clariſſ. Renaldinii inſigne analyticæ artis opus, & imprimis Partem Secundam, quæ Reſolut. & Compoſ. mathematicam complectitur, incidit pag. 192 figura pendulum repræſentans, quam alibi antehac videram. Evolvi igitur Borelli tractatum de vi percuſſionis, ubi in annexa reſponſione ad conſiderationes Stephani de Angelis mox ab initio, pag. 239, hoc ſchema, una cum determinatione, eandem, in diverſarum longitudinum pendulo, permanere velocitatem, inveni, in qua paralogiſmum commiſſum eſſe a Borello, Clariſſ. Renaldinius, licet penitus omiſſo Borelli nomine, hic demonſtrare intendit. Et fatendum ſane eſt, non vacillare oſtenſionem Renaldinii, ſi id ſaltem demonſtratum dare voluit, velocitatem mobilis in F (termino nempe ſimilis arcus, cum AE,) conſtituti, non eſſe eandem cum velocitate ejusdem mobilis in A exiſtentis. Nam quia tempora oſcillationum ſunt in ſubduplicata ratione radiorum, (Seu, quadrata temporum ſunt ut radii,) ut notum, & Borellus de vi Percuſſ. Prop. 92, pag. 169 demonſtravit, ubi autem temporum periodicorum quadrata ſunt ut radii, velocitates erunt in dimidiata ratione radiorum, per coroll. 4. Prop. IV, Lib. I Neuton Princip. Mathem. & quia ut circulorum radii, ſic ſimiles arcus, & ſubtenſæ in illis circulis, ut conſtat, & Sturmius monuit Matheſ. enucl. p. 19; erunt quoque velocitates in ratione ſubduplicata ſubtenſarum arcuum *illorum* ſimilium. Cum ergo radius BA ad rad. BF ſit ut 4 ad 1, erunt quoq; ſimiles arcus AE, ad GF ut 4 ad 1, tempora autem oſcillationum AE, 2, GF, 1. Ergo velocitate ut 1, tempore ut 2, percurritur duplus arcus GF, qui

tamen

Digitized by Google

tamen nondum æqualis eſt arcui AE, ſed ejus ſaltem ſubduplus, adeoque velocitas quoque non eadem, ſed tantum ſubdupla erit. Sed quia hoc ipſum, nempe percurri a mobili, certam velocitatem habente, in diverſis longitudinibus ſeu circulis, ſimiles arcus (quod tamen ſupponitur in Renaldinii oſtenſione) expreſſe negavit Borellus, miratus ſum, idipſum fundamenti loco deductioni ad abſurdum ſubſterni, quod ex profeſſo impugnare eo in loco intenderat Borellus. Rem ergo & experimento & calculo inde ducto inquirere ſtatui, ubi omnino firmisſimam Borelli ſententiam, & naturæ legibus conſentaneam deprehendi, ordine vero tali procedebam. Cum Viro Celeberrimo Dn. Leibnitio de publicatis Act. Er. 1686, Mart. p. 161, legibus naturæ circa quantitatem motus, Carteſianæ ſententiæ contrariis, controverſia moveretur, & is prolixius ſententiam ſuam declararet, quæ vim motricem in corporibus, ex altitudinibus, ad quas aſcendunt, vel aſcendere poſſunt æſtimat, ſepoſita ratione temporis, utpote hic inutili; ego ſaltem id experimento confirmatum ſpectare volui; *mobile a certa altitudine quantocunque tempore cadens, ad eandem, quantocunque tempore, iterum aſcendere.* Sumſi igitur Pendulum AB plurium pedum (ne in minori longitudine error tegeretur,) & ducta ad perpendicularē AB, quam ipſum pendulum in quiete monſtrabat, alia perpendiculari CD (quæ propterea horizonti parallela erat) per punctum E pro lubitu ſumtum tranſeunte, illam altitudinem EB pro certi & conſtanti uſurpans, infixi acum in punctum E, ut pendulum in Oſcillatione, obſtaculo hoc ad alium circulum, diverſum a priore, permeandum adigeretur; adducto proin pendulo ad punctum D in linea horizontali, deſcribebat id lapſu ſuo arcum DB, ſed ibi ob remoram acus in E, aſcenſu ſuo deſcribebat arcum BF, cujus radius erat EB, & vel millies repetito Experimento breviori quidem tempore, ad eandem tamen altitudinem EB, ſeu lineam horizontalem CD aſcendebat, in puncto F aſcenſum finiens. Sic quoque ſi adductum pendulum in F dimittebatur, deſcribebat lapſu ſuo arcum FB, & quia ibi integra longitudo fili AB non amplius impediebatur, deſcribebat aſcenſu ſuo arcum BD, cujus radius tota longitudo penduli erat, ſed tamen (longiori quidem tempore) ad eandem altitudinem, punctum nempe D aſcendebat. Dein in puncto Q ſumto ubicunque in linea AE iterum alia acus infixa in cauſa erat, ut pendulum adductum in linea horizontali punctum H tangeret, & inde delabens deſcribebat arcum *Fig. II.*

 HB di-

HB diverſum a priore DB, ſed aſcenſu ſuo iterum, ob remoram in E, arcum BF usque ad horizontalem CD, prout antea deſcribebat. Et ſic vel centies variatis per punctum O, propius vel remotius ſumtum radiis, manente tamen altitudine EB immutata, tempora quidem lapſus & aſcenſus diverſiſſima erant, ſed altitudo unde delabebatur, & ad quam redibat pendulum, eadem. Imo ſi ſupra hanc altitudinem conſtanter elevaretur pendulum aliquantiſper ad punctum, ex; gr. K, deſcribebat arcum lapſu ſuo KB, & ibi iterum aſcendens in arcu BF, ob nondum conſumtam omnem vim circumvolvebat filum aliquoties motu gyrativo circa acum in E, & ſic innexum quieſcebat. Veritatem igitur ſententiæ Leibnitianæ circa motum pendulum motu comprobavit. Sed nondum ſolicitus eram, eademne an diverſa eſſet velocitas penduli in diverſis his arcubus, donec nuperrime Renaldinii examen Borellianæ demonſtrationis legerem, ubi cum omnes tres ſuppoſitiones ipſius veræ eſſent, ex ſecunda tamen (eandem eſſe rationem penduli perficientis circumferentiam circuli ADE, circulique GF, ac eſt, ſi in plano aliquo verticali moveretur, deſcribendo arcum ex A in E, & ex D in F) dubium ob prius experimentum ſtatim incidit hujusmodi: Certe ad convincendum Borellum paralogiſmi & abſurditatis, non ſufficit aſſumere arcus AE & GF ſimiles, ſed arcus GF talis eſſe debet, qui eandem altitudinem aſcenſus cum arcu AE habeat, adeoque arcum GF non includi & determinari lineis BA & BE poſſe, ſed utrinq; adhuc multum excurſurum. Ut ergo certus eſſem, an pendulum longius & brevius gyris ſuis circa coni ejusdẽ latera BA, BE volveretur, ita ut nunquam angulus ABE mutaretur, ſumſi iterum pendulum plurium pedum BA, infixoque unco laqueari, filum longitudinis tantæ, ut globus penduli pavimentum tangeret, per eum trajeci, & in gyrum acto pendulo in certa a ſolo alitudine; nempe quarta totius penduli parte EL = DK; una cum Dn. Teubero Collega meo conjunctiſſimo, qui tum commodum advenerat, obſervare cœpi, qua ratione ſenſim adducto filo penduli usque ad ſigni notatam quartam partem (prout vult experimentum Borelli) radii gyrorum decreſcant, & ut eo exactius res innoteſceret, filum aliud gyrorum amplitudinem menſurans BA in unco firmatum, in certa a perpendiculari BD diſtantia, (quæ pauliſper major erat, quam ut pendulum gyrans in infimo gyro ADE id tangere poſſet) usque ad pavimentum deduxi, ſed licet primus penduli

Fig. I.

Fig. III.

Digitized by Google

duli gyrus ADE non attingeret filum, attractum tamen pendulum priorem illum coni angulum ABE quem gyrando deſignabat, adeo excedebat, ut nondum ad quartam partem attractum, ſeſe circa filum BH, utpote impediens motum jam ultra excurrentem, circumvolveret, & ſic ulterius gyrari prohiberetur. Neque prius hæc circumvolutio ceſſabat, quam filum BH, (quod ſemper remotius a perpendiculo diſtare feci, tandem ad angulum rectum cum linea BD, adeoque horizonti parallelum conſtituerem, eadem cauſa prohibuit filum BC, quo pendulum per annulum B elevabatur, quemcunque acutum angulum cum BD conſtituere, ſed rectum vel penitus aliquantiſper obtuſum exigebat. Sed tum pendulum ad quartam partem usque elevatum, gyrum horizonti parallelum GBF deſcribere vidimus. Unde & hic in motu gyrativo eandem altitudinis regulam, quæ in priori experimento obtinuit, ſemper obſervari facile concludi potuit. Nempe ſi in certa quadam, ab infimo quietis puncto, altitudine quam ſinus verſus arcus gyrationis DK vel EL indicat, pendulum gyrari incipiat, attractum ad quamvis longitudinem, minorem quidem gyrum ſed in altitudine eadem ab infimo reſiduæ longitudinis puncto peraget, adeoque facile recta perpendiculariter per altitudinis fixæ punctum transeunte, & a longitudine penduli utrinque terminata, amplitudo gyri determinabitur. Lineam curvam omnes illas amplitudines determinantem poſtea contemplabimur. Jam ergo facile veritatis quantitatem concludere licebit calculo. Sit pendulum certæ longitudinis $AB = a$, vel oſcillans vel gyrans in certa altitudine $BD = b$: erit ipſum in puncto C Sinus Recti arcus altitudinis, nam $AC = AB$, Velocitas ejus $= v$ erit hic, ut ſubtenſa BC, quod notiſſimum geometris pronunciat Neuton Princ. pag. 21. Jam attrahatur ad quartam (vel aliam quamcunque) longitudinis partem $AE = ea$, altitudo eadem ab E verſus A ſit *Fig. IV.* $EG = b$, reſiduum ergo $GA = ea - b$ ergo ſinus rectus hujus arcus altitudinarii GH, & pendulū (quod præſupponitur eandem vim retinuiſſe abſtractis reſiſtentiis aeris, proprii ponderis &c.) erit in E, & velocitas ejus erit ut ſubtenſa EH, ſed hic arcus major eſt arcu EF, qui ſimilis eſt arcui BC, & ſubtenſa EH major ſubtenſa EF, quæ ſimilis eſt ſubtenſæ BC: ergo quia velocitates in eodem circulo ſunt ut ſubtenſæ EH ad EF, in diverſis circulis autem in dimidiata ratione ſubtenſarum (quin & radiorum) patet præcipuam rationem habendam eſſe ſubtenſarum BC, EF, EH, ut exacte determinentur, quod ex doctrina Triang. Rectang. facile habetur.

I Subt. BC

$ACq \quad - \quad ADq \quad = \quad DCq.$

$a2 \quad a2 - 2ab + b2 \quad 2ab - b2$

$DCq \quad + \quad DBq \quad = \quad BCq.$

$2ab - b2 \quad b2 \quad 2ab$

Ergo Subt. BC $- \sqrt{2ab}$

II Subt. EF

AB Rad. AE rad. :: BC, EF

$a \quad ea \quad \sqrt{2ab} \quad \sqrt{2e^2ab}$

III Subt. EH

$AHq \quad - \quad AGq \quad = \quad GHq.$

$e^2a^2 \quad e^2a^2 - 2eab + b^2 \quad 2eab - b^2$

$GHq. \quad + \quad GEq \quad = \quad EHq$

$2eab - b2 \quad b2 \quad 2eab$

ergo EH $= \sqrt{2eab}$

Jam velocitatum ratio

Subt. BC, Subt. EF :: Veloc. q. in Velocq. EF

$\sqrt{2ab}, \quad \sqrt{2e^2ab} :: v2 \quad ev^2$

ergo velocitas in B $= v$ & in EF $= \sqrt{ev^2}$

Subt. EF, Subt. EH :: Veloc. in EF, veloc. in EH

$\sqrt{2e^2ab} \quad \sqrt{2eab} \quad \sqrt{ev^2} \quad \sqrt{v^2}$ ſeu v quæ omnino æquatur velocitati in BC, quæ quoque eſt $= v$, ab initio aſſumta.

Et ſic ex Celeb. Leibnitii regula, quæ retinet eandem altitudinem, Borelliana regula quæ retinet eandem velocitatem demonſtrata eſt. Adeoque univerſaliter verum: *Pendulum* (abſtractis impedimentis) *in quomodocunque variatis circulis & eandem altitudinem ad quam, & eandem velocitatem cum qua aſcendat retinere.* Evidentiſſimum ergo eſt, locum qui determinet amplitudines gyrorum vel oſcillationum penduli, (par enim & oſcillantis in plano verticali, & horizontaliter gyrantis ratio eſt, ut vere ſupponit Renaldinius,) non eſſe triangulum ABE fig. I, quod ex ſectione coni per axem oritur, cujus baſin circularem ABE pendulum infimo gyro deſcripſit, latera autem BA, BE longitudini penduli æqualia; ſed longe aliam lineam curvam, quæ omnia puncta determinet. Nempe, data altitudine quadam fixa, quæ ſit BE $= a$, & longitudine penduli AB, (vel AC vel AD, nam hæc æquantur) $= x$, ſemper a longitudine AB auferatur BE altitudo fixa, ab infimo quietis puncto in perpendiculari verſus punctum ſuſpenſionis A, ut reſiduum ſit AE: per punctum E tranſeat horizontalis CED, cujus puncta C & D determinentur arcu BC & BD ex centro A (puncto nempe ſuſpenſionis) linea AB (longitudine penduli,) illa erunt duo hujus curvæ puncta. Et ſic ſemper quadratum AC (ſeu AD vel AB) erit = quadr AE + quadr EC (AE autem = AC vel AD vel AB $-$ BE) adeo

adeoque curva hujus erit indolis, ut ſi AB vel AC vocetur x BE $= a$, EC $= y$, AE $= x - a$, ſit ſemper

$y^2 = 2ax - a^2$. Seu æqualitate in proport. reducta

$a, y :: y, 2x - a$.

Cum ergo quodlibet punctum in linea hoc modo inveniri poſſit ex datis longitudine & altitudine penduli, patet eam per infinita puncta deſcribi poſſe. Sit Linea indefinita F Z, ab F verſus Z ſumatur FA *Fig. VI.* = ductæ conſtanti altitudini (EB in fig. V) punctum A erit punctum primarium ſeu ſuſpenſionis. Jam ab eodem F ſumatur FE = longitudini cuicumque datæ penduli (AC fig. V) erit AE $= x - a$, & FE ✠ EA $= 2x - a$. Ex E erigatur perpendicularis EC = dimidiæ CD in fig. V, ſeu = *FC* vel ED, quæ ſemper media proportionalis eſt inter FA & FE ✠ EA, & ſic in infinitum, puncta C, C, connectantur, & erit ducta curva VCC, ubi ſolum hæc determinatio addenda; verticem hujus curvæ V non cadere in F ſed in $\frac{1}{2}$ FA, quia tum æquatio (ſi nempe $2x = a$) exſpirat, nam tunc $2ax - a^2 = 0$; adeoque & $y^2 = 0$, & pendulum oſcillans in plano verticali aſcendet ad punctum V, & inde perpendiculariter cadet. Si vero $2x$ minor ſit quam a, tum circa punctum ſuſpenſionis A gyros deſcribet verticales, pauciores vel plures, prout 2x vel parum, vel multo minor fuerit quam a, uti in experimento Fig. II nobis ſatis conſtitit. Dein AC ſemper æquari FA, quia ſi $x = a$, deſcribet pendulum oſcillando Semiperipheriam in verticali plano, vel gyrando in horizontali eodem plano cum puncto ſuſpenſionis gyrum peraget, ut antea monitum, ut ſic AC & denotet longitudinem penduli quia E incidet in punctum A, & amplitudinem arcus, adeoque & ſit hic $= x, = y$, & $= a$. Evolvi quidem Renaldinii Geometram Promotum, & inter lineas noviter inventas, quas Mediceas appellat, & variis æquationibus ſolvendis inſerviunt, quæſivi an hujus proprietas ulla compareret, ſed nihil huc accommodatum & pertinens inveni, nam illa, quam pag. 34 primam tertii generis vocat, reſpondens æquationi $ba - a^2 = z^2$, circulus eſt determinatæ magnitudinis, ob conſtantem quantitatem b, hic autem quia x ſemper variatur, variandi ſunt in infinitum circuli, adeoque per circulum & lineam rectam quodlibet hujus curvæ punctum quidem invenire licet, at nec circulus nec linea recta eſt ipſe quæſtioni ſemper & ubique ſatisfaciens Locus. Proin aliis majori otio præditis hanc conſiderationem & inquiſitionem, utrum hæc curva a quoquam alio ante hac vel inventa vel explicata ſit,

(mihi

Digitized by Google

(mihi enim nunc primum de ea cogitandi ex his penduli proprietatibus data eſt occaſio) & annon continuo quodam regulari motu, & quali deſcribi queat (nam Renaldinii Inventum deſcriptionem per infinita geometrice inventa puncta præſcribit) relinquens, ſolum hanc inſignem & elegantisſimam proprietatem notare volui. Si ſit fixa altitudo = *1* (ut FA in V & VI figura) & ſumatur longitudo penduli æqualis huic altitudini, & in linea verticali AX tranferatur ab A puncto ſuſpenſionis aliquoties verſus X, & ductis perpendicularibus per punctum A & reliqua ordine ſequentia, determinatisque illis per longitudinem penduli cuique competentem, uti antea monitum, connexisque ut Fig. VII monſtrat punctis, erunt illæ lineæ & linearum quadrata in progreſſione arithmetica naturali, ut 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, &c. quæ ſunt quadrata, ut $\sqrt{1}$, $\sqrt{2}$, $\sqrt{3}$, $\sqrt{4}$, $\sqrt{5}$, $\sqrt{6}$, &c. quæ ſunt radices quadratorum, adeoq; quadratum duplum, triplum &c. quam facillime ſumta ſaltem competente radice facere licet. Demonſtrationem addere opus non eſt, cum ex conſpectu triang. rectang. pateat. Cætera quæ addere animus erat, differo in aliud tempus, interim cum multis aliis expectans quam avidisſime Celeber. Leibnitii Reſponſionem ad ea, quæ Clariſſ. Papinus contra ipſius ſententiam denuo in hujus anni menſe primo pag. 6 publicavit, ut tandem veritas profundius & eruatur & intelligatur, noſtraque Scientia nullis ſectæ præjudiciis & authoritatibus impedita in ipſam feratur rerum naturã, de qua non ſemel optime meritus eſt Vir & profundisſimæ inquiſitionis & felicisſimæ inventionis, qui ut plures alios excitavit, ita & his exiguis licet cogitationibus anſam præbuit, quas ideo ea qua par eſt modeſtia, hujus Celeber. Viri cenſuræ, eique vel approbanti, vel rejicienti, ſubjectas eſſe volo, cum ex utraque nil niſi augmentum ſcientiis, quarum incrementa hactenus quæſivit procuravitque, certo ſperare liceat.

Fig. VII.

G. G. L. Additiuncula ad conſiderationes haſce.

Perplacent quæ Cl. Dn. Lichtſcheid *ingenioſe excogitavit circa motus pendulorum non tantum per Geometriam, ſed & per experimenta examinandos. Reſponſum meum ad Papinianas objectiones interim ad ipſum perveniſſe puto. Lineam, quam per puncta deſcribere docet (tanquam locum certis pendulorum oſcillationibus determinandis inſervientem) quæ nonnihil compoſita prima fronte viſa eſt, deprehendi ipſiſſimam eſſe parabolam, cujus (ſi figura ipſius 6 inſpiciatur) vertex ſit V, axis VEZ, & VA ſit quarta pars lateris recti, ita ut a ſeu EB ſit ſemilatus. Et in fig. 7 reperiet rectas transverſim ductas (ut V2, V4, V6, &c.) eſſe omnes ad curvam, (ſeu ejus tangentem) normales, ex nota parabolæ proprietate. Ita etiam ipſius opera quadam non inelegantia circa parabolam obſervata habemus.*

❧ (o) ❧

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Novembris, Anno M DC XCI.

AN ESSAY CONCERNING HUMANE underſtanding, in four Books.

hoc eſt,

Tentamen circa cognitionem humanam, quatuor libris comprehenſum.

Londini, ap. Eduard. Mory, 1690. fol. plag. 100.

Quamvis omnis illa doctrina, quæ mentem noſtram veritatis cognitione locupletat, laude ſit digniſſima, nulla tamen præſtabilior, nec expetenda magis eſſe videtur, quam quæ cognitionis humanæ naturam explicat. Cum enim plerumque fallamur, ſi vel rerum illarum ſcientiam imprudentes ſectemur, ad quas intellectus noſter pertingere nequit, vel etiam timide refugiamus earum cognitionem, quas inſuperabili difficultate circumſeptas perperam opinamur, facile illos effugiet errores, qui humani vires intellectus probe perſpectas habuerit. Atque hinc etiam non male ſuam collocaſſe operam cenſendus eſt Clariſſimus Vir *Johannes Lockius*, qui cognitionis humanæ naturam fuſius, quam factum hactenus eſt, in præſenti opere explicavit, quod in quatuor libros diſpertitus eſt. In *primo* contra innata principia tam ſpeculativa quam practica diſputat, & in originem opinionis ſecus ſentientium inquirit. In *ſecundo* de *Ideis* agit (vocat vero hoc nomine immediatum cogitationis noſtræ objectum) quæ dicuntur eſſe vel ſimplices vel complexæ. *Simplices* ſunt conceptus illi mentis, qui in plures differentes diſtingui non poſſunt, fluuntque ex duplici fonte, *ſenſatione* nimirum, & *reflexione* ſeu perceptione operationum mentis noſtræ. Quasdam enim mens ſibi acquirit per ſenſum unicum, v.g. colores, ſonos, &c. quas-

Digitized by Google

dam per plures, v.g. extenſionem, figuram, motum; quasdam per ſolam reflexionem, v.g. volitionem, reminiſcentiam &c; quasdam tandem per ſenſationem & reflexionem ſimul, v.g. exiſtentiam, ſucceſsionem &c. Simplices Ideæ, quas ſenſus ſuggerit omnes poſitivæ ſunt, licet forſan nonnullæ cauſæ, a quibus producuntur, ſint privationes in illis ſubjectis, a quibus ſenſus noſtri illas hauſerunt, v. g. umbra, ſilentium. Neque tamen omnes Ideæ imagines ſunt alicujus rei, quæ objecto revera ineſt, cum nonnullæ oriantur a qualitatibus primariis, v.g. ſoliditate, extenſione, motu & quiete, aliæ vero a qualitatibus ſecundariis, quæ ſunt complexiones primariarum qualitatum, quæ ſimul in nos agunt, & clare non diſtinguuntur. Licet enim Ideæ primariarum qualitatum ſimilitudinem habeant cum rebus, quas referunt; ſecundariarum tamen Ideis nihil ſimile in corporibus offenditur, perinde ac nihil in acu reperitur, quod dolori, quam pungendo efficit, ſit ſimile. Ideæ *complexæ* ſunt, quas ipſe animus ex ſimplicibus componit, & ut unum aliquid conſiderat, v. g. pulchritudo, gratitudo. Diſtinguuntur autem in tria genera (1) *Modos* ſeu Ideas aliis inexiſtentes, quales ſunt triangulum, homicidium. (2) *Subſtantias* ſeu Ideas, quæ res per ſe exiſtentes repræſentant, quales ſunt homo, navis. (3) *Relationes*, quæ in comparatione unius Ideæ cum altera conſiſtunt, v. g. pater, dominus. *Modi* rurſus vel *ſimplices* ſunt, qui ex diverſa combinatione unius ejusdemque ſimplicis Ideæ oriuntur, v. g. numerus; vel *mixti* qui ex diverſis Ideis componuntur, v. g. furtum. *Subſtantiæ* quoque vel ſunt *ſimplices*, ut homo, vel *collectivæ*, ut exercitus. Porro ſi Ideæ ſimplices tales ſe menti offerant, quales ab objectis in ſenſatione rite facta proficiſcebantur, *claræ* dicuntur, ac tales quoque ſunt Ideæ complexæ, quæ ex Ideis ſimplicibus claris, quarum & numerus & ordo determinatus eſt, conſtant; *obſcuræ* vero ſunt, ſi requiſitis illis deſtituantur. Quodſi mens noſtra rei cujusdam perceptionem tam plenam atque evidentem habeat, ut illius Ideam ab omnibus aliis diſtinguat, *diſtinctam* Ideam ejus habere dicitur, alias vero *confuſam*. *Chimaricæ* ſunt Ideæ, in quibus ſimplices Ideæ, quæ ſimul conſiſtere nequeunt conjunguntur, vel etiam quæ non conveniunt cum rebus illis ad quas tacite tanquam archetypos ſuos revera exiſtentes referuntur; reliquæ vero *reales*. *Adæquatæ* ſunt, ſi perfecte referant ſuos archetypos; *inadæquatæ*, ſi imperfecte hoc fiat. Tandem vel *veræ* ſunt, vel *falſæ*,

quas

quas concinnius Auctor *rectas* ac *perverſas* dici poſſe exiſtimat. Hæc autem omnia dum prolixe explicantur, varia admiſcentur philoſophemata ſcitu perquam digna & jucunda, v. g. Cogitationem non eſſentiam eſſe animæ, ſed actionem. Soliditatem differre a ſpatio, atque hujus clarā nos habere Ideam. Perceptionem & memoriam brutis quoque eſſe tribuendam; non autem abſtractiones aut complexarum Idearum formationes. Solem atque Lunam non eſſe menſuram temporis ratione motus ſui, ſed adparentiarum periodicarum. Voluntati hominis non tribuendam eſſe libertatem, ſed agenti voluntate prædito. Subſtantiæ in genere nos nullam habere claram & diſtinctam Ideam, neque etiam clariorem eſſe Ideam ſubſtantiæ corporeæ, quam ſpiritualis. Corporum naturalium Ideas componi ex Ideis primariarum & ſecundariarum qualitatum, futurumque, ſi ſenſus noſtri, qui ad præſentem noſtrum ſtatum quam maxime ſunt accommodati, acutiores evaderent, & v.g. acquireremus oculos microſcopicos, ut ſecundariæ illæ qualitates plane evaneſcerent, atque ita novas rerum illarum Ideas acquireremus. Angelorum ſcientiam, quam circa res naturales habent, forſan ex eo oriri, quod dum corpora aſſumunt, organa ſibi conſtruere poſſint aptiſſima ad rerum inquiſitionem. Spiritus quoque eſſe mobiles. Cohæſionem ſolidarum partium in corpore non poſſe magis explicari quam cogitandi modum in ſpiritibus, & æque difficile intellectu eſſe, quomodo impulſu communicetur motus, ac quomodo cogitatione ſua mens aliqua corpus moveat. Quoniam porro Idearum noſtrarum ſigna ſunt verba, hinc in natura illorum explicanda *tertius* verſatur *liber*. Agitur autem hic de *verbis* & ſermone in genere, de ſignificatione illorum & terminis generalibus, nec non definitionis natura. Reſpondent ergo, judice *Lockio*, nomina Ideis noſtris abſtractis, quas ſingulas tanquam diſtinctas eſſentias mens noſtra conſiderat. Neque enim res ipſæ in ſpecies diverſas, ſeu claſſes, quibus diverſa nomina competunt, diſtinguuntur eſſentiis realibus, quæ plerumque nobis ſunt incognitæ, ſed ſolum definitionibus, quas eſſentias nominales dicere liceat, quæque nihil aliud ſignificant, quam Ideas illas complexas, quibus ſingulas res denotamus; id quod præcipue in ſubſtantiis animadverti poteſt. Jam quia verba non a philoſophis, ſed a vulgo ad vitæ civilis uſum inventa, non poſſunt non ob hanc aliaſve cauſas laborare imperfectione, quæ præcipue in dubia

illorum ſignificatione conſiſtit. Sunt autem *ambigua* imprimis *nomina* (1) Idearum quæ ex pluribus aliis componuntur, cum fieri facile poſſit, ut alter, ad quem verba facimus, unam pluresve Ideas in hac compoſitione omittat, atque ſic plane aliud quid ac nos intelligat: (2) quæ Ideas denotant, quarum arbitraria eſt compoſitio, nec certus in rerum natura datur archetypus, ad quem poſſint exigi & examinari: (3) quorum ſignificatio refertur ad archetypum, cujus cognitio nobis non eſt ſatis obvia: (4) quæ non ipſam realem eſſentiam rei ſignificant. His incommodis accedit *verborum abuſus*, ſi quis ea adhibeat ſine claris & diſtinctis Ideis, varius & inconſtans ſit in illorum uſu, obſcuritatem in illorum adplicatione adſectet, verba pro rebus ipſis amplexetur, aut pro illis ponat, ad quas ſignificandas ſunt inepta, ſupponat verba certam evidentemque habere ſignificationem, quæ alterum ſtatim in rei, quam mente concepimus, notitiam deducat, figuratosque tandem dicendi modos ſine neceſſitate adhibeat. Quibus malis omnibus certa opponuntur ab Auctore doctiſſimo remedia. *Quartus liber* explicat *ſcientiam* tam *ſenſitivam*, quæ circa exiſtentiam objectorum externorum occupatur, quam *rationalem*, quæ in perceptione convenientiæ aut diſconvenientiæ duarum Idearum ratione identitatis aut diverſitatis, relationis, coexiſtentiæ, realisque tandem exiſtentiæ conſiſtit, ac vel *intuitiva* eſt vel *demonſtrativa*. Quando ergo perceptio illa clara eſt, *clara* dicitur & *diſtincta* ſcientia; ſecus vero ſi ſe habeat, *obſcura*, licet Ideæ forſan nulla obſcuritate laborent. Quod *extenſionem* attinet *humanæ cognitionis*, illa non porrigitur ad res, quarum Ideas nullas habemus, neque etiam attingit omnia illa, quorum Ideæ in nobis exiſtunt, cum convenientia & diſconvenientia illarum omnis neque ex immediata illarum comparatione, ſeu intuitione, ſtatim innoteſcat, nec etiam ſemper in promtu ſint media, quæ nobis ad demonſtrativam ſcientiam monſtrent viam. *Axiomata* perperam dici fundamenta cognitionis noſtræ cenſet Auctor cum nec evidentia magis nec clariora ſint, quam particulares propoſitiones, quæ per ipſas probari ſolent; Identicas vero *propoſitiones*, nec non in quibus genus aut differentia de definito prædicatur, *nugatorias* eſſe, nihilque ad *ſcientiæ augmentum* conducere. Hoc vero nos procurare poſſe, ſi comparemus nobis claras perfectasque Ideas ſub certa conſtantiaque nomina redactas, & quæramus deinde alias, quæ

ipſarum

ipſarum convenientiam aut diſconvenientiam manifeſtent: idque præcipue locum habere in Matheſi & philoſophia morali, cum naturalis doctrina vix aliter, quam per experientias, perfectior reddi posſit. De *ratione humana*, quam in ſagacitate & illatione conſiſtere dicit, hæc aſſerit: parum eam juvari ſyllogiſmis Logicis, cum illorum adminiculo nihil novi posſit detegi. Rationem deficere, cum deſtituimur Ideis, aut Ideæ confuſæ ſunt & obſcuræ; cum non animadvertimus Ideas, quæ inſervire poſſent ad convenientiam aut diſconvenientiam Idearum vel probabiliter vel certo oſtendendam; cum falſis innitimur principiis; aut decipi nos patimur verbis incertis & ambiguis. Rationi non eſſe *fidem* opponendam, cum hæc nulli temere adhiberi debeat, & rationis ſit judicare, utrum traditio aliqua vere divina ſit an falſo jactetur; diſtinctas tamen illarum eſſe provincias, fideique proprium objectum eſſe res illas, quarum vel nullas vel imperfectas habemus Ideas, aut quarum exiſtentiam & naturam ſenſu & ratione noſtra certo non poſſumus aſſequi; reliqua rationi eſſe relinquenda, in iisque explicandis revelationem traditionalem contra rationem allegari nec poſſe nec debere. Erroris porro quatuor fontes conſtituuntur (1) defectus rationum; (2) ineptitudo illis utendi; (3) illarum neglectus; (4) perverſum probabilitatis criterium: ſi ſcilicet propoſitiones dubiæ aut falſæ pro principiis aſſumantur; receptis ſemel hypotheſibus pertinaciter inhæreatur; non ratio, ſed affectus aut alterius auctoritas, in conſilium adhibeatur. Denique ſcientia univerſa dividitur in *Phyſicam*, quæ naturam rerum explicat, *Practicam*, quæ vires atque facultates noſtras ad bonum obtinendum rite adplicare docet, ac *Semioticam*, quæ naturam ſignorum, quibus in cognoſcendis aut docendis rebus utimur, exponit.

OBSERVATIONES ET CONJECTURÆ IN numiſmata quædam antiqua, πάρεργον Laurentii Begeri. Accedunt duæ Ez. Spanhemii ad Authorem epiſtolæ, iisque interjecta Authoris ad priorem reſponſio.

Coloniæ Brandeb. Conſtant plag. 27. & fig. æneis non paucis.

Proſtant Lipſiæ apud Joh. Frid. Gleditſchium, 1691. in 4.

 Quem-

QUemadmodum Vir clariſſimus *Laurentius Begerus*, Sereniſſimo *Electori Brandenburgico* a conſiliis, antiquitatibus & bibliotheca, ſex abhinc annis *Theſaurum Palatinum*, cujus tunc curam gerebat, luculento opere deſcripſit: ita quam tum ſibi peperit, gloriam obſervationibus hiſce tueri ſtuduit, quibus ſingularem ſuam de nummis viginti quatuor, quanquã pridem vulgatis, opinionem exponit Viro illuſtri *Ezechieli Spanhemio*, eidem Electori potentiſſimo a conſiliis ſtatus & ſecretioribus, ſummoque cimeliarchii & bibliothecæ Electoralis præfecto, qui & ſuam de ea *ἐπίκρισιν* duabus in epiſtolis cum illo communicavit.

n. I. Ante omnia tum caput petaſatum in nummi Ætolici antica, tum figuram in poſtica conſpiciendam ac venabulo & ſica armatam, cui a tergo idem petaſi genus dependet, non *Mercurium*, vel *venatorem* aliquem, ſed *Apollinem* ſignare contendit Begerus, eo quod in Auguſti numiſmate *citharœdus* Apollo, cum pileo ejusmodi in tergum rejecto, viſatur. Hinc in alio Ætolico aprum Calydonium inſiſtere monet venabulo, quod Meleager *Apollini* dedicavit, quodque in noſtro nummo ab Ætolico hoc Numine manu geſtari Begero creditur. Ea ſimul occaſione nummum Cyrenæorum allegat, in quo Apollo eques cum petaſo in tergo ac Sole ſcalptus videtur. Sed hunc *Battum* potius, vel *Battiadem* aliquem, (cui æque ac cæteris Cyrenæis equitandi artem & Solis cultum curæ fuiſſe conſtat,) cenſet eſſe *Spanhemius* in epiſtola priori; partim quia equus *Apollini*, maxime Didymæo, apud Sextum Empiricum *inviſus* traditur, partim quia Latonæ ille filius nullibi Ἵππιος, (uti Neptunus, Minerva, Diana,) nuncupatur. In Ætolici vero averſa area non *Apollinem* ipſum, uti Begerus, ſed Meleagrum conſpicari ſe opinatur, tum quoniam Gentilium Dii in nullo nummo aut marmore μαχαιροφόροι (utut clypeati vel haſtati) deprehendantur, tum quia *Philoſtratus junior* ſtatuam Meleagri eundem fere in modum deſcribat, quo venatorem illũ petaſatum in nummo intueri licet. Interea *Begerus* in *Reſponſoria* tibiam *Marſyæ Satyri* eſſe conjecit, quam gladium eſſe putarat *Spanhemius*, provocavitque ad *Pauſaniæ* locum, quo & *venabulum* Meleagri, & tibiæ illæ, quæ e *Marſya* amne in Mæandrum, ac hinc in Aſopum, illinc vero in Sicyoniorum terram delatæ fuerant, ceu ſacra anathemata in fano Apollinis extitiſſe feruntur. Unde quemadmodum *Jupiter Carius*, in nummis *Hecatomni*

Digitized by Google

temini aliorumque Cariorum, *bipenni* Amazonica, quæ in ejus templo adſervabatur, armatus ſiſtitur; ita *Apollinem* ab Ætolis cum *tibia* Marſyæ effingi, adſeveravit. At *Spanhemius*, in alia abeundum ſibi porro ratus, (ut cæteras ejus reſponſiones brevitatis ſtudio reticeamus,) exiſtimat, nec telum illud longius, quod dextra gerit vir iſte in nummo conſpiciendus, *venabulum* eſſe, nec, qui id tenet, *Meleagrum*: Iſtud ſcilicet haſtam puram, Diis Heroibusque tribui ſolitam, brevius autem telum, quod circa ſiniſtrum viri latus cernas, jaculum eſſe Ætolicum, tandem ſtatuit. Cum itaque *petaſum* non *venatoribus* ſolum, (ac eo nomine, *Meleagro*,) ſed & *iter facientibus* familiarem fuiſſe, non uno loco antea eviciſſet, hinc omnium maxime ei arridere videtur ſententia, depingi heic ipſum *ÆTOLVM*, illoque *petaſati* habitu *profectionem* ejus, (quam *Strabo* l. X. p. 463. commemorat,) ab Ælide in Curetum regionem, *Ætoliam* inde ab eo dictam, & ejectis prioribus incolis inhabitatam, denotari; ſicuti in aliis nummis, *Cyzicenorum, Byzantiorum, Pergamenorum, Tomi, Abderitarum, Smyrnæorum, Amaſtrianorum*, &c. conditores ac conditrices *Cyzicus, Byzas, Pergamus, Tomus, Abderus, Smyrna, Amaſtris*, etiamnum proſtant.

Redeamus ad *Begerum*. Is proximo loco *turrim* in nummo *Siphnenſi* de diverſorio eorum, qui in aurifodinis operabantur, interpretatur. c. 2.

Miratus fuerat *Nonnius* notis ad Golzium, cur *Apollo* ſignetur in moneta *Idaliorum*, utpote quos ſoli Veneri devotos forſan crediderit. Oſtendit idcirco Noſter e *Stephano* Byzantino, Cypriam illam urbem a viſo *Sole*, qui extruendæ auſpicium dederat, nomen traxiſſe. c. 3.

Mox controverſiæ argumentum petitur e numiſmate *Amiſenorum*; in cujus antica videas caput galea absque criſta tectum, quod an viri ſit, fœminæve, incertum eſt. Begerus vel *Minervam*, vel potius *Amiſum* Amazonem agnoſcit: Nonnius & Spanhemius *virum* aliquem Amiſenorum evergetam. Duplici autem hic argumento in Begeri conjecturas inſurgit, quod Strabo Heſychiusque non æneas casſides, ſed leonum tantum exuvias Amazonibus caput tecturis in uſu fuiſſe tradant; nulla etiam *pelta bipenniſve* hermæ illi adjiciatur, ut in aliis Amazonum iconibus fieri notum eſt. Qui in poſtica habetur, non volans, ſed gradiens paſcensque *Pegaſus*, pugnam Bellerophontis cum Amazonibus innuere videtur *Begero*: *Spanhemio* tranquillitatem publicam, quam anno MB (qui in nummo obſignatur) h. e. XLII ab Actiaca c.4.

victoria

Digitized by Google

victoria, Amiſeni, indulgentia Auguſti, obtinebant, quaque equos ſuos, quos ob ſingularem, qua pollebant, velocitatem *Pegaſos* vocari moris erat, ſecure paſtum educebant in campos.

c.5. Sequens nummus hinc caput imberbe laureatum ac inſcriptionem ΕΠΙΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ, illinc gryphum literasque ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ exhibet. Iſaacus Vosſius ad Melam legerat Ἐπὶ Διὸς λαΐου *ſub Jove frugifero*; quia λήϊος (adeoque Doribus λάϊος) *fertilem* notet. Begerus: Ἐπὶ Διὸς λαιοῦ, *ſub Jove ſiniſtro*, quaſi dicas Romana phraſi: *SUB VEJOVE*. Abderitas nempe indicaſſe ſuſpicatur, ſe quidem *ſub Jove ſiniſtro*, i. e. *ſub aere craſſo* naſci, hoc ſibi tamen non eſſe vitio vertendum, cum nihilominus ſint genuini Apollinis alumni, e quibus nimirum prodierint Democritus, Protagoras, Anaxarchus, Hecatæus, Nicænetus. Diſſentit Spanhemius, tum quod vox illa Vosſii *poetica* in nummo vix locum habeat, nec *ſpica*, *calathusve* aut ſimile *frugiferorum* Numinum ſignum, ibidem appareat: tum quod nec illic extet *fulmen* aut *ſagitta*, quibus *ſemper ad nocendum inſtructus* fingitur *Vejovis* Romanus; quodque nuſquam ante Deorum Regumve nomina in nummis obſervetur vocula Ἐπὶ, frequenter autem occurrat ante nomina magiſtratuum. Indeque, pariter ac *Harduinus*, legendum autumat Ἐπὶ Δίος Λαΐου, *Epidius Laji filius*.

c.6. Probare deinceps ſatagit doctisſimus *Begerus* uno alteroque *C. Antii Reſtionis* nummo, *Herculem, Geryone domito, in Italiã regreſſum, Cacum interfeciſſe, erectaque ara maxima, ſuper ea bovem immolaſſe*.

c. 7. Dionyſio etiam Halicarnaſſæo contra F. Urſinum patrocinaturus, *Lupæ & Aquilæ*, quæ Æneæ Lavinium conditurо præſagium dedere, *ænea ſimulacra* adſerit *Lavinii* fuiſſe, non *Lanivii*.

c. 8. Quod ad fœdus *Romuli Tatiique* retulerat Urſinus, gentis *Veturiæ* numiſma, ad *Tulli Hoſtilii* fœdus cum *Albanis* adplicat Begerus, ac apud Livium, pro *M. Valerio*, feciali fœderis illius, *Veturium* forſan reſcribendum, divinare ſuſtinet.

c.9. Progreditur porro ad alium nummũ Urſinianum, ubi unam aream caput Clementiæ explet olea redimitum; in altera *Victoria* galeata, trophæum & caduceum geſtans, incedit, adjuncto lemmate: L. HOSTILIVS SASERNA. Hunc gentis *Hoſtiliæ* denarium reſpicere conjectat ad *Tullum Hoſtilium*, pacemque, quam victis Fidenatibus concesſit.

c. 10. Caput quoddam galeatum & diadematum, *Anci Marcii* Romanorum

norum Regis eſſe nummo ſimili, *ANCVS* inſcripto, evincit, cum Urſinus Patinusque *L. Marcium*, Vaillantius *Philippum* Perſei patrem intelligendos putaſſent.

Altioris indaginis res eſt, utrum Tarquiniorum vultus in numiſmatibus ſuperſint. Dantur tamen duo, quorum alterum hinc caput diadematum & clavam, illinc lupam lactantem pueros cum lemmate ROMANO; alterum in anteriori area caput galeatum & clavam, in poſteriori clavam itidem, equum & literas ROMA exhibet. Illud caput videri poterat Herculi adſcribendum, hoc Marti. At ſi *Begeri* conjecturam admittas, (quam quidem ipſemet non ſatis firmam eſſe, ingenue fatetur,) iſta Tarquinii Superbi, hæc Tarquinii Priſci effigies erit. Nam homines veros, & quidem, ut ex diademate & inſcriptionibus patere videtur, Reges Romanos, non Numina, (arbitraria ſculptorum figmenta,) ex ſingularibus vultuum lineamentis agnoſcere ſe, Begerus certiſſimus eſt. Priorum autem Regum non eſſe, ex nummis eorum, qui adhuc ab antiquariis adſervantur, ſatis noverat. c. 11.

Caput pileatum fœmineum, cui adjecta inſcriptio: CN. PLANCIVS. AED. CVR. S. C. ex ſimili numiſmate pro capite LIBERTATIS habendum judicat. c. 12.

Nummos inſcriptos Q M X *Q. Fabio Maximo Cunctatori* tribuere ſuadet. c. 13. Æreum quendam, qui in antica caput laureatum literasque SER. SVLP. in poſtica navem, acroſtirium, temonem, anchoram & duos captivos oſtentat, *P. Sulpicio*, qui Philippum & Macedones terreſtri navalique robore preſſit, adplicat. c. 14.

Cum in *Aburiæ* gentis numiſmatibus vel *Mercurii* vel *Herculis* capita, ac in poſtica *Navis* vel *Mars* triumphalibus quadrigis inſiſtens, occurrant, Begero deſignari cenſetur *C. Aburius*, T. Livio L. XXXXII. c. 35. memoratus. Hic enim auxiliorum contra Perſeum rogandorum gratia cum aliis ad Maſaniſſam & Carthaginenſes, *Mercurii* inſtar, quaſi a Diis (Senatu Romano) miſſus, quanquam non *alarum*, ſed *navis remigio*, Martium gentis bellicoſiſſimæ robur Herculisque illius Africani auxilium Romanis conciliavit. c. 15.

Effigiem juvenilem, quam Seguinus, Patinus ac Oiſelius *Jugurthæ* adjudicarant, *Boccho* adſerit, illumq; *barbatum* probe, hunc *imberbem* e numiſmatibus Fauſti, Syllæ F. demonſtrare allaborat. c. 16.

Caput *galeatum* cum *malleo* in antica numiſmatis, & nudum c. 17.

aliquem hominem inter tropæum, proram navis,& locuſtam in averſa conſiſtentem, adjectis literis C M A explicat de *C. Malleolo*, rapaciſſimo Dolabellæ in Aſia quæſtore, de quo *Cicero* in *Verrina* tertia: occiſus *grande pondus argenti, familiam magnam, multos artifices, multos formoſos homines reliquit.* Videtur ergo victoriarum & parſimoniæ ſymbolis ceu velo ſpecioſo texiſſe rapinas ſuas.

c. 18. *Bacchium Judæum* in nummo A. Plautii repræſentatum, non Regem, ut Urſino viſum fuerat, ſed recutitum privatum, Aretæ forſan Arabum Reguli, a Scauro victi, adſeclam eſſe credi cupit.

c. 19. C.Julii Cæſaris effigiem in nummo gemino obſervaſſe ſe ait,ac magnam inde lucem Suetonianæ Cæſaris proſopographiæ accedere,nullus dubitat.

c. 20. Caput diademate revinctum in anteriori area pro *Indutiomaro* Trevirorum principe accipit, ob averſam, qua bos,& verba GERMANVS INDVTIIII viſuntur.

c. 21. Sub Dioſcurorum figura ſe fratremque Publium in numiſmate ſuo *C. Servilium M.F.*(occiſo a ſe *C. Julio Cæſare,*)effigiare,ſicque indigitare voluiſſe ſtatuit, facinus id Romanis non minus utile eſſe, quam fuit auxilium *Dioſcurorum* in pugna Regillenſi, quo ultimum pro libertate cum Tarquiniis pugnavere Romani.

c. 22. Sententiam *Triſtani* de COPIA Thurium notante in nummo *Divi Julii & Cæſaris Divi F.*contra *Vaillantium* defendendam ſuſcipit.

c. 23. In *Kaleni* & *Cordi* nummo ſpectantur hinc jugata capita *Honoris* & *Virtutis*; illinc Italia cornucopiæ ac caduceum habens,& Roma globo inſiſtens dextras jungunt. Hunc non ante Auguſti tempora cuſum, pronuntiat Begerus. Auguſtum enim demum *orbem terrarum* Romæ ſubjeciſſe, Italiæ *felicitatem* ſtabiliviſſe, ac C. Furnio & Silano COSS. feſtum *Honoris* & *Virtutis* in eam diem, qua Dionis Coccejani ætate agebatur, transtuliſſe obſervat.

c. 24. Dum nummo P.Sept.Getæ, in quo Janum inibi extantem ad imperii cum fratre Caracalla communionem refert, ulterius illuſtrando incumbit, adducit numiſma *Tenediorum* cum vultu gemino uni cervici impoſito, atque ita *Spanhemio* occaſionem ſuppeditat, ut in epiſtola ſua altera tum ſummatim repetat, quæ in alia ad nobiliſſimum *Cuperum*,(nobis A.1687.pag.700.laudata)prolixius enarrantur,immo ut novis quoq; conjecturis ea augeat, ac ejusmodi capita modo pro *Jovis* &

Junonis

Digitized by Google

Junonis, modo pro *Herculis* & *Dejaniræ*, modo pro *conjugum adulterorumve* effigiebus, in diverſis numiſmatum exemplis accipere doceat.

Atque hac ratione defuncti ſumus operis Begeriani recenſione, ac ad ſingula ejus capita ex epiſtolis Spanhemii Begerique amœbæis adnexuimus, quæ deprehendimus illuc pertinere. Cæterum Spanhemii digreſſiones eruditisſimas, hic illic per modum præteritionis rhetoricæ inſertas, ac de variarum Græcarum vocum ſenſu ſatis abſtruſo disquiſitiones non unas, lectori ipſi quærendas permittimus, magna de iis promiſſuri, niſi neminem non jamdum perſuaſum fore crederemus, nihil unquam ab illuſtri hoc viro in lucem emiſſum, quod non ſummi judicii promtiſſimæque conjectandi peritiæ ſimul ac diffuſiſſimæ lectionis laudem, quam apud eruditos dudum meruit, optimo ei jure conciliaret conſervaretque.

A PREVIOUS HYDROSTATICAL VVAY OF eſtimating Ores.

ſive,

Methodus Hydroſtatica prætentandi Minerarum æſtimationem.

MEdicinæ *Hydroſtaticæ*, ab Illuſtri *Boylio* non ita pridem editæ, & a nobis *menſe proxime elapſo* recenſitæ, hæc *Appendix* eſt, cujus intuitu reliquatores tunc manſimus, pagellarum nempe anguſtia a pleniori ejus commemoratione prohibiti. Deſtinatus hic tractatus fuerat Tranſactionibus Philoſophicis Societatis Regiæ, (ad cujus proinde Secretarium per modum epiſtolæ dirigitur,) quas nimirum propediem denuo continuatum iri ſpes alluxerat: verum poſtquam earum editionem, quod merito dolendum, per incidentia noviter impedimenta rurſus differri perſenſit Autor, non ulterius cunctandum ratus, prælaudato ſuo libro eum additamenti loco annexuit, tum quod plures materiæ utrique communes eſſent, tum quod proceſſus hydroſtaticus in examine faciendo idem utrobique foret, quamvis alioqui ratione finis quadantenus diſcreparent: dum prior ille quidem eos potiſſimum concernit, qui ſanitati hominum procurandæ intenti ſunt, hic poſterior vero lucripetas inprimis fodinarum ſcrutatores. Tametſi vero Autori propoſitum

Digitized by Google

poſitum hic non ſit, plenam tradere artem metalla minerasve probandi, cujus nempe primarium inſtrumentum non *aquam*, ſed *ignem* rite ac ſcite tractatum, eſſe conſtat: non ingratam tamen hujus ſui meletematis communicationem curioſis fore confidit, hoc maxime tempore, quo tot e ſuis civibus, (revocato nuper prohibitivo illo Edicto Parliamentario, quod regnante Henrico IV prodierat,) tam in regno Britanniæ, quam Nova Anglia & reliquis Coloniis Americanis occupati ſint in detegendis noviter venis metallicis. Quamvis etenim per examen tale hydroſtaticum præciſe determinari nequeat, quanta metalli portione hæc vel illa minera ſit gravida: ad prætentandam tamen probabiliter ejus æſtimationem commode inſervire poteſt; adeoque ad præcavendum, ne quis incautior decipi ſe, aut inani, propter ſpecioſam foſſilis cujuſpiam formam concepta, ſpe lactari fruſtra patiatur. Nimirum, ut in *Medicinæ Hydroſtaticæ* antedicta recenſione jam expoſitum eſt, utiliter ponderatio talis hydroſtatica adhiberi poteſt ad oblatum quodlibet foſſile generatim examinandum, an metalli quid intra ſe contineat, nec ne: quod ſi enim gravitas ejusdem ſpecifica major ſit ea, qua cryſtallus aut marmor album, lapides puta ab adventitiæ materiæ mixtura maxime liberi, pollent: haud vane metallici quid in eo reputabitur latitare; ſin vero minor, incaſſum de eo tale quid expectabitur. Quo vero cautius tentamen hocce fiat, conſultum ducit Autor, ut prius a minera, tali probationi ſubmittenda ſeparetur interſperſa materia terrea vel lapidea Anglis *Sparr* dicta, aut etiam pro re nata in anteceſſum ipſa igne valido per horas aliquot torreatur: quandoquidem alias mineræ in ſtatu ſuo nativo nonnunquam minorem exſerant gravitatem ſpecificam, quam pro portione metalli intus abſconditi forent habituræ. Monet præterea, ne ſola ponderoſitas mox pro indubio ſigno capiatur metalli intra hoc vel iſtud foſſile latentis, quin potius, ubi juſta dubitandi cauſa ſubſit, oculus ſimul flectatur ad alia indicia illam comitantia: cum alias dentur non unius generis ſemimetalla ſeu mineralia media non exiguam gravitatem ſpecificam nacta, qualia Antimonium, Biſmuthum, Lapis Calaminaris & alia: quæ ipſa tamen, cum plerumque aut integris venis, aut ſaltem magnis ſui generis maſſis reperiantur, diſcretu ſat facilia autumat. Nullius vero foſſilis aſpectus aut ſpecioſus nitor cum imponere magis incautis ſoleat, quam qui in Pyritis ſeu Marcaſitis fere cernitur, ponderoſitate ſimul genuinas aliquan-

aliquando venas metallicas multum ſuperantibus: conſilium ſuppeditat Autor, quomodo larva perſonato huic foſſili facile detrahi valeat: nempe jubet ejusmodi mineram, de qua ſuſpicio ſit, immittere crucibulo, aut etiam extra illud igne fortiori aliquandiu urgere, atque tum ſemel iterumque folle ipſam propius afflare: ita enim fore ait, ut ſulphur, quo ſcilicet Marcaſitas fere abundare conſtet, ignem concipiat & cærula flamma ſemet prodat; qua extincta dein lapis reſiduus amiſſa omni priſtina venuſtate nil præter ſubſtantiam fragilem & nigricantem exhibeat. Non ideo tamen negat, Marcaſitas aliquando cupri vel ferri quid ſimul in ſinu ſuo fovere: imo *ex Kentmanni Catalogo Foſſilium Miſniæ* allegat, in iis & argentum & aurum nonnunquã reperta fuiſſe: ſicut & agnoſcit, eosdem præterea variis uſibus tam chymicis, quam medicis inſervire poſſe; ſpeciatim vero intimat, pharmaca exinde parari valere non minus nobilia, quam inſolita, fugandis febribus continuis præſertim apta, tam lenia licet, ut eorum operatio vix aliter, quam læto ſuo effectu, ſenſus incurrat. Quamvis vero, uti dictum, ſola ponderoſitas foſſilis cujuſpiam nondum infallibile ſit indicium metalli in eo reconditi: e diverſo tamen ejus abſentiam certum ſatis ſignum præbere deficientis ibi materiæ metallicæ, comprobat Autor diverſis exemplis mineralium cryſtallo in gravitate ſpecifica inferiorum, puta Gagatis, ſulphuris vivi, ſuccini foſſilis, Talci, necnon corporis iſtius plumbo non abſimilis, quod Anglis *Black-Lead* vocatur: quod ipſum nempe ratione ponderoſitatis ad aquam ſe habere modo, ut $1\frac{86}{100}$ ad 1, & nil quidquam plumbi continere, ſed eſſe Minerale ſui generis comperit. Alius porro experimentorum hydroſtaticorum uſus inſinuatur, in examinando *ſabulo* illo *aureo*, cujus in Guinea & aliis Africæ oris non leve cum Europæis commercium exercetur. Scilicet cum experientia docuerit, iſtud admixta æris limatura haud raro ab indigenis falſari: promtum adeſt fraudi huic evitandæ remedium, ſi ſabuli talis pondus in aqua exploretur miniſterio *ſitulæ hydroſtaticæ* ab Autore noſtro traditæ: ubi enim aurum juxta Merſenni computum ad aquam ſe habet, ut 18 ad 1, vel, uti noſter in auro puriore expertus eſt, fere ut 19 ad 1. cuprum viciſſim non adſcendit ad dimidiam ejus gravitatis proportionem, ut adeo fraus, ſi qua ſubſit, facile oculos incurrere valeat. Cum vero trutina hunc in finem non ubique ad manum eſſe ſoleat, alios inſimul modos communicat Noſter, arenam ta-

Digitized by Google

lem ex tempore probandi: ſcilicet ejus vitium ſtatim detegi ait, adſperſa modo aqua forti, aurum nempe genuinum quidem intactum relinquente, ſed ex ærea ſcobe confeſtim virorem ſubcærulum eliciente. Cum autem experimentum hoc fallere quadantenus poſſet, ſi natura forſan ipſa argenti quid admiſcuiſſet aureo iſti ſabulo, ſubſtituere *aquæ forti* jubet ſpiritum urinæ, aut ipſam quoque urinam vetuſtiorem & rancidam, ſpiritumve cornu cervi; aut ſi quis *agens* tale in forma ſicca ſecum portare malit, ſal ammoniacum: his enim ſingulis chartam albam modice madefactam & arena ejusmodi conſperſam extemplo viridem contrahere colorem, ſiquidem dicto modo adulterata eadem ſit. Diſcurrit hac occaſione Autor de aurifera variorum fluminum (quæ inter etiam Rhenum recenſet,) glarea, judicatque per artificia chymica multo plus auri exinde obtineri forſitan poſſe, quam nunc quidem per nudam lotionem aut ſelectionem in forma granorum excerpi ſoleat; aurum enim ipſi quandoque ſabulo velut matrici ſuæ inhærere & ex ea proinde ſeparari valere, ſi arena prius ope lithargyrii vel minii vitrificetur, atque tum cura habeatur *aurum volatile* inde extrahendi per additionem puri cujusdam corporis ad iſtud detinendum atque figendum apti, v. g. argenti: qua ratione aliquando ſe ipſum ex unico crucibulo tali arena vitrificata pleno, non niſi adhibito uno alteroque additamento parvi pretii ad fluorem facilitandum, per *Quartationem*, 16. gr. auri puri obtinuiſſe perhibet. Ne vero quis termino *Auri volatilis* offendatur, utpote quod Chymicorum plurimi pro mero figmento habent, per propriam experientiam confirmat, tale omnino dari: narrat nimirum ſe aliquoties auxilio additamenti cujusdam, nec mole, nec pondere adeo notabilis, absque etiam igne nudo intra Retortam Vitream vidiſſe aurum (ne quidem prævia calcinatione præparatum) ſublimari aliquando in forma ſalis colore fulvi, aliquando vero, operatione melius ſuccedente, ſub ſchemate cryſtallorum, venuſte figuratorum, ac Rubinos & rubore & nitore æmulantium. Cæterum num ullibi terrarum veræ *auri fodinæ* darentur, (voce nimirum non in populari ſenſu, ſed pro talibus accepta, in quarum minera metallum prædominans ſit Aurum,) diu ſe ambiguum hæſiſſe fatetur, inprimis cum nemo peregrinatorum, quorum tamen plurimos hac ſuper re interrogaverit, aliud teſtimonium, quam de mero auditu potuerit ferre: tandem nihilominus convictum ſe de rei veritate fuiſſe

Digitized by Google

te fuiſſe refert per transmiſſam ex India Orientali unam alteramque talis minerae particulam: quas idcirco ob eximiam raritatem ſolicite & quoad ſingulas circumſtantias deſcribit. Sed, ut cum ipſo nunc ad hydroſtatica examina revertamur, ulterius ea proficere ait ad pertentanda varii generis corpora ad minerale regnum ſpectantia, & ſæpe præter opinionem metallici aut alias inſoliti quid continentia, lapides puta, arenas, glareas, limum ipſum quandoque: ſicuti memorat, in Suecia optimæ notæ ferrum latere ſub ſpecie quadam limi fulvi e lacubus hauriri ſoliti, & in America alicubi aurum ipſum in formâ glebæ ſeu terræ rubicundæ reperiri: quapropter ſedulo monet rei metallicæ curioſos, ne oblatam ſibi, in itineribus maxime, ullam prætermittant occaſionem examinandi materias quascunque de foſſilium genere occurrentes & inuſitati quid præ ſe ferentes: non abs re quippe, patriæ ſuæ exemplo edoctus, ſtatuit, multis in regionibus foſſilium non temnendorum copiam eſſe, quæ tamen ab inexpertis per ſupinam oſcitantiam neglecta & ignota relinquantur. Denique ad provehenda ulterius hoc in negotio examina hydroſtatica, ſuadet Autor, ut talium amantes procurare ſibi pluſcula variarum minerarum, e diverſis fodinis erutarum, fruſta ſive exemplaria ſatagant, ſimulq; ſive proprio experimento, ſive per ſedulam inquiſitionem ab aliis exacte perdiſcere, quantam Metalli eas denominantis proportionem contineant, atque tum gravitatem cujusque ſpecificam hydroſtatice indagare: ita enim fore ait, ut aliis minerarum ejus ſpeciei portiunculis oblatis, facilius de inteſtino earum valore judicium præmiſſo ſimili tentamine ferri poſſit. Quod ſupereſt, Tabula ſubnectitur alphabetica variorum corporum naturalium hydroſtatice examinatorum, communicaturque pondus, quale ſingula tam in aere, quam in aqua habuerint, addita eorum cuilibet proportione gravitatis ſpecificæ intuitu aquæ iisdem mole æqualis. Atque hæc fere ſumma eſt eorum, quæ in appendice hac prælaudati Tractatus continentur: de quo ipſo id adhuc indicandum habemus, quod *Secundus* ejusdem *Tomus* propediem ſecuturus una promittatur, exhibiturus nimirum partim artificia quædam alia, ad meliorandam examinandamve Materiam Medicam facientia; partim ſupplementa quædam & paralipomena, quæ primo huic tomo deſtinata quidem, ſed per incuriam omiſſa fuerant: pro cujus editione acceleranda, Perilluſtri Autori & bonam valetudinem & ſuave otium, de quibus nempe ſub-

pe ſubinde deficientibus haud parum conqueritur, animitus apprecamur. Coronidis loco Bibliopola ſubnexuit Catalogum univerſorum operum tam Philoſophicorum, quam Theologicorum hactenus a Viro hoc celeberrimo in lucem editorum, a Gallo quodam, ut ait, medico concinnatum: certo ſimul ſigno iis in margine adjuncto, quæ in Latinum ſermonem quoque translata prodierint; præter quæ tamen & aliorum quorundam Latina verſio confecta eſſe perhibetur, licet nondum publicata: quod quidem non leviter dolendum eſt, cum interpretationis talis editionem omnibus modis promoveri, Reipublicæ literariæ plurimum interſit. Ne enim jam de ſcriptis hujus noſtri Autoris Theologicis dicamus, de quibus nempe non niſi unicum illud, *de Stylo Scripturæ Sacræ*, Latina veſte donatum eſt: ſane tot egregii ſuperſunt ejus tractatus Philoſophici & ad complendam Hiſtoriam naturalem ſumme proficui, qui tamen nondum translati hucusque habentur: cujusmodi ſunt volumina tria *Conſiderationum de utilitate experimentalis Philoſophiæ naturalis;* item *Hiſtoria frigoris; Continuatio* prior (ſecunda enim traducta publici juris eſt) *experimentorum phyſico-mechanicorum circa elaterem & gravitatem aeris;* Diſcurſus *de atmoſphæris corporum ſolidorum; Experimenta & notæ de mechanica origine ſeu productione diverſarum qualitatum particularium*, frigoris puta, caloris, ſaporum, odorum, volatilitatis, fixitatis, aptitudinis corroſionem tam faciendi, quam patiendi, præcipitationum chymicarum, qualitatum magneticarum & electricitatis: ne plura hujuscemodi enarremus, quæ excitare quidem appetitum ſolidioris Philoſophiæ amatoribus, ſed Anglica haud callentibus poſſent, non explere, niſi verſio dictorũ librorum etiam procuretur. Cæterum in Catalogo illo & ea Autoris ſcripta una commemorantur, quæ non ſeparatim, ſed inter Transactiones modo Philoſophicas Societatis Regiæ evulgata fuere: inter quæ non ultimum locum tenet Deſcriptio novi cujusdam Inſtrumenti hydroſtatici, aureis nummis promtius & exactius, quam per ullam ſtateram examinandis inſervientis, quæ habetur in *dict. Tranſact. ann. 1675. Menſ. Jun. num. 115. pag. 329:* cujus quidem mentionem præ cæteris ut faciamus, materiæ affinitas, quam cum præſenti hac noſtra appendice hydroſtatica habet, exigere a nobis ſuo quodam jure videtur.

SINGU-

SINGULARIA EFFECTA VITRI CAUSTICI bipedalis, quod omnia magno ſumtu hactenus constructa ſpecula uſtoria virtute ſuperat, per D.T.

QUantum naturalis philoſophiæ fines promoti fuerint adminiculo vitrorum dioptrico artificio rite paratorum, cum jam olim apud animum meum perpendiſſem, magno incenſus fui deſiderio meam quoque ſymbolam pro viribus ad hanc rem conferendi. Simul atque ergo commodam adeptus ſum occaſionem, ea quæ mente conceperam, in praxin deducendi, præcipuus fuit laboris mei ſcopus, *primo* ut *teleſcopia* inuſitatæ magnitudinis non ſolum facillima ratione conſtruerem, ſed modum quoque non operoſum illa dirigendi adinvenirem, ut ſcilicet objecta procul a nobis remota nobisque incognita poſſent perluſtrari; *ſecundo* ut talia *microſcopia* fabricarer, quibus quævis objecta cominus poſita, vel tota vel ex parte, clare ac diſtincte poſſent inſpici, atque ita plura indies, quæ ſenſus noſtros adhuc fugiunt, indagari, id quod a nemine eo, qui mihi maxime probatur, modo factum memini; *tandem* ut ſingularem illam *vim*, quam *Solis radii* in res ipſis expoſitas *exſerunt*, rite adplicarem, ita quidem, ut tantum excitare liceret ignem, qui omnes nobis cognitos agendi virtute ſuperaret. Quo meo propoſito adeo non excidi, ut potius per machinam valde ſimplicem & ab aqua commotam, vitra ad hos uſus facientia non formare ſolum, ſed nitidiſſime quoque expolire poſſim, ſine magna ullius hominis opera. Qua de re cum alias plura in publicum proferre conſtituerim, non ingratum curioſo Lectori puto futurum, ſi de vitris ſolum uſtoriis quædam hac vice afferam.

Quibus perſpectum ſatis eſt, quam operoſa ſpeculorum urentium ſit fabrica, polituræ facilis jactura, conique uſtorii in objecta comburenda non ſatis commoda directio, conjectura haud difficili aſſequentur, quibus rationibus ad vitrorum uſtoriorum fabricam tentandam inductus fuerim. Id vero inſtitutum meum deinde magis urgere cœpi, cum animadverterem, ſpecula metallica aut vitrea Solis radios reflectentia, ſi comparentur cum vitris dioptricis ejusdem magnitudinis Solisque imaginem æque amplam referentibus, ab his virtute

Digitized by Google

adurendi non parum ſuperari, atque ita eos poſſe effectus edi per vitra haud adeo magna, quos a ſpeculis vaſtæ molis fruſtra deſideraveris. Verum experiundo didici, ſi quis opus hoc aggrediatur, tantas ſeſe difficultates illi objicere, quæ inſuperabiles prima fronte videntur. Neque enim, ut præcipuas ſolum commemorem, poſſunt vitra tantæ ſpiſſitudinis, quanta hic requiritur, parari in officinis vitriariorum eo modo, qui operis illis familiaris eſt, dicique non poteſt, quanti ſit laboris, homines illos in viam ipſis nondum tritam deducere, adigereque ad rem, quam impoſſibilem judicant, inprimis ſi tentamine uno alteroque facto vitra magno labore parata diſrumpantur. Certe *triennium integrum* conflictatus ſum cum difficultatibus illis, quas non niſi pertinaci ſtudio ſumtibusque haud exiguis ſuperavi. Quod ſi vero vel maxime vitrum quinquaginta circiter libras grave confectum fuerit, quotus eſt quisque tanto qui robore polleat, ut manibus ſuis in patina illud verſare, & figuram pariter ac lævitatem debitam ipſi conciliare poſſit? Neceſſe ergo eſt, ut per machinas hæc omnia efficiantur, quas excogitare non cujusvis eſt, & licet vel maxime quis animo conceperit earum fabricam, non tamen eidem ſtatim vel aquæ fluentis copia vel locus commodus, & quæ requiruntur cætera ſuppetunt. Quæ quidem eum in finem commemorantur, ut adpareat, nemini mirum videri debere, vitra uſtoria, quæ magnitudine ac virtute cum noſtro paria facere poſſint, a nemine parata fuiſſe; licet procul omni dubio multi ſolertiſſimi viri, quorum ferax fuit hoc noſtrum ſeculum, eorundem fabricam mente agitarint.

Cæterum quanti momenti ſit res ipſa, naturalis ſcientiæ conſulti facile intelligent ex effectis jamjam dicendis, quibus nulla temporis accuratior determinatio adjecta eſt, cum omnia paucorum ſecundorum minutorum ſpatio producantur.

1. Simulatque *lignum* foco admovetur, qui a ſuperficie vitri trium ulnarum longitudine diſtat, ſtatim flamma concitatur, tametſi lignum *aqua* prius *madefactum* fuerit.

2. *Plumbum* atque *ſtannum* non contemnendæ craſſitiei confeſtim liqueſcunt.

3. *Lamina ferrea* ea in parte, qua ad focum admovetur, mox excandeſcit atque ſine mora liquefit. Id quod in *lamina* cuprea & orichalcea quoque obſervatur.

4. *La-*

4. *Lapis fiſſilis* (Schieferſtein) liquefactus in vitrum abit nigri coloris, quod in fila diduci poteſt.

5. *Vas argillaceum* aqua repletum, interim dum illa vehementer ebullit, colliqueſcit.

6 *Lateres cocti* excandefacti in vitrum flavum mutantur.

7. *Pumex* autem diaphanum vitrum ſuppeditat.

8. *Asbeſtus* foco admotus expectatione citius in nigricans vitrum convertitur.

9. *Plumbum liquefactum* in pellucidum *vitrum* tranſit.

10. *Stannum* vero primum in albiſſimum *pulverem*, deinde vero in *vitrum* commutatur.

11. *Aurum* liqueſcens in *vitrum* colore rubinos referens redigitur.


12. *Antimonium*, dum in clauſo vaſe comburitur, fumos emittit, qui collecti in ſubtiliſſimum albiſſimumque pulverem abeunt.

13. *Sub aqua* ulnam alta pix, reſina & ſulfur liquefiunt.

14. *Lignum* quoque ac *papyrus* concremantur *a radiis* ab hoc vitro verſus Solem *reflexis*, quod iis minime incredibile accidet, qui norunt, lentem quamvis numero indefinitos habere focos, quorum tres in noſtra ſatis ſunt conſpicui.

Quoniam ergo vitri hujus ope, quod unius hominis opera facile loco moveri, & ad uſum adhiberi poteſt, ignis excitatur, qui efficacia ſua omnes alios nobis notos antecellit, atque ita non ſolum in *aere libero*, ſed etiam in *vitris clauſis* & *vacuo artificiali* varia poſſunt inſtitui experimenta, & *pulveres* quoque, nec non *res variis fluidis circumdatæ* igni Solari potentiſſimo exponi; id quod ſi ſpeculis uſtoriis utaris, fieri nequit, quia conus uſtorius, qui in vitris deorſum tendit, in ſpeculis Solem verſus in aerem projicitur: nemo certe inficias iverit, hoc inſtrumento, quod *media etiam in hyeme* eadem vi pollet, quamplurima in ſcientiæ naturalis incrementum poſſe indagari, ſi incidat in hominem & pyrotechniæ peritum, & veritatis ſtudioſum. Quia vero ipſe temporis, quod ad experimenta illa ſumenda requiritur, penuria laboro, curabo, ut æquo ſibi poſſint talia vitra pretio comparare, qui curioſarum rerum ſtudio tenentur. Quorum in gratiam hic addam, qua ratione & *ſpeculorum & vitrorum uſtoriorum vires* incredibilem in modum *augeri* facile poſſint. Sit AB vitrum (ſpeculum) cauſticum, in quo refracti (reflexi) radii conum AFB conſtituant. Adplicetur ad co-

num luminoſum vitrum aliquod uſtorium ea in parte, quæ foco non eſt nimis vicina, ita ut extremi radii AF & BF peripheriam ejus CD



ſtringant: ita fiet, ut Solis imago F contrahatur in E. Quantam vero vim radii hoc modo collecti habeant, vel ex eo poteſt colligi, quod res, quæ in F poſitæ, cum Sol altitudine debita non gaudet, duntaxat incaleſcunt, in foco E ſtatim colliqueſcunt.

L' HERITIERE DE GUYENNE.

ſive

Hæres Aquitaniæ. i. e.

Hiſtoria Eleonoræ, filiæ Guilielmi ultimi Aquitaniæ Ducis, nuptæ primum Ludovico VII Galliæ, dein Henrico II Angliæ Regibus.

Roterodami, apud Regnerum Leers, 1691, in 8. Plag. 18.

ARtificium veteres hiſtorias reconcinnandi & ad genium ſeculi noſtri eleganti ſtylo accommodandi, Gallis quibusdam ab aliquot annis uſurpatum, imitatus etiam eſt libelli hujus Autor ejusdem nationis *De Larrey* (hoc enim nomen in dedicatoria ad *Illuſtriſſimum Ducem Schombergium* epiſtola profitetur,) ſed ut conjici poteſt, cum plurimis aliis ob religionem patria exulans. Cum vero aliis quibusdam, ut notum eſt, objici ſoleat, quod veritati hiſtoricæ minus ſtudeant, quam dulcedini fabularum heroicarum, quas *Romanas* vocant; fidem narratis aſſerere hic voluit adſcriptis margini ſcriptoribus, quorum autoritate nititur. Titulum hiſtoriæ ſuæ paulo anguſtiorem a ſe datum eſſe non negat

negat; majorem enim libelli partem in commemoratione aliarum rerum, quam quæ ad Reginam illam proprie pertinent, conſumſit. Inſtitutum tamen hoc ſuum nobilium ſcriptorum exemplo tuetur, qui Heroum ſuorum geſtis non pauca ex ejusdem temporis actis admiſcent. Hoc vero in Eleonoræ hiſtoria tanto excuſatius fieri videtur, quod illa disſidiis inter Reges Galliæ & Angliæ, ſecutisque inde motibus & bellis non minimas cauſas dedit. Orditur Autor filum narrationis, poſtquā ex præcedentium annorum hiſtoria, quæ ad notitiam ſuæ pertinere putavit, repetiiſſet, ab A. 1136. Hoc enim *Guilielmus IX* Aquitaniæ Dux, qui genus ex Caroli M. ſtirpe traxiſſe perhibetur, decesſit, cum prius ex duabus, quas habebat, filiabus, natu majorem *Eleonoram* teſtamento hæredem ſcripſiſſet, & *Ludovici* Crasſi Galliæ Regis filio *Ludovico* (qui *ſeptimus* ejus nominis numeratur) deſponſari curaſſet. Altera *Alix* ſive *Alexia* Comiti *Veromanduo*, ex Regio ſanguine in Gallia Principi nupſit. *Eleonora* XIV annorum puella ejus fuit pulchritudinis & elegantiæ, ut non ſolum mariti Regis amorem ſibi conciliaret, ſed & per aliquot annos retineret; licet converſis in eam aulæ Gallicæ oculis, ſuſpicionem liberioris vitæ vitare non poſſet, quam tamen Autor, meliora de ea ſperans, eluere conatur. Poſtquam vero Regem, ad bellum ſacrum in Aſiam pro illorum temporum more proficiſcentem, comitata eſſet, mira quadam & incredibili pene occaſione, & amoris maritalis, & exiſtimationis ſuæ non exiguam fecit jacturam. Captus erat a *Saladino*, Saracenorum in Palæſtina Duce, quidam ex cognatis Reginæ, cui Sanzæo nomen erat. Hunc illa literis ad Barbarum, clam Rege, ſcriptis liberavit: nec Ludovicus Rex indignationem disſimulavit. Sed Regina elatiori animo erat, quam ut eam ferre, aut uxoriis blandimentis tollere vellet; quin contemnere maritum, ut ſuperſtitioni deditum, & monaſtico rigori quam regio ſplendori aptiorem cœperat. Intervenit quidem conciliatio quædam, ſed recrudeſcente variis ex cauſis odio, accedente Pontificio & utriusq; conjugis conſenſu, matrimonium A. 1152 diſſolutum eſt, quamvis Regina duas ex Rege filias peperiſſet. Conſanguinitas prætexebatur, propter quam illis ſeculis facile divortiorum licentia impetrabatur, ſi gratia aut pecunia accederet. *Eleonoram* ſecretiores ſtimuli agitabant, amore *Henrici* Comitis Andegavenſis captam. Hunc ſoluto regio matrimonio maritum ſine mora elegit, & *Aquitaniam* in dotem ei attulit,

Digitized by Google

nimis bona fide, ut Autor judicat, a Galliæ Rege reſtitutam, cum eam Rex filiarum, quas ex Eleonora genuerat, nomine retinere potuiſſet, certe noſtro ſeculo vel levioribus etiam titulis utilitati regnorum ſtudeatur. Cum *Henrico*, qui poſt *Stephani Bleſenſis* adverſarii & competitoris ſui obitum, Angliæ regnum ſecundus ejus nominis acceperat, aliquandiu ſatis jucunde vixit Eleonora, & quinque filiorum, duarumque filiarum mater ex illo facta eſt. Verum ſenior marito & jam effœta illecebras continuare non potuit, quibus illum in fide amoris conjugalis retineret. Cum igitur ille vagis amoribus indulgeret, implacabili in maritum odio exarſit, & adultos jam communes filios in patrem concitavit, infelici quidem conatu. Nam & ipſa a marito in arctam cuſtodiam A. 1177 conjecta eſt, ex qua non niſi poſt annos duodecim a Richardo filio, qui poſt mortem primogeniti *Henrici* (tertium vocabant) & parentis, in regnum ſucceſſerat, liberata fuit. Rependit filio beneficium mater, cum is ex Aſiatico bello redux in manus *Leopoldi*, Auſtriæ Ducis, quem indigne tractaverat, incidiſſet, & *Henrico* VI Imperatori traditus in vinculis teneretur. *Eleonora* enim ingentem pecuniæ ſummam collegit, & obſides ex Angliæ Proceribus comparavit, quibus *Richardum* ex vinculis redemit. Poſt hujus mortem, filio ſuo ſuperſtiti, *Johanni* (quem *ſine terra* cognominant) contra Henrici III filium Artum, nepotem ſuum, cui ex jure primogenituræ potius in regnum jus competere videbatur, adhæſit haud bono ſucceſſu, quanquam *Johannes* iſtum in poteſtatem redegerit, &, ut fertur, clam ſuſtulerit; nam ipſe infelix admodum regnum habuit, & ampliſſimæ Eleonoræ provinciæ in Aquitania ad Galliæ Reges poſtea pervenerunt. Deceſſit illa octoginta amplius annos nata, in quibus ſedecim Gallicæ, quinquaginta Anglicæ Reginæ nomen & dignitatem tenuit, varia fortuna, quam tamen animi inquietudine & ambitione ſibimetipſi infenſam fecit. Hæc fere præcipua eſſe putavimus, quæ ex *Eleonoræ* hiſtoria breviter recenſerentur. Lectu tamen digniſſima ſunt multa alia, quæ per occaſionem libello huic, in tres partes diviſo, inſeruntur, de geſtis præſertim Regis Galliæ *Ludovici* VII, & Angliæ Regum *Henrici* II ac *Richardi* fortiſſimi Principis, & *Saladini* raræ itidem virtutis viri, quibus omnibus eleganter & copioſe commemoratis, monita haud inutilia cum judicio addit Autor. Inter alia ſub initium partis II ſummatim exponit vitam & exitum *Thomæ Becqueti*, celebris Archiepiſcopi

Digitized by Google

piſcopi *Cantuarienſis*, cujus memoriam adhuc colit Romana Eccleſia, abominari autem cœpit ſub Henrico VIII Anglicana. Cancellarius fuit Thomas Henrici II, ſed pro beneficio accepto cum ad Præſulatum eveheretur, malam illi retulit gratiam. Cum enim in Synodo Epiſcoporum & Procerum a Rege Oxoniæ convocata, decreta contra abuſus dominatus Pontificii cum reliquis juramento approbaſſet, mox tamen abſolvi ſe ab illo vinculo Romæ curavit, & Pontificum prætenſiones ſummo cum zelo tueri nixus, omnes qui placita Synodi exequebantur, excommunicare auſus eſt. Aufugit poſtea in Galliam, ſed reconciliatus cum Rege, & in patriam poſt ſex annos reverſus, priſtino rigori inſtitit, & tam acriter offendit Epiſcopos, ut illorum inſtinctu, a quatuor ex Nobilitate Normannica in templo ſuo trucidatus fuerit d. 29. Decembris A. 1170, jugulum quidem ultro præbens, & tantum rogans, ut cognatis amicisque ſuis parceretur. Fuerunt inter Doctores etiam Pariſienſes, qui jure cæſum eſſe judicabant; ſed Romæ tanti habitus eſt, ut poſt triennium ab Alexandro III inter Sanctos referretur. Henricus Rex jurejurando ſeſe a ſuſpicione cædis illius purgavit, quanquam voce, quæ illi exciderat, & qua de Thomæ injuriis ſibi illatis querebatur, Nobiles illos ad facinus incitatos fuiſſe non ambigeretur.

MELCHIORIS LEYDECKERI SYNOPSIS CONtroverſiarum de Fœdere & Teſtamento Dei, quæ hodie in Belgio moventur. Accedit Apologeticus, quo ad iniquas D. Johannis Wajeni Cenſuras modeſte reſpondetur: nec non Exercitatio Theologica de S. Scripturæ Autoritate ad conſcientiam adſtruenda.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Franciſci Halma, Academiæ Typographi, 1690. in 8. Plag. 24.

IN *Apologetico*, qui primam hujus opuſculi partem conſtituit, Clariſſimus *Leydeckerus* Viri itidem non incelebris *Johannis Wajeni* præfationem Synopſi Hierozoici præfixam ad cenſuram revocat, ac nominis ſui famam contra eundem vendicat. Hunc deinde excipit ipſa *Synopſis Controverſiarum de Fœdere & Teſtamento Dei hodie in Belgio motarum*, ac quinque libris abſolvitur. E quibus *primus* in decidendis quatuor

tuor controverſiis occupatur,ac in earum I.negat Autor,vocem διαθήκη ex uſu N. T. ac ſpeciatim Apoſtoli Pauli, præciſe ſignificare Teſtamentum, non vero συνθήκην fœdus. II. oſtendit, Teſtamentum Dei juxta Scripturas ſignificare ipſum fœdus gratiæ, non æternum Dei propoſitum, voluntatem & gratiæ conſilium. III. propugnat, Theologos hactenus recte docuiſſe, Vetus & Novum Teſtamentū revera unum eſſe quoad ſubſtantiam, & quibusdam tantum accidentibus differre. IV. demonſtrat,fœderis gratiæ ejusve œconomiæ non eſſe diſtinguenda tria tempora, 1. promisſionis a protevangelio usque ad Moſen; 2. Veteris Teſtamenti a Moſe ad plenitudinem temporis; 3. Novi Teſtamenti ab adventu Chriſti ad conſummationem ſeculorum. Liber *ſecundus* duarum controverſiarum enodationem inſtituit, & quidem I. evincit, ſponſionem Chriſti ſub Vetere Teſtamento non habuiſſe naturam fidejusſionis, ſed rationem expromisſionis, adeoque Chriſtum ſub Vetere Teſtamento conſiderandum fuiſſe ut expromiſſorem, non fidejuſſorem, etiam ſecundum definitionem fidejuſſoris apud Jureconſultos receptam. II. declarat,Deum ſub Vetere Teſtamento,admiſſo ſponſore, non reſervaſſe ſibi libertatem nihilominus exigendi ſolutionem ab electis fidelibus, ceu primariis debitoribus. Liber *Tertius* duas itidem controverſias ſub examen revocat, e quibus I. refutat docentes Vetus Teſtamentum nihil aliud fuiſſe, quam conſilium ſeu promisſionem Dei de danda typica hæreditate terræ Canaan, cujus periodus ſit incipienda a Moſe & legislatione in monte Sinai. II. autem defendit, Apoſtolum Paulum Gal. IV, 24. & ſqq. non agere de natura & origine Veteris & Novi Teſtamenti, nec per duas διαθήκας intelligere Vetus & Novum Teſtamentum, quorum illud ſit de danda hæreditate terræ Canaan, & incipiat demum a monte Sinai. Liber *Quartus* tres exhibet controverſias, inter quas I. impugnat ſententiam eorum, qui ſtatuunt ſacrificia a prima promisſione, facta in Paradiſo, fuiſſe liberæ uſurpationis, non imperata, & quidem usque ad Moſen, per quem propter μοσχοποιΐαν fuerint demum Eccleſiæ injuncta. II. improbat opinionem aſſerentium, legem ceremonialem poſt μοσχοποιΐαν datam eſſe in peccati exprobrationem ac quandam imputationem, nec non ad aggravandam atque obſignandam Patrum, ſub reatu, ira, & execratione, ſervitutem. III. falſitatis arguit aſſeverantes, Decalogum primitus in monte Sinai Iſraelitis eſſe latum in puram putam formulam

mulâ fœderis gratiæ. Liber *Quintus* in explicando ſtatu Patrum ſub Vetere Teſtamento verſatur, ac tredecim de eodẽ controverſias proponit. I. tuetur, ſtatũ Patrum ante Moſen a ſtatu Patrũ poſt Moſen non eſſe diſcriminandum, juxta D. Cocceji conceptum; adeo quidem, ut facta fuerit ingens ſtatus mutatio, ex libero in duriorem, imo duriſſimum, propter peccatum μοσχολατρείας. II. probat, clariſſimum Coccejum ſtatum Patrum ſub Vetere Teſtamento, adeoque & differentiam ſtatûs ſub Vetere & Novo Teſtamento minus recte explicuiſſe. III. IV. & V. negat, recte dici poſſe, Fideles Veteris Teſtamenti vixiſſe ſub reatu, ira & maledictione, in eoque manſiſſe usque ad mortem Chriſti expiatoriam & ſatisfactoriam, adeoque nec actualiter eos fuiſſe cum Deo reconciliatos. VI. docet, Patribus ſub Veteri Teſtamento adſcribendam eſſe quietem animæ ac tranquillam conſcientiam, cum libertate ac fiducia accedendi ad Deum. VII. inficiatur, Patres Veteris Teſtamenti detentos fuiſſe per omnem vitam in ſervili & miſerrimo metu mortis, maxime ex intuitu per eam amittendæ terræ Canaan typicæ hæreditatis. VIII. refellit opinantes, Patres Veteris Teſtamenti usque ad Chriſtum quodammodo & ex parte imperio diaboli obnoxios fuiſſe. IX & X. inculcat, Patres Veteris Teſtamenti nec Angelis, nec Principibus, Senioribus, Sacerdotibus, Prophetis, tanquam Dominis & Diis λεγομένοις ſubjectos fuiſſe. XI. exponit, Spiritum ſervitutis ad Vetus Teſtamentum, & Spiritum adoptionis ad Novum Teſtamentũ male reſtringi. XII. ſub examen revocat & rejicit opinionem, quæ Patribus Veteris Teſtamenti plenam ac proprie dictam remiſſionem obtigiſſe inficiatur. XIII. inquirit in ſenſum loci ad Hebr. XI, 39. 40. atque ex eo ſententiã Cocceji de ſtatu Patrũ ſub Vetere Teſtamento hautquaquam probari poſſe edocet. His quinque libris ſubjungitur tandem *Exercitatio de Sacræ Scripturæ Autoritate ad conſcientiam adſtruendâ*, in qua methodum recentiorum quorundam ſuæ fidei ſociorum, Scripturæ Sacræ autoritatem non aliunde quam ex ratione adſtrui poſſe propugnantium, a Reformatorum proceſſu, in demonſtranda Sacri Codicis divinitate hactenus obſervato, multum abire, ac variis periculis expoſitam eſſe, luculenter tradit, eandemque, in medium adductis aliquot argumentis, conciſe refellit.

CHRISTOPH. VVITTICHII INVESTIGATIO Epiſtolæ ad Hebræos, & POSITIONES ſive Aphoriſmi univerſam Theologiam adumbrantes.

Xxx Amſte-

Digitized by Google

Amſtelædami, apud Joan. Wolters, 1691, in 4. Plag. 60.

DIvinam hanc Pauli ad Hebræos epiſtolam *Wittichius*, dum in vivis erat, ita exponere ſtuduit, ut ſæpe quidem *Cocceji* ſui veſtigia ſolicite premat, nec raro tamen de ſuo etiam obſervationes haud pœnitendas adjiciat. Præſertim vero adminiculis profanæ eruditionis Græcæ utitur, ad emphaſin phraſeon Apoſtolicarum declarandam. Sic enim explicat v. g. Cap. I. v. 1. πολυμερῶς ex *Heſychio:*
pag. 11. πολυχεδῶς, δαψιλῶς, πολλὰ χρήματα ἔχων. Verſu 4. διαφορώτερον
26. ὄνομα, de prærogativa dignitatis, ex Xenophonte: ἀπὸ γὰρ τῆς μάχης τὸ τούτου ὄνομα μέγιστον ηὔξετο; & *Philoſtrato:* ὑφ' Ὁμήρου πολλοὶ καὶ τῶν μὴ πάνυ σπουδαίων εἰς ὄνομα ἤχθησαν. Pariter ut Latini apud *Virgilium* 11. Æneid: *Et nos aliquod nomenque decusque geſſimus:* & Catilina apud *Salluſtium: Fuimus vulgus ſine nomine.*
44. Verſu 10. Κατ' ἀρχὰς, pro ἐν, ex *Demoſthene:* κατὰ τὴν ἀγορὰν, *in foro:*
52. κατὰ τὴν νόσον, *in morbo*, ex *Thucydide.* Cap. II. v. 1. Παραῤῥυῶμεν, ex *Heſychio*, ἐξολισθῶμεν, *Suida*, παραπέσωμεν, *Chryſoſtomo*, μὴ ἐκπέσωμεν, *ne excidamus, prolabamur, præterlabamur vel præterfluamur*, cum Coccejo, qui refert ad aoriſtũ II. verbi paſſivi παραῤῥυεῖσθαι. Quod plenum tamen Grammaticæ aleæ Wittichio videtur, ſatiusque omnino in præſente activo explicari exemplo *Chryſoſtomi*, qui ſimul adducit locum *Proverb. III. 21.* Υἱὲ, μὴ παραῤῥυῇς, τήρησον δὲ
74. ἐμὴν βουλὴν καὶ ἔννοιαν, בני אל־ילזו מעיניך. Τελειῶσαι verſu 10. ex ſacris Ethnicorum atq; initiatis, qui μυεῖσθαι, τελεῖσθαι, τελίσκεσθαι, τελευοῦσθαι dicebantur. Ut fruſtra *Grotius* hoc idem eſſe, quod antecedens proxime εἰς δόξαν ἄγειν, contendat. Αγ-
89. γέλων ἐπιλαμβάνεσθαι verſu 16. ex Platone: μὴ ἐξέσθω τοιούτου κτήματος ἐπιλαβέσθαι &c. ubi notat idem quod *pro ſuo vindicare* ac *redimere.* Caſtellioni placet *opitulari*, Grotio *liberare a ſervitute manu injecta.* reſpondet Ebræorum אחז, חזק & תפש, propius
90. tamen, Wittichii calculo, verbo גאל. Ἐν ᾧ v. 18. pro ὅτι, ſubintelligendo χρόνῳ, ex Thucydide: τὸ γὰρ γένος τὸ τῶν Θρακῶν, ἐν ᾧ
95. ἂν θαρσήσῃ, φονικώτατόν ἐστι, *Thracum enim natio, ſi quando fiducia gliſcit, cædis avidiſſima eſt.* Cap. IV. 13. Τετραχηλισμένα ejus-
132. dem ſenſus ſignificationisque cum αὐερύειν, quod in ſacrificiis uſitatum juxta Homerum Iliad. ά. Αὖ ἔρυσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν, *retrotraxerunt quidem primum, & jugularunt, & excoriarunt*

riarunt. Γῆ ἡ πιοῦσα τὸν ὑετὸν, cap. VI. 7. ex *Anacreonte:* ἡ γῆ μέλαινα πίνει. Quemadmodum Ebræorum רוה, propric *inebriari*, de terra etiam uſurpatur. Θάνατον φέρεσθαι τοῦ διαθεμένου, pag. 161. 251.
cap. IX v. 16. *ferre mortem teſtatoris*, non *exſpectare*, ut Grotius arbitratur, ex Hebr. נשא Deuteron. XXIV, 15. Jer. XLIV, 23. ubi vox נפש conjungitur. Ἐκ δευτέρου verſu 28. *ſecundo;* ſic ἐκ τοῦ 263.
φανεροῦ *aperte*, ἐκ τοῦ δικαίου *juſte*. Cap. X. v. 15. Μαρτυρεῖ ἡμῖν 278.
καὶ τὸ πνεῦμα; h. e. *aſſentitur nobis*, ex Xenophonte: κἀγὼ δὲ μαρτυρῶ τούτοις, *ego vero his aſſentior.* Cap. XI. 1. πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, ſcil. *convictio*, ex Xenophonte: ἐλέγχεται γελοῖ- 309.
ος ὤν, *convincitur eſſe ridiculus* &c. Ἐτυμπανίσθησαν verſu 35. *de fuſtigatione, quando homines ſuſpendebantur, & tympanorum inſtar fu-* 353.
ſtibus cædebantur usque ad mortem, ex Heſychio πλήσσεται, δέρεται, ἰσχυρῶς τύπτεται, ex Suida ξύλῳ πλήσσεται, ἐκδέρεται καὶ κρεμᾶται.

Nec raro Criticus noſter de lectionis varietate disquirit. Aſſerit 72.
v. g. cap. II. 9. vulgatam lectionem χάριτι Θεοῦ contra Syriacam editionem Tremellii, codices quorundam orthodoxorum Patrum, Fulgentium, Vigilium, Ambroſium, & ipſum Neſtorium, qui legit χωρὶς Θεοῦ *ſine Deo*, collegitque inde hominem tantum, non Deum in crucem ſublatum mortuumque. Cap. X. 2. ἐπεὶ ἄν, *cæteroquin*, pro quo
alii, ἐπεὶ οὐκ ἄν, vel ἐπεὶ κ' ἄν, vel οὐκ ἄν. Verſu 11. καὶ πᾶς μὲν ἀρχ- 266.
ιερεὺς ex editione Genevenſi anni 1619, & MSto Grotii, quod ad ſco- 274.
pum Apoſtoli quadret magis, quam vulgatum illud in noſtris codicibus, καὶ πᾶς μὲν ἱερεύς. Sic v. 34 utrumque probat, καὶ γὰρ τοῖς δε- 300.
σμοῖς μου, & καὶ γὰρ τοῖς δεσμίοις, uti Beza ſcriptum teſtatur in duobus MSS. codicibus, lectumque a vetere Interprete Latino, Syro & Arabe.

De Cherubinis ad verſum 5 capitis IX breviter agit, ac deno-
minationem ab illo animali arceſſit, quod bovem facie retuliſſe, ſeu 234.
פני הכרוב habuiſſe, *Ezechielis I, 10.* dicitur, ut כרוב ſit idem (ſicut Coccejus jam ante ex Kimchio notavit) quod *bos arator*, derivatusque a כרב *arare*, ſecus atque aliis videtur, qui deducunt a רכב *equitare* per μετάθεσιν literarum ר & כ, & כרוב *ſellam* ſeu רכוב faciunt. Qua ratione alias Cherubini vocantur רכוב אלהים *currus Dei, Pſalm. LXVIII, 18.* Iis ſymbolice ait exprimi duplicis generis creaturas, Angelos nempe & homines, ubi impoſiti arcæ ſe

 mutuo

mutuo adſpexiſſe dicuntur, innuique Angelos cum hominibus in Chri-
pag. 235. ſto amico quaſi vinculo conſociari, & arcanis ſalutis noſtræ flagrantiſſi-
229. mo animo ſtudioque inhiare. Iſtiusmodi μυστικώτερα Auctor dili-
genter quandoque tangit exponitque, v. g. *cap. IX, 2.* τὴν λυχνίαν
ſeu candelabrum tabernaculi de cœleſti lumine, quod in cordibus no-
ſtris vel per Divinum verbum in hac vita, vel proxime a Deo in æter-
no illo futuroque tabernaculo accenditur. Τὴν τράπεζαν, καὶ τὴν
πρόθεσιν τῶν ἄρτων, *menſam & propoſitionem panum*, de Servatore,
230. qui panis vitæ eſt *Joh. VI.* & ſpiritualis cibus noſter, ejusque pretioſa
morte ac merito, quod panum illorum inſtar, qui coram Deo in
menſa poſiti perpetuo erant, ſempiternum manet, operaturque, ut per
231. ἐυαγγέλιον ac Sacramenta nobis velut in menſa ſubminiſtratur. Τὴν
κιβωτὸν τῆς διαθήκης περικεκαλυμμένην πάντοθεν χρυσίῳ, *arcam
Teſtamenti undique auro obductam*, v. 4. de Chriſto, in quo omnes divi-
næ ac humanæ ſapientiæ theſauri tecti ſunt atque reconditi, *Coloſſ.
II, 3.*

Neque minus in eam curam incumbit, ut diluat illa convellat-
que, quæ ab Apoſtolico ſenſu recedere videntur. Hinc depugnat ad-
verſus Socinianos, qui *capitis VII. v. 26.* de Chriſti felicitate præpoſte-
re explicant, quaſi his ipſis verbis, quibus ſumma abſolutiſſimaque
Pontificis Maximi integritas, ſinceritasque indicatur, nonniſi ſtatus
202. quidam beatus auſpicatusque ſignificetur, conanturque ex *verſu 7. ca-
pitis IX* evincere, omnia peccata, quæ *Levit. XVI, 16, 30, 34.* di-
cuntur *expiata die expiationis*, eſſe reſtringenda ad peccata infirmi-
237. tatis, quæ appellantur ἄγνοιαι, & ex *verſu 8.* piorum animas ante Chri-
ſti adventum ad cœleſtia æternaturaque gaudia non eſſe admiſſas. *Quo
239. perveniſſe quidem etiam Abrahamum, Iſaacum & Jacobum, & alios
viros eximios* Grotius hoc loco exiſtimat, *ſed quaſi per machinam,
non per viam, extraordinaria quadam ac rara Dei diſpenſatione.*
34. 35. Quem notat inde Wittichius, & paſſim refutat, v. g. cum dictum
Pſalm. XLV, quod *Capite I. v. 8.* de Chriſto adducitur, ὁ θρόνος σου,
ὁ Θεὸς, εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, de ipſo potius Deo Patre, tanquam
142. throno Filii, vel firmatore ipſius, & verba illa Capitis V. v. 6. σὺ ἱερεὺς
εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, de Sacerdote, cujus nullus
ſucceſſor, non vero de perfectiſſimo ejusdem munere æternumque du-
raturo interpretatur; quin imo ἀπολύτρωσιν illam τῶν ἐπὶ τῇ πρώ-
τῃ δια-

τῃ διαθήκῃ παραβάσεων de *redemtione, ſive liberatione a peccatis, quæ in populo Dei ante Chriſtum utplurimum valuerant*, intelligen- pag. 250.
dam opinatur; veteresque illos *Cap. XI, 40.* ideo dici ſine nobis minus conſummatos, *quia in vita æterna erunt noſtri acceſſio, & ſic iſtorum bonorum participes.* 358.
Quid quod alia varie atque ſubinde ex Coccejo contra Schlichtingium Autor diſputat; propugnatque contra Heinſium, vocabulum ἀγγέλων Cap. II, 2. proprie de Spiritibus illis a corpore liberis, non de nunciis Propheticisque divinis eſſe exponendum; 54.
iſtud item Pſalmi VIII. τὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον, &c. de Chriſto, capiendum eſſe, non de hominibus aliis, uti Heinſius male exiſtimaverat. Quamvis vero ſæpe ὑποθέσει 70. ſqq.
ſuæ nimium quantum ſerviat contra Arminianos ac Noſtrates diſputans, non tamen id obſtat, quo minus in bibliotheca exegetica bene ſtruenda locum huic Wittichii Commentario haud poſtremum tribuendum exiſtimemus.

HISTOIRE DE DOM JEAN DE PALAFOX &c. i. e.

Hiſtoria Iohannis de Palafox Epiſcopi Angelopolitani, & poſtea Oſmenſis, ejusque litium cum Jeſuitis.

Anno 1690, in 12. Plag. 24.

HISTOIRE DE LA PERSECUTION DE deux ſaints Evêques par les Jeſuites &c.

ſive,

Hiſtoria perſecutionum, quas Bernardinus de Cardenas Paraguayenſis in America Meridionali Epiſcopus, & Philippus Pardus, Archiepiſcopus Philippinarum, a Jeſuitis paſſi ſunt. Accedit Reſponſum ad Judicium de Tomo III Practicæ moralis, anno 1690 Coloniæ excuſum.

A. 1691, in 12. Plag. 26.

TOmum III. *Practica moralis*, qui D. *Antonio Arnaldo* tribuitur, in Actis noſtris A. 1690 p. 442. & ſqq. recenſuimus. Quod igitur in illo de edenda hiſtoria Præſulum in India a Jeſuitis male tractatorum promiſerat Autor, in voluminibus his, quæ quartum & quintum *Practicæ Moralis* tomum conſtituunt, nec incommode a nobis hic conjunguntur, præſtare aggreſſus eſt. Summa rerum ex *Tomo* illo *III.* & aliunde ſic ſatis nota eſt. Caſus autem tot atq; tantos varioſq; continent ſcripta, quæ in his compilationibus producuntur, ut compendioſam enarrationem difficillime admittant. Omiſſa itaque illa, indicem libellorum & documentorum, tum quæ integre in linguam Gallicam verſa exhibentur, tum quorum fragmenta aut excerpta ſolum producuntur, hic inſeremus.

In priori volumine de Epiſcopo Angelopolitano reperiuntur (1.) *Antonii Gonzalez de Roſende*, ex Ordine Clericorum Minorum, libellus de vita *Johannis de Palafox & Mendoza*, Hiſpanice A. 1666 cum inſignibus approbationibus editus. (2.) Initium vitæ ejusdem Epiſcopi, a Jeſuita quodam Gallice publicatum A. 1688. (3.) Ejusdem vita ab ipſo Palafoxio Hiſpanice ſcripta, titulo: *Vita interior cujusdam peccatoris pœnitentis.* (4.) Ejusdem *defenſio canonica* magno volumine A. 1652 edita & Regi Hiſpaniarum dedicata, ex qua memorabilia quædam documenta ſingulatim allegat Autor, puta, Proviſoris Epiſcopi mandatum ad Jeſuitas, ut approbationes ſuas exhibeant; epiſtolam Epiſcopi ad Regem d. 12. Sept. A. 1647. poſtquam ſeſe in montes recepiſſet, datam; Ejusdem literas ad *P. Radam*, cui Regis diplomata adjunxit d. 7. April. A. 1649; Reſponſum *Radæ* d. 14. April. A. 1649. quo cauſas adducit, propter quas mandato Regis non pareat; Replicam Epiſcopi d. 4. Maji A. 1649. (5.) Prima Epiſcopi ad Pontificem epiſtola d. 25. Maji A. 1647. data, in qua de injuriis a Jeſuitis ſibi illatis conqueſtus eſt. (6.) Alia prolixior ad eundem d. 8. Jan. A. 1649. quam a Jeſuitis perperam pro ſuppoſititia traduci notat Autor. (7.) Reſponſio ad memoriale Jeſuitarum Regi, ſub finem anni 1649. contra Epiſcopum exhibitum, & a Canonico quodam Angelopolitano, tunc Madriti præſente, publicatum. (8.) Memoriale P. Pedrazæ Jeſuitæ, Epiſcopo quidem Paraguayenſi oppoſitum, ſed in quo tria capita falſæ accuſationis contra Angelopolitanum contineri dicuntur. (9.) Reſponſum ad Memoriale Jeſuitarum, quod Epiſcopus

pus Angelopolitanus Regi tradidit, pro obtinenda executione *Brevis Apoſtolici* d. 14 Maji A. 1648 pro ſe expediti. (10.) Manuſcriptum, cui titulus eſt, *Angelopolitana*, productum in congregatione Cardinalium, & a *D. Johanne Magano* ſubſcriptum, in quo acta Epiſcopi narrantur & defenduntur. (11.) Breve Pontificis *Innocentii X.* d. 14 Maji A. 1648 ſupra n. 9. allegatum, & poſtea d. 19 Novembris A. 1652 & 27. Maji A. 1653 confirmatum. (12.) Scriptum Jeſuitarum Romæ A. 1653 compoſitum, titulo: *proceſſus & finis cauſæ Angelopolitanæ.* De hoc notat Autor, quod Tomo IV *Bullarii* Lugduni A. 1655 excuſi, a fol. 289 usque 300 inſertum, ſed in indice librorum prohibitorum A. 1683 juſſu Innocentii XI edito expunctum fuerit.

In volumine altero ejusque Tomo I. de Epiſcopo *Paraguayenſi* ſequentia Gallice verſa producuntur. (1.) *Memoriale*, ſive *Defenſorium Bernardini de Cardenas* Epiſcopi Paraguayenſis, & Monachorum Franciſcanorum illius diœceſis, ad Regem Hiſpaniarum, oppoſitum Memoriali *Juliani de Pedraza*, Procuratoris Jeſuitarum in India Generalis d. 26 Novembris A. 1652 ab *Johanne Villalono* Monacho Franciſcano. (2.) Ejusdem reſponſum ad primum memoriale a *Pedraza* contra Epiſcopum ſcriptum. (3.) Ejusdem refutatio poſterioris memorialis a *Pedraza* exhibiti. (4.) Diſſertatio de vita, meritis & laboribus Epiſcopi ex actis ab A. 1644, usque ad annum 1657, quo ex ſede ſua in montes & ſylvas ejectus eſt, & Barbaris Evangelium prædicavit. (5.) Diſſertatio apologetica de perſecutionibus & moleſtiis Epiſcopo a Jeſuitis inflictis, Alexandro VII Pontifici exhibenda, autore *Alfonſo Carillo*, Advocato curiæ Hiſpanicæ. (6.) Memoriale ex Hiſpania miſſum, quo continentur reſolutiones Alexandri VII & congregationis Cardinalium, itemque Regis Hiſpaniarum in cauſa Paraguayenſi.

Tomo ſequenti hujus voluminis producuntur, quæ ad hiſtoriam *Philippi Pardi*, Archiepiſcopi Philippinarum ſpectant. (1.) Reſponſum *Alfonſi Sandini*, Dominicani, Definitoris & Procuratoris Generalis provinciæ Philippinæ, ad curiam Regis Hiſpaniæ, quo relatio adverſariorum, pro defendendo Pardi exilio, refutatur. (2.) *Chriſtophori Padrochi* narratio de captivitate & exilio Archiepiſcopi, mandato hujus, cum ipſe a defenſione ſui impediretur, conſcripta. (3.)

Ejusdem

Digitized by Google

Ejusdem alia relatio de actis Archiepiſcopi, poſtquam in ſedem ſuam reſtitutus fuiſſet. (4.) Exemplum relationis authenticæ de actis Archiepiſcopi circa mercaturam Jeſuitarum. Adduntur in fine (5.) literæ *Gabrielis Curuzelaequi* Gubernatoris Philippinarum d. 15. Febr. A. 1686. ad Archiepiſcopum data, hujusque reſponſio d. 25. Febr. ejusdem anni. (6.) Excerpta ex ſcripto Maniliæ in Philippinis compoſito, & Romam ad *Congregationem de propaganda Fide* deſtinato.

Subjunctus eſt hiſtoriæ huic tractatus, ad illam quidem non pertinens, ſed quem Autor una cum iſthac hiſtoria melius conſervari poſſe putavit, quam ſi ſeorſim ederetur. Dicendum autem prius aliquid eſt de libello, cui tractatus hic opponitur, cujusque in rubrica mentionem fecimus. Habet is formam dialogi inter *Alcippum* & *Theodorum*. Ex illis prior magnis in ſpeciem laudibus ab ingenii acumine, excellentia ſtyli & inſigni moderatione D. Arnaldum extollit, & Jeſuitarum cauſam in *Tomo III. Pract. moral.* vehementer vulneratam eſſe diſſerit. Alter in contrariam prorſus ſententiam verba facit, & ex omnibus Arnaldi ſcriptis *Tomum* illum tertium peſſimum eſſe contendit. Speciatim reprehendit in eo prolixitatem & moram tædioſiſſimam in præliminaribus, inprimis autem temeritatem, imo ſtultitiam deliro ſene dignam, quod fidem haberi poſtulet libris & documentis adverſus Jeſuitas publicatis, licet authentica non producantur. Exprobrat ei, quod deſerta patria non potius in Indiam ad propagandam fidem & cognoſcenda Jeſuitarum acta profectus ſit, quam in Hollandia refugium quæſiverit, in qua hæreſin & confuſionem regnare terramque martyrum ſanguine reſperſam eſſe dicit. Addit alia non parum acerba, & reſponſiones copioſas ad narrata Tomi III (quæ in præſens intacta reliquit,) pollicetur. Huic Dialogo oppoſita eſt Appendix illa, de qua diximus, quæ eo præcipue tendit, ut oſtendatur, in controverſiis, quæ non coram tribunali judicis tractantur, ſed in ſcriptis ventilantur, ſufficere, ſi a viro probo exempla librorum & documentorum producantur, non exhibitis licet authenticis ſive autographis; ſtandum enim illis eſſe, donec falſi convincantur. Autor interim confidenter aſſerit, veriſſima & ſincera eſſe, quæ allegavit, & cum autographis convenire; hæc vero tutius in locis, ubi ſunt, donec a judicibus edi jubeantur, cuſtodiri, quam artibus adverſariorum exponi, quibus illi abolere, aut corrumpere, quæ ſibi nocere putent, noverint.

Digitized by Google

verint. Poſt alia, quæ illis hac occaſione objicit, ad rixam Arnaldi cum Jeſuitis de peccato philoſophico digreditur, & librum Platelæ Jeſuitæ Duaceni & theſes P. Pugeani ex collegio Claromontano Arvernorum allegat, ut adverſus Jeſuitas Antverpienſes, a quibus provocatus eſt, probet, quod omnino docuerint Jeſuitæ, peccata enormia pure philoſophica committi poſſe. Ad ea vero, quæ *Theodorus* ille *Arnaldo* exprobraverat, exiſtimationem hujus tuetur, cum ſit Doctor Theologiæ in celeberrima Pariſienſium Academia renunciatus, & pro orthodoxo & probo a Pontificibus & Cardinalibus adhuc agnitus, nullius vero nec falſi, nec læſæ charitatis, poſt quinquaginta annorum cum Jeſuitis contentiones, convictus. Objectam *Tomi III* prolixitatem defendit, quod generalia prius clare aſſerenda fuerint, antequam ad probationes particulares, ſequentibus Tomis inſtituendas, progreſſus fieret: obtentum tamen eſſe ſcopum exiſtimat, & argumenta illius, ex quibus quædam breviter repetit, intacta conſiſtere. Aculeis quibusdam pungit autorem *Judicii*, quem innuit *Buburſium* eſſe: ſenem eſſe Arnaldum fatetur, octoginta annorum, ſed cui vigor memoriæ, ingenii & judicii, qualem habuerit, integer ſuperſit: ſalvam illi eſſe fidem in Regem & patriam, ſalvam doctrinam Catholicam. In Indiam ut proficiſceretur, ex re ejus non fuiſſe, nec illo itinere opus eſſe ad noſcenda Jeſuitarum facta. Horum odio & violentia Gallia ejectum fuiſſe, nec vitio verti illi debere, quod in Batavia ſedem quæſiverit, quam Jeſuitæ frequentiſſime adeant, malintque ſoli, excluſo reliquo Clero, miſſionis illius emolumenta ad ſe trahere. Catholicos in Hollandia abſque participatione hæreſis aut confuſionis vivere poſſe, & eorum ad quingenta millia in ea reperiri, qui Deo majori zelo ſerviant, quam in provinciis, in quibus cultus Romanus publice vigeat: Clerum doctum & pium eſſe, populum bene inſtructum. Adjicit quædam de martyribus veteribus novisque, & inter hos de *Gorcumenſibus* & *Brielenſibus*, ac nominatim *Cornelio de Muis*. Acerbiora quædam, cum ad caput quæſtionis parum faciant, ſtudio prætermimus.

PLAINTE DE Mr. ARNAULD DOCTEUR de Sorbonne à Monſeigneur l' Eveſque d' Arras, &c. i. e.

Querela D. Antonii Arnaldi Theologi Sorbonici ad Dn. Epiſcopum Atrebatenſem de impoſtoribus, qui ultra annum ejus nomine falſas literas plurimas ad Theologos Duacenſes non paucos plenas mendacii & fraudum ſcripſerint.

Typis hoc ipſo anno, ſed non adſcripto loci nomine, excuſa, plagulis $3\frac{1}{2}$ in 4.

IMpoſtura, de qua queritur Autor, tam atrox eſt, ut propemodum, ob imitationis metum, periculoſum videri poſſit, eam liquide exponere. Quoniam tamen evulgata eſt, & cautelam aliquam notitia ejus afferre etiam prudentiſſimis poteſt, diſſimulandam omnino aut ſilentio prætereundam non putavimus. Tanto vero magis deteſtanda eſt fraus iſta, quod a viris literatis & ſacri ordinis commiſſa eſſe videatur. Anſam enim habuit ex diuturna illa & acri diſceptatione, quæ Arnaldo & ſociis cum ſectatoribus Molinæ intercedit. Qui illius fuerint architecti, Arnaldus affirmare non audet; ſuſpiciones tamen detegit, & inveſtigationem atque vindictam criminis ab Epiſcopo expectat. Antequam igitur innoteſcat, quid Epiſcopus præſtiterit, nemo præjudicio gravandus eſt. Summa querelæ, ut eam paucisſimis proponamus, hæc eſt: Cum in Academia Duacena ex Profesſoribus Philoſophiæ junior quidam, *Lignius*, orationem & ſententiam Jeſuitæ cujusdam in publica declamatione refutaſſet, & famoſas illas quinque propoſitiones (quas Janſenianas vocant) defendiſſet, mirum in modum adverſarios offendit. In hujus igitur perniciem literæ confictæ & ad illum aliosque Arnaldi nomine miſſæ eſſe dicuntur, quæ illos in fraudem induxerunt, ut Arnaldo illi perſonato reſpondentes, animi ſui ſenſa ſimpliciter & aperte indicarent. *Lignius* ipſe & libros & manuſcripta quædam ſecretiora impoſtori miſit, reculas ſuas vendidit, & ſtatione ſua deſerta in extremos Galliæ fines Carcaſſonam usque, Galliæ Narbonenſis urbem, ducentis a patria milliaribus diſſitam, profectus eſt, mendacibus promiſſis illectus, fore, ut a pio quodam Epiſcopo ſuſciperetur & optime haberetur. Sed miſere deluſum ſe eſſe cum damno & dedecore expertus eſt. Alius Duacenſium Arnaldo fictitio, quem pro patre ſpirituali elegerat, arcana conſcientiæ ſuæ in literis revelavit. Ut vero literæ hæ Duacenſium, in damnum eorum & fine

ſine ſuſpicione ſtellionis, qui eas ab incautis elicuerat, publicari poſſent, alio figmento ſuppoſitæ ſunt Arnaldi literæ, quibus vehementer lamentatur, literas illas ab infido & profugo famulo, ægrotanti ſibi ſurreptas eſſe; quanquam ipſe in hac Querela ſua affirmet, ſe neque ægrotaſſe, neque a multis annis famulum habuiſſe. Interim in fine libelli ad Epiſcopum ſignificat, epiſtolas illas Duacenſium a Rectore collegii Jeſuitarum illius loci aſſervari, & cupientibus oſtendi. Hæc de ludo hoc minime liberali & faceto ſufficiant; de quo fortaſſe tempus plura docebit, cum nec Arnaldus a proſecutione cauſæ ceſſaturus eſſe videatur, nec fortaſſis etiam Jeſuitis defutura ſint, quæ pro ſe allegent.

HISTORIA MULIERUM PHILOSOPHARUM, ſcriptore Ægidio Menagio.

Lugduni, apud Aniſſonios, 1690, in 12. Abſolvitur plagulis dimidiatis 22.

ETſi paucis philoſophandum eſſe Neoptolemus apud Ennium cenſeat, & multitudinem conſulto philoſophiam fugere Cicero exiſtimet, quod eam non niſi docti homines aſſequi poſſint; fœminas tamen ab ejus ſtudio non excluſas fuiſſe olim, nec id hodie averſari, in vulgus notum eſt. Ut miremur, unde Lactantius ſententiam iſtam hauſerit, qua Lib. III. Inſtit. divin. cap. 25. tradit, Veteres docuiſſe, nullas unquam mulieres philoſophatas eſſe præter unam ex omni memoria Themiſten. Plures ſtudio iſti fuiſſe deditas oſtendit Menagius, dum ad Diogenis Laërtii hiſtoriam Philoſophorum obſervationes olim in Anglia editas novis acceſſionibus locupletatas in Belgio nunc evulgat, haud alienum ab iſto inſtituto exiſtimans, in hoc libello fœminas recenſere, quæ in Græcorum veterum libris memorantur philoſophiæ ſtudio claræ. Itaque elenchum earum peculiari hoc commentariolo contexuit, eumque artibus & ſcientiis omnibus excultæ in Galliis fœminæ *Annæ Daceriæ* Tanaquilli Fabri filiæ dicavit. Neque eas tamen, quæ amœnitatum ſtudia excoluerunt, rhetoricen, poeticen, hiſtoriam, mythologiam & ſimilia, enumeravit, quarum plurimæ memorantur in ſcriptis veterum; ſed ſolas eas e priſcis hiſtoriis congeſſit, quæ ſeveriori diſciplinæ philoſo-

Digitized by Google

phiæ operam dederunt, & vel ejus ſtudio vel libris de ea ſcriptis inclaruerunt. Singularem de iis *Apollonii* Stoici librum olim extitiſſe, Photii teſtimonio *p. 4. & 79.* affirmat, ipſe vero in Scriptorum priſcorum, quos evolvit aſſiduus, libris ſexaginta quinque ſe reperiſſe indicat, easque hoc ordine recenſet, ut primo loco novendecim ſectæ non certæ addictas collocet. Inter has præ cæteris eminent, de quibus etiam prolixius diſſerit, *Aſpaſia* Periclis prius ſcortum, dein conjux *p. 9. Julia Domna* primum Severi Imp. poſtea Caracallæ privigni, vel ut alii rectius cenſent, filii, conjux *p. 19. Anthuſa* divinationis e nubibus inventrix *p. 26. Eudocia*, quæ prius *Athenais* fuit dicta, Theodoſio Jun. matrimonio juncta *p. 28. S. Catharina* Alexandrina virgo & martyr, Philoſophiæ profeſſorum Pariſienſium (æque ac Wittenbergenſium) patrona, *Æcaterine* etiam dicta; cujus hiſtoriam, quod nimium fabulis implicita eſſet, ex Breviario Pariſienſi juſſu Archiepiſcopi anno 1680 ejectam annotat *p. 46.* Dein certis alligatas ſectis philoſophas mulieres enumerat; Platonicæ quidem addictas ſeptem, quas inter celebris eſt *Hypatia* Theonis Mathematici Alexandrini filia, miſeris modis trucidata, *p. 56.* Dialecticis addictas quatuor Crononis filias *p. 63.* nominat. Cyrenaicam unam *Areten p. 64.* Megaricam unam *Nicareten p. 65.* Cynicam unam *Hipparchiam* uxorem Cratetis, cum quo publice congreſſa fuerit, verecundiæ nulla ratione habita, *p. 67.* Peripateticas duas *p. 70.* Epicureas tres *p. 75.* Stoicas quinque *p. 79.* recenſet. Pythagoricas plures extitiſſe, deque iis *Philochorum* peculiare volumen ſcripſiſſe *p. 4. & 81.* ex Suida refert. Inter quas *Theano* uxor Pythagoræ, quæ duos filios Telaugem & Damona ex eo ſuſcepit, cumque his marito defuncto ſcholam rexit; & *Myia* Milonis Crotoniatæ conjux, Pythagoræ filia; nec non *Timycha* Millyæ Crotoniatæ uxor, quæ ſtupendæ pertinaciæ exemplum edidit, linguam dentibus ſibi præmorſam in os Tyranni, cauſam ex ea ſcire cupidi, cur Pythagoræi mortem oppetere malint, quam fabas conculcare, exſpuens, memoria dignæ videntur.

Huic de philoſophantibus fœminis libello adjecit Autor Diſſertationem lingua Italica ſcriptam ſuper teſſaradecaſtichon (*ſonetto* vocant Itali) ſeptimum Franciſci Petrarchæ, cujus initium:

La gola, e 'l ſonno, e l' oziose piume.

Commendatur in eo ſtudium philoſophiæ, etſi vulgo contemni ſolitum. Deſinit autem in hos verſus: *Tanto*

Tanto ti prego più, celeſte ſpirto,
Non laſciar la magnanima tua impreſa.
id eſt, Eo magis te oro, anima cœleſtis,
Ne avertaris a magnanimo tuo propoſito.

Quæritur hic, cuinam inſcriptum fuerit hoc poemation? Si commentatores ea de re conſulas, vir aliquis intelligendus erit, isque aut *ignoti nominis*, juxta Antonium de Tempore, Caſtelvetrum, & Taſſonium; aut *Urſus* in Montis Peſſulani academia ſtudiis incumbens, juxta Franc. Philelphum; aut ſecundum Bernardinum Danielem & Vellutellum *Joannes Boccatius.* Sed a ſcopo aberrarunt hi omnes. Obſervat quippe Menagius, carmen hoc eſſe reſponſorium ad epiſtolam, eodem ligati ſermonis genere, iisdemque (quod potisſimum argumentum eſt) rhythmis terminatam, quam *Juſtina Levia,* Andreæ filia, *Perotta* Saxoferratenſis ad Petrarcham dederat, conſilium rogans, an in philoſophiæ ſtudio pergere, an ad fuſum & colum ſe relegari debeat pati? Fuit hæc (quod annotat Autor) agnata Nicolai Perotti, Epiſcopi Sipontini, qui *Cornucopiæ* congesſit, ac in eo Phædrum fabularum ſcriptorem inſigni plagio expilavit, obſervante Scriverio ad Martial. Lib. III. ep. 20. Hæc ubi memoraſſet Menagius, ſingula Petrarchæ verba notis illuſtrat, quibusdam grammaticis ſive criticis, quibusdam hiſtoricis. Sic prolixius agit de poetarum coronis *p. 30.* de paupertate poetarum *p. 46.* Paradoxe ſatis *p. 58.* ſtatuit, ſi unicus Poeta epicus ſit apud Græcos Homerus, apud Latinos Virgilius, apud Italos Torquatus Taſſus, (cui tamen Fulvius Teſti Ludovicum Arioſtum jungi voluit) eadem ratione dici poſſe, apud Luſitanos unicum eſſe Cammoeſium, at apud Hiſpanos Galloſque nullum. Catalogum fœminarum eruditarum texit *p. 59.* ex Italia, Gallia, Hiſpania, Germania & Belgio collectarum. De Germanis inquit p. 63: *Anno gl' iſteſſi; oltre ad Antonia Burignona Teologa; la Principeſſa Eliſabetta, ſorella dell' Elettor Palatino, Abbadeſſa d' Erfort; e Antonia de Vitemberg, ſorella d' Eberardo III Duca di Vitemberg: l' una e l' altra, non ſolo in ogni ſorte di bella letteratura eruditiſſime, ma anche intelligentiſſime delle lingue orientali.* Ad quem locum, pace doctisſimi Autoris, majoris lucis cauſa annotare quædam lubet, uti ſuevimus quandoque facere, ubi de noſtratibus exteri loquuntur. *Burignonia* ad Belgium potius quam Germaniam noſtram referenda erat, uti ex Actis anni 1686

 p. 12

Digitized by Google

p. 12. patebit, & *Elizabetha Palatina*, eruditarum virginum miraculo vix commode ſociatur, quippe eruditione iſti prorſus impar, in theologicis ſaltem meditationibus defixa. Elector porro, cujus ſoror hæc erat Herfordienſis Abbatiſſa, mortua d. 8. Febr. A. 1680, Carolus eſt Ludovicus Comes Pal. Rheni, ejusdem anni die 28. Aug. fato functus. Pro *Vitemberg* heic & in Indice legendum *Virtemberg*, id eſt, *Würtemberg*; ſimulque notandum, Antoniam iſtam ſororem habuiſſe natu minorem *Annam Joannam*, quæ ei perſimilis fuit in cœlibatu, in eruditione, in longævitate, in anno denique emortuali: nata quippe illa fuerat d. 24. Mart. 1613, hæc d. 13. Mart. 1619. denata illa Kal. Octobr. hæc d. 5. Mart. eodem A. 1679. Nec Germania noſtra adeo fœminarum eruditarum eſt ſterilis, quin plures, tum fato functæ tum adhuc ſuperſtites, ad miraculum usque doctæ & ſcientiis excultæ, nominari ab Autore potuiſſent: quarum ut juſtum catalogum texere inſtituti noſtri ratio non permittit, ita in tranſcurſu tamen non poſſumus non memorare *Henriettam Catharinam*, ex perilluſtri *Friſiorum* ſtemmate prognatam, & hoc tempore ſanctioris in aula Electorali Saxonica Conſilii Præſidi, Viro illuſtrisſimo *Dn. Nicolao Libero Baroni a Gersdorff* matrimonio junctam: cujus eximia eruditio vivæ omnium Muſarum ac Gratiarum imaginis laudem ipſi jampridem peperit, ejusque conſummata omnium artium & linguarum ſcientia omnisque generis doctrina, infucatæ pietati virtutibusque aliis juncta, ita per orbem dudum innotuit, ut famam ejus in Gallias ad Autorem penetraſſe omnino exiſtimemus. E Rappolti ſane, ſummi poetæ & theologi, *Miſcellaneis*, ſi non aliunde, id cognoſcere potuit, qui hunc in modum *p. 287.* eam, cum adhuc virgo teneræ ætatis eſſet, ſex & viginti abhinc annis allocutus eſt:

Ecce ſtupet, citharamque tibi ſubmittit Apollo,
Et cantu aſſurgit turba novena tuo.
Namque aliquis noſtras tractare ait acriter artes,
Et vatum aſſidua volvere ſcripta manu.
Poſtque Dei cultum, poſt cultum utriusque Parentis,
Ingenuis ſtudiis nil coluiſſe magis.
Quid loquar? Aonias te fama æquare puellas,
Et Latias nobis reddere velle nurus?
An generi miſcere tuo titulisque Camœnas,

Et

Digitized by Google

Et vetus abjectis conciliare decus?
Quales Heroum nec iniquo ſanguine ſponſas
Alta Croton Samia prætulit arte viris:
Maſcula vel qualis modulata eſt pectine Sappho
Clauſa ſuis numeris verba ſonante chely:
Vel Latiis cecinit Grajisque immortua chartis
Imperii occidui nupta Serena Duci.
Quicquid id eſt, raris te cernit dotibus orbis,
Poſteritasque viros inter adulta canet.

Nec minus apposite & vere de ea cecinit Morhofius in libello, quem *Venerum novarum* nomine inſignivit, *p. 16.* qui quod in paucorum manibus eſt, tot illuſtrium dotium Fœminæ abſolutiſſimæ teſtem, inde depromtam elegiam, nuptiis ipſius cum Illuſt. & Excell. Gersdorffio conſecratam, integram adſcribemus, dignam omnino ob argumenti & dictionis elegantiam, quæ hoc loco adeo opportuno & Menagianæ commentationi prorſus conveniente legatur:

FRISIA, magnorum proles miranda Parentum,
Secula cui, credo, nulla tulere parem.
Illa ſui generis Phœnix & amabile monſtrum,
Gentis honos, ſecli fama, pudorq; virûm.
Si mores videas, Charis hæc Germana vocari;
Si mentem, cerebro nata Minerva queat;
Si tibi pingendæ tot cum virtutibus artes,
(Fœmineo pingi ſcilicet ore ſolent)
Hoc poteris omnes, Pictor, comprendere vultu:
Ore Deas uno tresque novemque dabit.
Quicquid ſignat Eos, veteresque loquuntur Athenæ,
Illa legit, calamis hos imitata ſonos.
His mire fœcunda fluit facundia labris;
Seu fallat Latias æmula voce nurus;
Seu patrio attonitas effaſcinet ore Camœnas,
Totque ſuos populis dividat una ſonos.
Illa, quod æternis Pietas generoſaque Virtus
Inſcripſit tabulis, quod domus, aula ſapit;
Quod ſchola rixantes inter diſtracta cathedras
Extudit, omne domi docta Virago tenet.

Non

Non tacitos Natura ſinus tegit: illa volentem
Dædaleo vultus dedocet igne rudes.
Ætherea patuere domus, diviſaque regnis
Tellus, & fatis regna rotata ſuis.
Mira facit, juſta cum res explorat amuſſi:
Corpora cum numeris ponderibusque ligat:
Sidera cum ſpeculis rapit, & ſolerter ovantes
Temperat agglomerans ore manuque ſonos.
Nulla viris ars eſt, nulla eſt celebrata puellis,
Seu venit ingenio, ſeu pede, ſive manu:
Una viros junctis ſuperat, ſuperatque puellas
Artibus, & nulla ſe videt eſſe rudem.
Ut nulla ſit in arte rudis; tamen unica reſtat,
Qua non turpe uni ſuccubuiſſe Viro:
Nam, quod tantum uno poterat didiciſſe Magiſtro,
Ut tot poſt artes omnia ſciret, AMAT.

Claudat encomiorum exteris jure meritoque oſtentandorum farraginem iſtud, quo clariſſimus Leucoreæ olim Profeſſor *Joh. Ericus Oſtermannus* eam mactavit in carmine, præfixo Othonis Prætorii *Seceſſui Rothavienſi*, ubi hunc in modum de ea ſcribit:

Cujus politum mille ab artibus doctis
Et eruditum fertilis Liger pectus,
Et fluminum rex ipſe Mœnus, & flavum
Moſæ vadum, tum limpida Oderæ terga,
Et illa princeps omnium ipſa terrarum
Italia ſic volens veretur, ut ſecum
Mirata mites poſt ferociam longam
Septentriones, ſceptra ſponte ſubmittat
Germanicarum principi puellarum.

Sub finem catalogi ſui *p. 66.* Menagius meminit *Jacobi* Carmelitæ, qui grandi volumine nondum publici juris facto complexus ſit nomina ac opera mulierum doctarum: allegat aliquot ſuos Latinos Gallicosque verſus in Chriſtinæ Reg. Suec. laudem compoſitos, qui in Poematibus ejus pridem notis ac communi vatum calculo approbatis leguntur: itemque epigramma ſuum profert *p. 79.* in obitum *Pauli Scarronii* feſtivo ſcribendi genere non magis quam nephriticis dolo-

ribus

Digitized by Google

ribus clari, Maintenoniæ mariti, quod quia non lepidum modo, ſed & breve eſt, apponemus:

Deliciæ procerum, tota notiſſimus aula,
Venerat ad Stygias Scarro *facetus aquas.*
Solvuntur riſu mœſtiſſima turba ſilentum;
Heic Jocus & Luſus, heic lacrymant Veneres.

SYNAGOGA BIFRONS, SEU, DE SCRUTANdis collapſæ Synagogæ ruderibus diſſertatio academica, auctore Laurentio Odhelio Sueco.

Francofurti ad Mœnum, apud Joh. Davidem Zunnerum, 1691, in 4.
Conſtat plagul. 25.

CUm doctiſſimus Odhelius opera Rabbinorum aſſidua ac diligenti manu verſaſſet, tantopere in hoc ſtudio profecit, ut Talmudicum tractatum *Schebhuoth*, ſive de Juramentis, Maimonidisq; *Hilcoth Melachim umilchamothehem* i. e. tractatum de Regibus & bellis gerendis, Latine verſos notisque illuſtratos prælo paraverit, editurus, ſi per fata ei licuiſſet, hoc nimirum, quem agimus, anno vita functo. Unde dubii hæremus, an verſiones iſtæ lucem aſpecturæ ſint, quam (uti par eſt credere) æque merentur ac ineditæ ejusdem auctoris notæ in *verſionem Latinam* paraphraſeos Chaldaicæ *Jonathanis* Uzielidis, in Polyglottis Londinenſibus extantem. Se autem totum fere accepimus impendiſſe in Theologiam Judaicam ſyſtematice concinnandam. Merito quippe dubitabat, num omne tuliſſent punctum Hulſius, Hackſpanius, alii, qui eam in rem quædam commentati fuerant. Accedebat, quod de illa, quam in lectionibus publicis academicis exorſus erat *Carpzovius* noſter ſumme reverendus, unquam perficienda, actum & conclamatum eſſe videretur, poſtquam profeſſione Ebrææ linguæ ſe abdicarat, inter Theologiæ Profeſſores receptus. Nam ſi huic integrum eſſet, per immenſa, quibus diſtinetur, negotia, telam illam olim cœptam pertexere abſolvereque, neminem forſan de alio ſyſtemate condendo cogitaturum exiſtimamus. Ut igitur haberet orbis eruditus ſpecimen, unde conjectare poſſet, quid ſibi ex *Odhelii* lucubrationibus ſperandum foret, *Synagogam* hanc *bifrontem* oculis ejus ac cenſuræ modo laudatus Auctor voluit ſubjicere.

Si primam ejus *frontem* reſpicias, videbis ea explicari ex ſcriptis N. T. *Phariſaiſmum* ſive *ἀποστασίαν Synagogæ a veteri Patrum doctrina*, partim quoad *præcepta decalogi*, partim quoad *doctrinam de Deo & Chriſto*.

Dum de quarto præcepto Odhelius agit, illuſtat locum *Matth. XV, 5.* ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρί, δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, vertitque: *Si quis dixerit patri & matri: Donum eſt id, quo a me juvari poſſis*, ſubintelligens, *is voto ſuo tenetur, nec relaxari illud poteſt*; ſive, ut phraſibus Talmudicis hoc dictum eloquitur: האומר לאביו ולאמו קונס שאני נהנה לך אסור: Ac ejusmodi excuſationem, quantumvis omnibus humanitatis legibus adverſam, apud Judæos olim obtinuiſſe, ex codice *Nedarim*, cap. 9. Miſchna 1. colligit: Ibi enim legas: רבי אליעזר אומר פותחין לאדם בכבוד אביו ואמו׃ וחכמים אוסרים׃ אמר ר׳ צדוק עד שפותחין לו בכבוד אביו ואמו יפתחו לו בכבוד המקום אם כן אין נדרים׃ מודים חכמים לרבי אליעזר בדבר שבינו לבין אביו ואמו שפותחין לו בכבוד אביו ואמו: i. e. *Rabbi Elieſer dicit: Aperiunt homini* (portam ad revocandum votum) *ob honorem patris & matris ejus. SED SAPIENTES PROHIBENT. Dixit R. Zadok: Antequam aperiant illi ob honorem patris & matris ejus, aperient ei ob honorem Dei; Si ſic, non erunt vota. Confeſſi ſunt ſapientes R. Elieſeri, quod in re, quæ verſatur inter illum & patrem matremque ejus, aperiant illi ob honorem patris & matris ejus.* Quod ſi quæras, num ergo Talmudiſtæ approbent antiquum illum canonem a Chriſto damnatum, quæſtionem affirmat Odhelius, quia heic dicitur: *SED SAPIENTES PROHIBENT relaxari votum ob honorem*
pag. 16 *& commodum parentum.* Equidem (inquit Noſter,) Miſchnam citatam legenti patet, Sapientes a R. Elieſere convictos in ſententiam ejus pedibus iviſſe, atque hoc ipſo, quod prius decreverant, reprobaſſe. Verum nonnulla ſunt, quæ dubiam facere videntur hanc impiorum hominum emendationem. Primo, quod חכמים ° in primo loco, ubi a R. Elieſere diſſentiunt, circellum ° impoſitum habet, id quod ibi *Halacham* eſſe oſtendit, ut docet *Coccejus*, præf. *Sanhedrin*. Deinde, quod ipſi Rabbini tradunt, *non decerni ſecundum R. Elieſerem, quia rejectaneus factus ſit.* אין הלכה כרבי אליעזר משום דשמותי הויא, inquit *R. Joſua Levita* in הליכות עולם f. 88. edit. Ven. in folio. Tertio, quod ibidem f. 93. a. traditur,

tur, quotieſcunque ſub Miſchnæ initium legatur: אמר רבי פלוני *Dicit Rabbi N. N.* ſigillatim *R. Elieſer*, illic non eſſe *Halacham*, ſive ſententiam communem Doctorum Juris Ebræi. Quarto, quod etiam apud *Maimonidem* adhuc dum legitur canon, *vota cadere in res mandati*, de quo videndus vir celeberrimus ac hoc demum anno mortalitate ſolutus, *Eduardus Pocockius*, notis ad *Portam Moſis*, p. 415.

At miſſam facimus *primam* libri *partem*, cujus præſtantiam vel ex unico hoc ſpecimine intelliges. Uti vero argumentum illius erat *Synagoga inſana*; ita ſecundæ eſt *Synagoga ſana*, ſive uſus ſcriptorum Judaicorum in Chriſtianos redundans.

Inter cætera, quæ heic in vicem exordii præmittit Auctor, eminet cenſura *Kabbalæ Denudatæ*, quam multis nominibus laude dignam, nec raro tamen admodum periculoſis ac abſurdis opinionibus & interpretationibus refertam eſſe, luculenter probat. Statuit deinde, *reliquias veteris ſapientiæ Iſraeliticæ & ſanæ catecheſeos Patrum in libris Judæorum reperiri*. Hinc de præcipuis *dogmaticis* & *moralibus* Rabbinorum libris diſſerit, *Maimonidis* puta articulis tredecim, *R. Abrahami Bar Dior* ספר אמונה רבה, *R. Saadiæ* ס' האמונות והדעות &c. eligens tandẽ *R. Jaghelis* ספר לקח טוב ſive *Catechiſmum*, quem tum a *Joh. Benedicto Carpzovio*, tum a *Ludovico Compiegne de Veil* in Latinam linguam traductum, ſuperiori anno p. 586. commemoravimus. *Veilianam* verſionem Odhelius nunquam vidit, *Carpzovianam* non niſi poſtquam ſuam abſolviſſet. Contulit poſtmodum hanc cum illa, & ubi ſibi a clariſſimo Philologo diſcedendum eſſet, modeſte innuit. Singulis Paragraphis libri Hebræo-Latini ſubjicit annotationes philologicas, uſum illorum *polemicum*, adverſus Chriſtianos heterodoxos, *exegeticum* ac *moralem* pro re nata monſtrantes. Multa heic egregia, ſed quorum catalogum texere ſuperſedemus, cum utrique operis parti præmittantur ſatis prolixa ac parvo temporis intervallo perlegenda *ſummaria*. Attamen ne ſpecimen ex ſecunda Parte depromtum deſideres, auctoris dicta de controverſia circa diviſionem decalogi in compendium redigemus. Judæos obſervat unicuique duarum tabularum *quinque* præciſe præcepta ſive *verba* attribuere, eaque propter præceptum *de honorandis parentibus* ad tabulam primam referre, ad quam forſan hypotheſin reſpexerit Apoſtolus, *Rom. XIII, 9.* Ventilat poſtmodum ex profeſſo duas quæſtiones: *Num ſcilicet ante Auguſtini tempora*

§. 1.

pag. 131.

pora Judæi omnes eandem decalogi diviſionem ſtatuerint, ac Reformati? Et: *num hodie æqualis in Judæorum & Reformatorum ſcholis decalogi diviſio doceatur?* Ad *poſteriorem* monet, communem hodiernæ Synagogæ ſententiam hauriri poſſe ex *R. Raphaelis* ס׳ מרפא לנפש cap. 37. ubi *primum* verbũ eſſe traditur: *Ego Dominus Deus tuus; (2.) Non erunt tibi Dii alii coram me;* una cum appendice: *Non facies tibi ſculptile.* (3.) *Non ſumes, &c.* (4.) *Memento Sabbati:* (5.) *Honora patrem* &c. Hactenus pertingere *tabulam primam.* In *tabula altera* extitiſſe (1.) *Ne occidas;* (2.) *Ne fureris;* (3.) *Ne facies adulterium.* (4.) *Ne reſpondeas teſtimonium falſum.* (5.) *Ne concupiſcas.* Tantundem haberi apud *R. Judam* לוי & *R. Joſephum Albo.* Sic igitur diſſentiunt Judæi a noſtratibus æque ac Reformatis, dum quam præfationem hi vocant, primum præceptum conſtituunt. Diſcedunt etiam a Noſtratibus, quod præceptum *de non habendis Diis alienis* ſecundo loco numerant, & quod unicum tantum *de non concupiſcendo* effatum agnoſcunt. A Reformatis, quod præceptum *de imaginibus* non pro *verbo generali,* ſed pro *appendice* tantum verbi *de non habendis Diis alienis* venditant. Sed duplex heic difficultas animadvertitur. Primo enim plurimi Judæorum reprehenderunt *Maimonidem,* quod effatum: *Ego Dominus Deus tuus,* pro præcepto habuerit. Si autem non eſt præceptum, non pertinet ad decalogum. Secundo Judæi, quando 613 præcepta enumerant, 13 aut 14 ex ſolo decalogo exſculpunt. Ergo omnia apud eos incerta eſſe videntur. Reſpondet Odhelius: Synagogam communiter approbare *Maimonidis* opinionem; hinc in præceptorum catalogo vulgo recepto *vigeſimum primum* eſſe: לידע שיש שם מצוי בעולם שנא׳ אנכי ה׳ אלהיך *ſciendum, Deum in mundo exiſtere, juxta dictum: Ego Dominus Deus tuus.* Dein diſtinguunt Judæi inter דברים & מצות, ſive *verba* vel effata, & *præcepta;* decalogumque ſtatuunt continere quidem עשרת דברים *decem verba,* quia decem vicibus inter loquendum reſpiravit quaſi, ſive loqui ceſſavit Legislator, non *decem,* (ſed *tredecim* aut *quatuordecim*) *præcepta.* Id quod autoritate *R. Iſaaci ben Arama* & *Abarbanelis* probatum ivit Odhelius. Ad *quæſtionem priorem* reſponſurus Odhelius ſtylum vibrat in doctiſſimum *Buxtorfium* Patrem, quod in Grammatica Chaldaica, *Jonathanem* Targumiſtam eandem, quam Reformati in uſu habent, decalogi partitionem ſuo calculo

Digitized by Google

calculo approbaſſe, confidenter, ſed ut Noſter oſtendit, invita veritate, aſſeruit. Jonathane rite explicato, provocat ad teſtimonia libri *Mechilta*, quem *R. Iſmael* ſæculo a nato Chriſto ſecundo compoſuiſſe fertur, quemque allegat *R. Simeon* Haddarſchan in *Jalkut* P. I. f. 82. col. 4. itemque ad locum libri *Vajikra Rabba*, (qui eodem fere tempore, quo *Mechilta*, conſcriptus cenſetur) f. 157. edit. Wilhermsdorfienſis. Utrobique decem verba eadem omnino ratione diſponuntur, qua id apud *R. Raphaelem* fieri, pag. præcedente diximus. Nec aliter fieri potuit, ob hypotheſin vetuſtiſſimam, quod τὰ *Ego Dominus Deus tuus* verbum unum ac primum per ſe conſtituant, quod Abeneſra aſſerit ad *Deut. V, 16.* his verbis: דע כי דעת כל הקדמונים כי הדבור הראשון הוא אנכי: Mox ad privatam Fl. Joſephi opinionem non exigendam monet communem Synagogæ ſententiam; *Philonem* vero recte explicatum cum hac potius amice conſpirare, quam, ut quidam putarunt, abs ea diſſidere. Neque tandem, quid ſibi videatur, diſſimulandum judicavit Odhelius. Judaicam igitur partitionem antiquiſſimam ipſemet eſſe ſtatuit, præſertim cum *Irenæo* quoque l. 2. c. 42. *Athanaſio*, *Hieronymo*, & *Heſychio* placuerit, nec argumenta *Pauli Burgenſis*, quibus illam creditur abſurditatis convicisſe, magni ſint ponderis. Urſerat hic primario, quod ad naturam *præcepti* requiratur, ut aliquid proponatur non tantum *enunciative* aut *aſſertive*, ſed vel *mandative*, vel *prohibitive*; concluſeratque inde, quod τὸ *Ego Dominus Deus tuus*, præceptum primum abſolvi, incongruum ſit. Regerit Odhelius, verbis illis decalogum incipiendum fore, etſi præceptum eſſe neges, cum *decalogus* non *decem præcepta*, ſed *decem* tantum *effata* vi nominis ſui indicet; Judæos etiam diſtinguere inter המצות המעשיות *præcepta practica* & מצות האמוניות *præceptum credibile* ſeu *fidei*. In verba E. D. D. T. (quibus *præcipiatur* credere Dei exiſtentiam majeſtatemque) quadrare nomen *poſterius*, in reliqua decalogi *prius*. Inſtantiam profert ex dicto Deut. VI, 4. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Deus unus eſt.* Concipi ait illud aſſertive, & tamen eſſe *præceptum*, quo nomine appelletur *ibid.* v. 6. & *Marc XII, 29.* Expendere jubet, annon paraphraſis verborum, *Exod. XX, 2* reperiatur *Deut. VI, 12.* & hoc ſuppoſito, anne loco priori præcepti nomen concedere æquum ſit. Argumentatus erat ſecundo loco *Paulus Burgenſis*: Iſraelitas jam ante

Digitized by Google

promulgationem decalogi credidiſſe in Deum, *Exod. IV, 31.* & *XIV, 31*; imo jugum obedientiæ divinæ in ſe recepiſſe, *Exod. XIX, 8.* itaque non opus fuiſſe præcepto expreſſo, quo ad exiſtentiam Dei credendam & obedientiam legi præſtandam obligarentur. Sed nec huic Achilli cedendum autumavit *Odhelius*; quin triplicem pro una inſtantiam in promptu habuit. Nimirum Iſraelitas agnoviſſe, Deum eſſe totius terræ dominum, *Exod. XIX, 5.* adeoque non potuiſſe ignorare, quod alius Deus extra eum nec detur, nec coli debeat; At hoc non obſtante, in decalogo cultum alienorum Deorum prohiberi. Porro nec oblitos fuiſſe, vi & ope brachii divini ex Ægypto ſe eductos eſſe; Et tamen id quoque iis denuo inculcari. Poſtremo probandum incumbere *Burgenſi*, Iſraelitis in *Mara*, ubi Deus חוק ומשפט *ſtatutum & judicium* poſuiſſe legitur *Exod. XV, 25.* nullum præceptum iis, quæ decalogus continet, ſimile datum fuiſſe. Nam ſi ibidem non ſolum ſeptem Noachidarum præcepta repetita, ſed & alia, de ſabbato, judiciis & parentum honore, adjecta, (quæ Ebræorum traditio eſt) tunc conſequi, juxta Burgenſis ratiocinium, quod totus decalogus ſupervacaneus fuerit.

Sub finem digreſſionis, Auctor in *M. F. Wendelinum* acriter invehitur. Aſſeveraverat is, *effati divini* de concupiſcentia *dichotomiam ab eccleſia Judaica non eſſe agnitam, ſed a ſolis idolorum patronis ex radicibus* חמד *&* אוה *eſſe deprehenſam.* Illam quippe dici ſtatuerant *Theologi Jenenſes* de primo concupiſcentiæ motu, qui in *corde* eſt, hanc de appetitu, qui in *actum* deducitur & cum rei expetitæ adeptione eſt conjunctus. Demonſtrare viciſſim anniſus eſt *Odhelius*, tum quod celebriores Rabbini, & in his *Maimonides Gerſonides*que eandem differentiam ac emphaſin vocum חמד & אוה docuerint; tum quod veteres interpretes, (quos nemo idolorum aut Papiſmi fautores nuncupaverit,) quosque commemorant Abeneſra ac Abarbanel, ſententiæ Lutheranorum præluſerint; tum denique quod ex recentioribus Judæis ſint, qui plane cum Noſtratibus in hoc argumento conveniant, præcipue *Abeneſra*, comm. ad *Deut. V, 16.* Sed nolumus huic argumento diutius immorari, vel eo nomine, quod de illo in decima Supplementorum ſectione, ex clariſſimi *Othonis* diatribis, fuſior nobis diſſertatio inſtituenda ſit.

R. P. LII-

Digitized by Google

R. P. LUDOVICI NOGUEIRA, LUSITANI, Soc. Jeſu Theologi, Expoſitio Bullæ Cruciatæ Luſitaniæ conceſſæ.

Coloniæ Agrippinæ, ſumptibus Fratrum Hugetan. 1691, in fol.
Conſtat Alphab. 6. & plag. 12.

Opus hoc jam ante annos aliquot Ulyſſipone editum fuiſſe, ex præmiſſis cenſuris & approbationibus, quibus Auctor unus ex majoribus Societatis Jeſu Heroibus prædicatur, Ulyſſipone A. 1685 conſignatis colligere licet. Quia autem hoc anno recuſum eſt, mentio ejus aliqua vel ideo facienda fuit, quod ſciamus, in Romanæ etiam Eccleſiæ Prælatorum atque Sacerdotum, quibus conſultum maxime Auctor voluit, manus Acta hæc noſtra quandoque incidere.

Bullas Cruciatas primi e Pontificibus Romanis Urbanus II & Innocentius III publicarunt, quibus nimirum iis omnibus, qui pro recuperanda Terra Sancta contra Saracenos militatum ibant, & rubea *cruce* ſignabantur, indulgentiæ, gratiæ aliaque privilegia concedebantur. Tametſi vero iſtæ in Palæſtinam expeditiones dudum deſierunt, Cruciatæ tamen id genus Bullæ hodienum Hiſpaniæ inprimis atque Luſitaniæ Regnis, quæ in ora maritima Africæ fortalitia quædam poſſident, & adverſus Chriſtiani nominis hoſtes militari præſidio tuentur, concedi a Romanis Pontificibus conſueverunt. Cum enim munimentis illis, per quæ ſola Muhammedani Africæ incolæ a tentandis majorum ſuorum exemplo in Hiſpaniam irruptionibus prohiberi videntur, cuſtodiendis ſervandisque ſumptus impendendi ſint haud exigui, quibus ferendis non ſemper paria ſunt æraria regia; invitandi per Bullas tales promiſſis ſpiritualibus gratiis fuere, qui liberalem in hos uſus eleemoſynam conferrent. Ex his eam, quæ Luſitaniæ a Gregorio XIV A. 1591 conceſſa, & a ſucceſſoribus, Clemente VIII & Paulo V, amplificata fuit, & hodieque reperi & ut plurimum a ſexennio in ſexennium prorogari a Pontificibus ſolet (qua iis omnibus, qui ad præſidiorū illorum, adverſus Muhammedanos in Luſitanis Africæ arcibus excubantium ſuſtentationem, eleemoſynam a Commiſſario pro cujusque opibus definiendam contulerint, pleniſſima omnium peccatorum ſuorum indulgentia & remiſſio; precum item, eleemoſynarum, peregrinationum cæterorumque bonorum operum, quæ in militante Eccleſia univerſali & ſingulis ejus membris fiunt, participatio; nec non privilegia & gratiæ aliæ, inprimis tempore interdicti,

&

& circa oratoria privata, eſumque carnium, ovorum & lacticiniorum in diebus vetitis, conceduntur) Auctor noſter ampliſſimo commentario illuſtrandam ſuſcepit. In quo 26 diſputationibus, in ſuas iterum ſectiones diviſis, ſingulas fere Bullæ iſtius voces accurate explicavit, eamque ſollicite cum Bulla Hiſpanica compoſuit, & quicquid ex Canonico & Pontificio jure eam in rem congeri poterat, ſtudioſe congeſſit. Quæ omnia ut præcipue Confeſſariorum & Parochorum Romanæ Eccleſiæ uſibus inſerviunt: ita quæ paſſim ex illius Eccleſiæ diſciplina de indulgentiis, interdicto & cenſuris eccleſiaſticis, abſolutione a cenſuris, de peccatis ſummo Pontifici aut Epiſcopis reſervatis, de votis eorumque commutatione, de ſuffragio & indulgentiis pro defunctis, de beneficiis eccleſiaſticis, de ſacerdotum & confeſſariorum munere, ejusque generis aliis paſſim prolixe diſceptantur, a noſtratibus etiam perluſtrari merentur.

LIBRI NOVI.

Tabellæ ſelectæ & explicatæ a Carola Patina, Pariſina, Academica. Patavii, 1691, in fol.

Cours entier de la Philoſophie ſelon les Principes de M. Deſcartes, par Pierre Silvain Regis. A Amſterdam, 1691. in 4.

Dictionaire Mathematique, ou Idée generale des Mathematiques, par M. Ozanam. A Amſterdam, 1691. in 4.

Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Eccleſiaſtiques par Mr. L. Ellies du Pin. Tome cinquieme. A Mons, 1691. in 4.

Diſcours Politiques de Machiavel ſur la I. Decade de Tite Live. Traduction nouvelle. A Amſterdam, 1691. in 12.

Reflexions Morales de l'Empereur Marc Antonin, avec des Remarques de Mr. & de Mad. Dacier. A Utrecht, 1691. in 12.

Les Oeuvres d'Horace, traduites en François, avec des notes & des remarques critiques, par Mr. Dacier. A Paris, 1691. in 12.

Defenſe de l'Hiſtoire des Variations, contre la Réponſe de Mr. Baſnage, par Meſſire Jaques Benigne Boſſuet, Evesque de Meaux. A Paris, 1691. in 12.

Nouveau Voyage d'Italie. A La Haye, 1691. in 12.

Suite de l'Innocence opprimée dans les Filles de l'Enfance. A Toulouſe, 1691. in 12.

Hiſtoire d'Olivier Cromwel. 1691. in 12.

Abregé de l'Hiſtoire des Vandois par P. Boyer. A La Haye, 1691. in 12.

Hiſtoire des Albigeois & des Vaudois ou Barbets par le R. P. Benoiſt. A Paris 1691. 12

Difficultez propoſées à Mr. Steyaert Docteur & Profeſſeur en Theologie de la Faculté de Louvain. A Cologne, 169 . in 12. Parties VI.

Lettre d'un Abbé à un Prelat de la Cour de Rome, ſur le Decret de l'Inquiſition du 7 Dec. 1690 contre 31 propoſitions. 1691. in 12.

G. Vander Muelen in Hiſtoriam Pomponii de Origine Juris Exercitationes. Trajecti ad Rhenum, 1691. in 8.

Digitized by Google

N. XII. 549

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris, Anno M DC XCI.

TABELLÆ SELECTÆ AC EXPLICATÆ A Carola Catharina Patina, Pariſina, Academica.

Patavii, ex typographia Seminarii, 1691. fol. Conſtat foliis impreſſis 52, figuris æneis 42.

PIngendi artem, toti humano generi gratam maxime ac amabilem, nec non neceſſariam ſubinde ac utilem eſſe, apud omnes in confeſſo eſt: cuncta quippe ſeu artis ſeu naturæ opera oculis objicit, quantumvis longe ſint remota; hiſtoriam illuſtrat ſervatque ad poſteritatem; ritus exponit veteres; aliaque reddit clara quæ oratione exponi nequeunt; memoriam quoque juvat; format mores; corpus & animum vehementer movet; ornat omnia facitque conſpectiora; delectationem affert; nominis denique dat immortalitatem. Eximiam hanc artem antiquiſſimis temporibus, in ipſo ejus primordio, admodum rudem & imperfectam extitiſſe, nec aliud fuiſſe primam picturam, quam *umbram hominis circumductam lineis*, e Plinio cognoſcimus, qui Lib. XXXV Hiſtoriæ naturalis cap. 3 & ſeqq. multa de artis hujus origine, præſtantia & cultoribus tradit. Quintilianus *lineas extremas umbræ, quam corpora in Sole feciſſent, circumſcriptas*, indeque pingendi artem exortam fuiſſe, Lib. X Inſt. orat. cap. 2. affirmat, & Ælianus Lib. X Var. Hiſt. cap. 10. primos illos artifices adeo rudi atque impolito penicillo animalia expresſiſſe refert, ut neceſſe habuerint informibus figuris adſcribere: *hoc eſt bos, illud equus, iſtud arbor*. Securis autem temporibus præſtantium artificum cura (quales memorantur e Græcis Pamphilus, Apelles, Melanthius, Polygnotus, Timagoras, Apollodorus, Zeuxis, Timanthes, Eupompus,

Parrhaſius, Euphranor, Ariſtides, Protogenes, Nicias, Antimachus, Aſclepiodorus, Antiphilus, Theon & alii) ad tantam dignitatem ars hæc evecta eſt, ut inſano pretio tabulæ eorum venditæ fuerint. Ita Mnaſon, Eleatenſium tyrannus, prælii Perſici imaginem ab Ariſtide confectam, in qua centum homines exhibebantur, quemvis eorum decem minis, adeoque integram tabulam mille minis, id eſt, Philippeorum decem millibus emiſſe fertur: & Apellis picturam, quæ Alexandrum M. fulmen tenentem in templo Dianæ Epheſiæ referebat, viginti talentis auri, quæ faciunt Philippeorum millia duodecim, fuiſſe redemtam: pro Niciæ quadam tabula Attalum ſexaginta talenta, ſive triginta ſex millia Philippeorum obtuliſſe: Timomachi Ajacem & Medeam talentis octoginta, ſive quadraginta octo millibus Philippeis venditam: Ariſtidis tabulam ab Attalo talentis centum, id eſt, Philippeorum ſexaginta millibus emtam: eandemque ſummam Romanos pro Apellis Venere Anadyomene, tributi nomine ſibi debitam, Cois remiſiſſe: Bularchi pictoris tabulam, in qua erat Magnetum prælium expreſſum, a Candaule rege Lydorum repenſam auro, id eſt, ut Schefferus in Graphice p. 35. explicat, magnitudinem ejus æquatam nummis aureis, ac tot nummos datos, quibus tota contegi poſſet tabula: Apellis, Echionis, Melanthii, Nicomachi tabulas ſingulas *oppidorum opibus* veniſſe, e Plinio diſcimus. Collapſam tamen eſſe hanc artis excellentiam, ipſosque artifices defeciſſe, cum luxui deditæ gentes iſtam aſpernarentur, notat Petronius, *inter pulcherrimas artes picturam ne minimum quidem ſui veſtigium reliquiſſe* queſtus. Verum ſuperiori ſeculo renatam pingendi hanc artem dicere poſſumus, exortis tot eximiis artificibus, Michaele Angelo Bonarotto, Raphaele Urbinate, Alb. Durero, Titiano Vecellio Cadorino, & nonnullis aliis, qui veteres longo poſt ſe intervallo reliquiſſe exiſtimandi ſunt. Extat de iis inſignis liber *Georgii Vaſari* Pictoris Aretini, Italica lingua ſcriptus & Boloniæ 1681 excuſus, in quo artis pictoriæ, ſculptoriæ & ſtatuariæ præſtantiſſimi magiſtri, qui ſuperiori ævo floruerunt, recenſentur, eorumque vitæ & præcipua opera enarrantur.

Ab his artificibus profectorum excellentium operum, in Italia, præſertim Patavii, extantium notitiam ut exteri adipiſcerentur, eruditosque oculos (quos Cicero vocat, in tabulas hujusmodi cum ratione defixos) iis paſcerent, & artis præſtantiam recte intelligerent; celeber-

Digitized by Google

leberrimi Antiquarii & Medici Patavini *Caroli Patini* omnibus artibus egregiis exculta filia, formæ & eruditionis laude præſtantisſima virgo, *Carola Catharina*, Academicis Patavinis ob doctrinæ raram in hoc ſexu excellentiam adſcripta, allaboravit: eamque ob cauſam ſelectas rariores ſibi obſervatas Titiani Vecellii Cadorini *decem*, Leonh. Vincii *unam*, Pauli Calliarii Veronenſis *undecim*, Caroli Calliarii *unam*, Alex. Varotarii *unam*, Andr. Vicentini *unam*, Jac. Robuſti Tintoretti *unam*, Jacobi a Ponte Baſſani *unam*, Hannibalis Caraccii *tres*, Lud. Caraccii *unam*, Dom. Contareni *duas*, Nic. Pusſini *unam*, Fr. Barbieri ſive Quercini *unam*, Jo. Holbenii *unam*, a Natale Jouveneto depictam *unam*, & ab Ant. Polato *unam*, incertorum vero artificum *tres* tabulas æri inſculpi fecit, indeque expreſſas conſpectui noſtro ſubjecit, famam, quam perennem ſibi excellentisſimi artifices monumentis iſtis pepererunt, ſtudio iſthoc ſuo communem cum iis adepta. Omnes hæ tabulæ cum vel ſacrum, vel pietati honeſtatique conveniens argumentum exhibeant; (nam laſciviorum, etſi artificioſisſimarum picturarum nullam rationem habuit, ingenuos iis corrumpi ocellos & nequitiæ reddi participes a caſtisſimo poeta Propertio edocta) unamquamque earum Diſſertatione cuivis iconiſmo ſubjecta illuſtrare, & e ſacris literis depromtas imagines verborum elegantia venuſtiores reddere, e Martyrum hiſtoriis aut Sanctorum vitis petitas ubertate ſermonis explicare, e Gentilium monumentis acceptas vel priſcorum Hiſtoricorum ſententiis vel proprii ſermonis cultu dilucidiores reddere ſategit; verborum ſuorum elegantia pulchritudinem iconum æmulata, & orationem ex penicillo pictorum præſtantisſimorum (ut *p. 106.* loquitur) prodeuntem ſtyli ſui venuſtate tantum non ſupergreſſa. E ſacris literis depromtas primo, utpote digniore, loco collocavit imagines: e quibus ad Vetus Teſtamentum eæ ſpectant, quæ Moſem Nili aquis expoſitum, indeque a Pharaonis filia protractum & ſervatum *p. 11.* Salomonis de duabus fœminis ſuper infante demortuo altercantibus e tribunali latam ſententiam *p. 13.* Angelum Tobiæ viam & rationem ſanandorum oculorum monſtrantem *p. 16.* ſiſtunt: e Novo Teſtamento accerſitæ ſunt Johannis Baptiſtæ *p. 20.* Nativitatis Chriſti *p. 24.* Matris Virginis cum filiolo ludentis *p. 28.* eundemque in templo Hieroſolymitano Deo offerentis *p. 36.* & cum eo ac Joſepho in Ægyptum fugientis *p. 42.* Chriſti in nuptiis Cananæis miraculum aquæ in vi-

Digitized by Google

num converſæ edentis *p. 50. & 56:* in domo Simonis leproſi diſcumbentis *p. 64.* Magdalenæ ad pedes Chriſti procumbentis eosque lacrymis rigantis *p. 72.* adulteræ a Chriſto criminis abſolutæ *p. 76.* Pilati in prætorio manus lavantis *p. 80.* Joſephi Arimathæenſis corpus Chriſti e cruce detractum ſepulcro inferentis *p. 82.* Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos in feſto Pentecoſtes delapſi *p. 84.* Petri in ſomnio linteum variis animalibus refertum conſpicientis *p. 88.* imagines. Sanctorum hiſtoriis & Martyrum geſtis accenſendæ ſunt icones, quæ referunt Crucem ab Angelis in cœlum deportatam *p. 82.* aſſumtionem Divæ Virginis in cœlum *p. 90.* Juſtinam virginem a *Maximino*, qui pudicitiam ejus fruſtra ſollicitaverat, confoſſam *p. 94.* Sebaſtianum coram Diocletiani tribunali cauſam orantem, ab eo poſtea plagis enectum *p. 100.* Guilielmum Aquitaniæ Regem a D. Bernardo anachoreticam veſtem accipientem & induentem *p. 102.* Antonium Patavinum caſtitatem fœminæ nobilis Ferrarienſis adverſus zelotypiam mariti tuentem *p. 104.* eundem cujusdam viri abſciſſum pedem tibiæ jungentem & ſanantem *p. 108.* & graviter ſauciatam a marito ira accenſo fœminam miraculoſe curantem *p. 112.* patrem etiam ſuū Martinum Bullionium homicidii incuſatum & damnatum a morte liberantem *p. 116.* demortui uſurarii cor in ciſta nummaria Antonio indice repertum *p. 122.* ejusdem doctrinæ veritatem miraculo vitrei ſcyphi, ab Aleardino milite in pavimentum lapideum projecti neque confracti, aſſertam *p. 126.* reliquiarum ejus d. 13. Jun. 1231, anno ætatis ſexto & trigeſimo demortui d. 15. Febr. A. 1330 translationem *p. 132.* D. Hiacynthum & D. Dominicum Divæ Virgini ſupplices *p. 136.* Petrum martyrem a Manichæis interfectum, cum Mediolano Comum redire vellet *p. 140.* E profana hiſtoria & fabularum ſcriptoribus accepere pictores eas imagines quæ oculis ſubjiciunt Bacchum e curru ad Ariadnem deſilientem, multis Silenis Nymphisque ſtipatum *p. 154.* Paridem venuſtisſimæ Dearum pomum porrigentem *p. 162.* Alexandrum Darii matrem uxorem & liberos benigne excipientem *p. 170.* Antiochum perdite novercam Stratonicem amantem, eamque a parente ſuo Seleuco Nicanore obtinentem *p. 174.* Exhibetur etiam tabella Concilii Tridentini A. 1545 Idibus Decembr. cœpti, pridie Nonas Novembr. *1562* abſoluti conſeſſum repræſentans *p. 146.* cui doctisſima Virgo brevem ſubjecit hiſtoriam & Oratorum a Regibus & Principibus eo miſſorum enumerationem

Digitized by Google

rationem *p. 149.* cauſamque, cur Regis Hiſpaniarum Orator Claud. Fern. Quignonius ſingulari loco ſeorſim ſolus ſederit, expoſuit *p. 150.* Alia Viennam a Turcis A. 1683 gravi obſidione cinctam, liberatamque fortitudine Poloniæ Regis, Saxoniæ & Bavariæ Electorum, aliorumque Imperii Principum *p. 180.* refert: cui eloquentiæ etiam laude præſtantiſſima Virgo orationem ſuam hujus argumenti, Imperatori Leopoldo dicatam, iſthoc anno prid. Cal. Nov. Patavii recitatam, annexuit. Familias quoque nonnullas exprimentes ſpectandæ proponuntur tabulæ; qualis *p. 32.* a Titiano picta, nobilem apud Venetos Piſaurorum familiam ad pedes & aram B. Virginis filiolum geſtantis proſtratam exprimens, in ædibus Fratrum Franciſcanorum Venetiis extans; iſta item quæ a Jo. Holbenio delineata Thomæ Mori gentem adumbratam refert *p. 191.* inque Baſileenſi Academia aſſervatur; ac tandem familiæ ſuæ decora exhibens *p. 200.* proponitur tabella, in qua ſpectandus ſiſtitur Carolus Patinus ſedens, illiusque humero innixa Conjux, avi Guidonis effigiem digito veluti monſtrans filiabus, quarum major natu Gabrielis altera manu librum geſtat, minor Carola Catharina patri adſtans ſphæram tenet, doctrinæ ac omnis generis ſtudii indicia. Teſtis iſtius eruditionis idoneus hoc ipſum volumen eſt, cujus elegantias expoſuimus, quas ipſa in annexa cuivis tabulæ Diſſertatione prolixius explicat; non ſolum præſtantiam artis in quavis commendans & accurate exponens, verum etiam vitia & lapſus artificum, interdum a vero aberrantium, dum nimium penicillo luxuriant, ingenioſe notat. Id cumprimis reprehendit, quod ad artis magis oſtentationem, quam rei veritatem exprimendam multa confinxerint, & magna pompæ varietate imagines exornarint, quæ rebus tamen, quas exhibent ſpectandas, minus conveniat: ita nuptiis Cananæis, quibus Chriſtus temperantiæ magiſter cum matre interfuit, a tenuis etiam fortunæ hominibus apparatis, minus convenire putat tantam magnificentiam, tot dapes, tam auguſtam domum, regias porticus, pretioſas gemmas, miniſtrantium tantam turbam, ludionumque & muſicorum concentuum apparatum. præſertim autem faſtigiis columnarum impoſita Gentilium ſimulacra, quæ Alex. Varotarius & Andr. Vicentinus penicillo expreſſit *p. 52. 57 58.* vel columnas, arcus, periſtylia & ſtatuas ædificiorumque majeſtatem, qua Simonis leproſi ædes Paulus Calliarius Veronenſis ad ſuæ artis oſtentationē exornavit *p. 65. 66. 74.* Monu-

menti autem marmorei, e quo Beata Virgo in cœlos aſſumta confingitur, figuris, ſymbolis ac emblematibus exornati ſplendorem, paupertati ejus parum conſentaneum *p. 92.* excuſat, & Hannibalis Caraccii peritiam eximie commendat, id agentis ut inſignis triumphi hujus pompam magnificum ſepulcrum æquaret: *Quis enim eſt*, ſubjicit, *e pictorum numero, vel ex iis qui artis fama inter cæteros eminent, qui in ſuis operibus nonnulla rerum ſinceræ veritati adverſantia non adjiciat? Uſu jam comprobatum eſt, ut ſi quædam ad veritatem picta paululum ab operis perfecta venuſtate deficiant, artificum figmenta jam ante conceſſa ornatu adſcititio lacunam impleant.* In Puſſini tamen tabula militem, coram Salomonis tribunali infantem diſſecturum, Romano verius quam Hebræorum more armatum *p. 16.* & in Pauli Calliarii Veronenſis icone Sebaſtianum coram Diocletiano ſtantem, veſtimenta Imperatori magis quam martyri apta gerentem *p. 102.* Ægyptiorum etiam Hebræorumque tecta acuminata, quæ plana pingi par fuerat, *p. 14.* & *90.* notat. Anachroniſmos quoque & *ἀνιστορησίας* ſubinde occurrere in præſtantisſimorum pictorum imaginibus, recte obſervat: ita Hieronymum, ſeculi quarti Doctorem, Chriſti præſepio accumbentem, veſtitum Cardinalium, qui tamen multis poſt ipſum ſeculis ab Innocentio IV. A. 1244 fuerunt conſtituti, prolixam etiam barbam gerentem, contra quas toties declamaverat, minus recte repræſentatum *p. 26.* monet; diverſorum etiam ſeculorum homines eadem in tabula, una veluti in ſcena, ſimul produci minus appoſite *p. 33. 85. 84.* ait; & *p. 114.* frequentiſſimum a pictoribus errorem committi annotat, quod Græcorum Romanorumve prælia fumo e tormentis bellicis prodeunte exornent; quæ tamen nonniſi poſt viginti ſecula, invento pyrii pulveris uſu, adhibita fuerint. Veſtem etiam Paridis in Veronenſis Pauli effigie Phrygium potius quam Italum in habitum compoſitam mallet *p. 165.* *Enimvero*, ait, *qui hominum communis error eſt, ut peregrina, quæ nunquam ſenſibus perceperunt, eadem ſub familiarium ſibi ac domeſticorum conceptu imaginationi ſiſtant, etiam pictores hactenus nondum deſeruiſſe videmus. Ineptiam eorum hic notare liceat, qui Græcos Romanosve Gallicis aut alienis veſtibus induunt: id enim obſervare ſæpe mihi contigit a præſtantiſſimis pictoribus erratum. Ut taceam de ineptis illis ſeu pictoribus ſeu poetis, Chriſtiana ſacra Ethnicis fabulis accommodantibus, Hymenæum Junonem-*

que

Digitized by Google

quæ nuptiis Jacob & Rahel advocantibus, Mercurium Tobiæ præficientibus, Jovemque tonantem cum Moſe verba facientem. An decent talia? nonne abſona? cachinnos certe Democritis movent, verius Heraclitis luctum.

Patet hinc, in pictore non artem modo requiri effigiandi belle quæ animo concepta ſunt, verum etiam acre judicium in conſtituendis omnibus ad argumentum quod exequi propoſuit ſibi facientibus, eoque idoneis nec alienis & vero minus conſentaneis acceſſionibus exornando. Nec minori judicio aut ingenio opus eſt ei, qui vim artis aſſequi, quidque ei conveniat, quid diſſentaneum ſit, arbitrari deque tabulis pictis ſententiam dicere velit. Hic enim quam maxime illud Quintiliani Lib. IX Inſt. Orat. cap. 4. valet: *docti rationem artis intelligunt: indocti, voluptatem;* & apposite pictor quidam apud Plutarch. tom. 2. f. 575. ſub init. lib. de Genio Socratis dixit, ἐοικέναι τοὺς μὲν ἰδιώτας καὶ ἀτέχνους θεατὰς ὄχλον ὁμοῦ πολὺν ἀσπαζομένους, τοὺς δὲ κομψοὺς καὶ φιλοτέχνους, καθ' ἕκαστον ἰδίᾳ τῶν ἐντυγχανόντων προσαγορεύουσι· τοῖς μὲν γὰρ οὐκ ἀκριβὴς ἀλλὰ τύπῳ τινὶ γίνεται μόνον ἡ τῶν ἀποτελεσμάτων σύνοψις· τοὺς δὲ τῇ κρίσει μετὰ μέρος τὸ ἔργον διαλαμβάνοντας, οὐδὲν ἀθέατον οὐδὲ ἀπροσφώνητον ἐκφεύγει τῶν καλῶν, ἢ τοὐναντίον γεγονότων. Tali judicio valere ingenioſam doctamq; Virginem, Patinam, nec animum ſaltem omni ſcientiarum genere excultum, verum etiam *oculos eruditos* habere, ut Cicero parad. 5. loquitur, vel τεχνικὰ ὄμματα, ut Ælianus Lib. XIV Var. Hiſt. cap. 47. eos appellat, qui non ſuperficiarie picturas tuentur, ſed ad artis regulam examinatas accurate dijudicant, volumen hoc, cujus elegantiam exoſculamur, demonſtrat.

SFERA ASTRONOMICA DEL PADRE BONAventura Cavalieri.

hoc eſt,

Sphæra Aſtronomica Patris Bonaventuræ Cavalerii &c.

Romæ, apud Ant. Manari, 1690, in 12. Conſtat plagulis 15.

POſtumus hic Autoris celeberrimi fœtus iterato nunc prodit opera Domini *Urbani D' Ariſo* Romani, qui eundem philoſophicis quibus-

quibusdam diſquiſitionibus, praxibus & problematis aſtronomicis, ac tractatu de erectione thematis cœleſtis juxta viam rationalem, non parum locupletavit. Ipſe quidem *Cavalerii* labor commodo videtur ſuſceptus tyronum Aſtronomiæ; compendio enim complectitur doctrinam ſphæricam, additis paucis, Planetarum theoricam, Cometas & Stellas novas attinentibus, de quibus plura profari impertinens fuerit. Clariſſimo vero *Editori* nobiſcum una orbis eruditus non exiguas debet gratias, quod tanti mathematici vitam, de qua non niſi pauca nobis in *Chronico* ſuo *Aſtronomorum, Tomo primo Almageſti* inſinuavit *Ricciolus*, ſtudioſius deſcriptam in limine libelli hujus voluerit exhibere. Nec ingratam Lectoribus noſtris, præcipue Ciſalpinis, quibus ſcilicet libelli copia rarius contingit, rem facturos nos confidimus, ſi ipſam hanc narrationem, quantum licebit contractam, hic inſeramus.

Editus eſt in hanc lucem *Bonaventura Cavalerius* Mediolani, anno proximi ſeculi nonageſimo octavo, honoratis prognatus parentibus: quorum cura, præter cæteras virtutes, ad pietatem ſedulo formatus, eandem ſtudiis, quibus in tenera ætate imbutus eſt, perpetuo conjunxit. Latinæ autem linguæ addiſcendæ cauſa ſcholæ traditus, ſummam mox ingenii vim in rhetoricis & maxime poeticis exercitationibus prodidit, quam ad alia deinceps ſtudia præclare, multoque cum applauſu, applicuit. Cumque paternæ ædes vicinum haberent Collegium Patrum Jeſuatorum, S. Hieronymo ſacrum: eorum non tantum frequenti conſuetudine delectatus *Cavalerius*, ſed & exemplis incitatus, prenſare Ordinem hunc inſtituit; votique ſui ob ſingulares, quæ ipſum ornabant, animi virtutes damnatus, novitiatus, ut vocant, annum cum laude exegit. Proniſſimo deinde totius Conventus aſſenſu religionem profeſſus, eo cum ſucceſſu philoſophicis theologicisque ſe dedit ſtudiis, ut poſtquam ſacerdotio inauguratus eſſet, Piſas amandandum duxerint Superiores, in illuſtri ſcilicet illius civitatis Academia opportunitatem præbituri uberiorem, inſignes quas oſtentabat ingenii dotes in publicum proferendi. Non perinde lætum *Cavalerio* fuit hoc imperium, patriæ Lombardiæ cum Thuſcia permutationem haud leviter averſanti. Commodum autem tum temporis in eodem (S. Hieronymi) Conventu Piſis commorabatur P. *Benedictus Caſtellus*, Ordinis S. Benedicti, & in Academia Piſana Profeſſor publicus: qui animad-

animadverſa *Cavalerii* ægritudine eundem blande conſolatus, perſuaſionibus ſuis ab eo non difficulter obtinuit, ut ſe hodego mathematicis animum adjungeret ſtudiis: non vulgaria enim ab ingenio tam acri vividoque in hoc doctrinæ genere ſibi pollicebatur. Nec mora, eo mox effectu Elementa *Euclidea* adorſus eſt, ut in ſtuporem conjectus *Caſtellus*, Deo gratias debere *Cavalerium* pronunciaret, qui ingrata hac mutatione eidem viam comparandæ immortali famæ ſtraviſſet. Pauciſſimis enim diebus ſex priora Elementa *Euclidis* proprio Marte pervolverat; adjutus poſtea a *Caſtello* cætera breviſſimo tempore abſolvit. *Archimede* dein, *Pappo*, *Apollonio* aliisq; autoribus conſultis, ita ſuper iis cum magiſtro ſuo contulit, ut is *Galileo*, qui matheſin eo tempore Piſis profitebatur, miraculi inſtar memoraverit, tam vaſti hominem ingenii repertum, qui tantillo tempore eos in matheſi profectus facere potuerit, qui non niſi magnum promitterent mathematicum. Captus hoc augurio *Galilæus*, tenerrimo affectu complexus eſt *Cavalerium*, chariſſimumque deinde habuit ſuorum diſcipulorum: nec veritus eſt in ſuis *de Motu locali dialogis*, cum jam *Geometriam* ſuam *Indiviſibilium* publicaſſet *Cavalerius*, eidem huic palmam præſagio decernere inter ingenia ſeculi noſtri excellentiſſima. Piſis mandato ſuorum poſtea Parmam in Conventum S. Benedicti conceſſit Cavalerius, ubi tractatum ſcripſit de *Sectionibus conicis*, & ſeptem libros *Geometriæ Indiviſibilium*. Cum autem A. 1629 e vita exceſſiſſet *Jo. Antonius Maginus*, primarius mathematum Lector in Academia Bononienſi, obtinendæ ejus cathedræ, dictos tractatus in manus tradidit *Cæſaris Marſilii* amici ſui Bononienſis, qui eosdem mathematicis memoratæ Univerſitatis, *Ovidio Montalbano*, *Carolo Antonio Mancino*, & *Antonio Mariæ Bonaſonio* aliisque communicavit. Hi, deprehenſa profunditate ingenii *Cavaleriani*, rem detulere illuſtriſſimis viris, *Octaviano Zambeccario*, *Achilli Voltæ Confalonerio*, aliisque Senatorii ordinis, quorum commendatione & patrocinio optatam ſpartam menſe Novembri anni 1629 conſecutus eſt.

Anno 1632 typis commiſit *Tractatum* de *Sectionibus conicis*, ſub titulo *Speculi Uſtorii*; in quo ſcitiſſima ratione multas harum ſectionum proprietates demonſtravit, aliis non obſervatas: & *Directorium Uranometricum*, in gratiam Trigonometriæ, tam planæ quam ſphæricæ, beneficio Logarithmorum perficiendæ; adjunctis Tabulis Geo-

 metricis

metricis & Logarithmicis, regulisque reſolutioni quorumcunque problematum Geographicorum neceſſariis. Triennio abhinc, A. 1635 *Geometriam* edidit *Indiviſibilium*, quo opere parem conſecutus eſt famam cum principibus mathematicorum, quos aut lapſa tulerunt ſecula, aut poſtera unquam ſunt latura. Prodiere paulo poſt ejus publicationem *Centrobaryca Pauli Guldini*, Societatis Jeſu Presbyteri, in quibus cum præter alia in methodum Indiviſibilium directa, inventionem ejus *Sovero* & *Keplero* deberi, *Cavalerio* objeciſſet: Noſter defenſioni ſuæ tractatum adornavit in forma dialogi, in quo & a plagio intentato ſe vindicavit (*ediderat enim ſuam de curvi & recti Proportione promota opus* Bartholomæus Soverus *anno demum 1630; cum* Geometriam Indiviſibilium ipſe jam anno 1629 cenſuræ ſubdidiſſet mathematicorum Bononienſium) & cæteris objectionibus reſpondit. Apologiam hanc, antequam formas ſubiret typographicas, cum oſtendiſſet *Joanni Antonio Roccæ*, celebri mathematico & amico ſuo conjunctiſſimo, qui tum forte Mutina Bononiam conceſſerat, & in Collegio, in quo degebat *Cavalerius*, hoſpitabatur; hic vero a contentionibus alienior editionem diſſuaderet, quod *Guldino* diſceptationem urgente, ſe moleſtiæ reciprocandarum pluries reſponſionum implicaturus eſſet *Cavalerius*: deſtitit hic a propoſito, curamque potiorem habuit dilucidandæ ſuæ methodi, cujus eximium poſtea ſpecimen præbuere *Exercitationes Geometricæ*. Hoc tamen laboris & ſtudii aliæ identidem interrupere operæ: *Compendii regularum de Triangulis, per viam Logarithmorum*, A. 1638; *Novæ practicæ aſtrologicæ*, & centuriæ variorum problematum A. 1639; *Trigonometriæ planæ ſphæricæque*, linearis & Logarithmicæ, A. 1643 publicatorum. Urgentibus deinde plurimis auditorum ſuorum, quos genethliacæ addiſcendæ cupido tenebat, Tractatum, quem *Rotam Planetariam* inſcripſit, ſub nomine *Sylvii Philomantii*, forte quod Genethliacæ, cui infenſior erat, nomine ſuo pretium aliquod conciliare faſtidiret; A. 1646 edidit: in quo beneficio planiſphærii, & quorundam circulorum a *Lansbergio* inventorum, & ſecundum regulas libri hujus diſpoſitorum, facies cœli in plano, ad quodcunque datum punctum deſcribitur.

Tandem A. 1647, qui ſupremus *Cavalerio* fuit, *Exercitationes Geometricas*, ſupra memoratas, in quibus methodum ſuam Indiviſibilium

Digitized by Google

ſium luculentiſſime exponit, earundemque tertia *Guldiniana* ſpeciatim objecta diluit, publici juris fecit, eoq; perfecto vivere ſimul deſiit; tanquam nobiliſſimus ingenii partus non leviori pretio, quam auctoris ſui vita, publico redimendus fuerit. Morbus enim articularis, qui toto vitæ tempore *Cavalerium* exercuit, atq; ita excruciavit, ut nec pedũ nec manuum (niſi quod ægre digitos regendo calamo ſcriptorio in poteſtate habuit) officio uteretur, occupatis denique gula & pectore, eundem ad tumbam deduxit. Tranſiit ad alteram vitam *Bononiæ*, ex *Cœnobio S. Mariæ de Maſcarella*, cujus perpetuus Prior erat, beneficio Brevis Apoſtolici, ab *Urbano VIII*, intercedente Cardinali *Julio Sacchetto*, cum Legatum Sedis Romanæ *Bononiæ* ageret, impetrati, ut quiete ſua tranquille frueretur, nec alieno ſubeſſet arbitratu. Mortuus eſt Calendis Decembribus, anno ætatis quadrageſimo nono. Statura fuit mediocri, animi magni, a bonis literis ornatus, converſationis ſuaviſſimæ, amatus æſtimatusque omnibus, maxime Mathematicis ſui temporis: e quibus (ut cætera celebrium mathematicorum teſtimonia, Editori præſentis tractatus recenſa, taceamus) vel ſolum hic commemoraſſe ſufficiat *Evangeliſtam Torricellium*, *Cavalerii* condiſcipulum, cui tanti *Cavaleriana* methodus fuit, ut ſub finem *Introductionis* ſuæ *ad dimenſionem Parabolæ*, eam ejusque autorem inſigni hoc elogio exornare non dubitaverit: *Hæc eſt in mathematicis ſpinetis via vere regia, quam primus omnium aperuit, & ad publicum bonum complanavit, mirabilium inventorum machinator* Cavalerius. Quæſtionibus & problematibus, undecunque ipſi propoſitis, liberali indefeſſaque opera nunquam non ſatisfecit. Nec privatorum ſolum ſtudiis cultus, ſed Principum etiam amicitia inclaruit *Cavalerius*; *Magno Duci Hetruriæ Ferdinando II* eo in pretio habitus, ut propria lectica Florentiam ad ſe delatum aliquandiu familiariter ſecum habuerit. Ex diſcipulis, quorum plurimos reliquit, præcipue nominandi nobis veniunt *Stephanus de Angelis* Venetus, & *Petrus Mengolus* Bononienſis: uterque poſt mathematum Profeſſor, ille in Patavina, hic in Bononienſi Academia; uterque ſcriptis mathematicis editis celebres.

Cæterum & hoc viſum eſt indicare, quod alias a Ricciolo, *& ipſo* Cavalerii *amiciſſimo, accepimus: eundem, qui noſtro emortualis fuit, annum &* Torricellio *&* Vincentio Reinerio (*tribus adeo eximiis* Galilæi *alumnis*) intra duos menſes fatalem extitiſſe.

Digitized by Google

APOLOGIA PRO PATRIBUS JESUITIS BELgis, præſertim Profeſſoribus S. Theol. Lovanienſibus, de Hæreſi poſtulatis in materia de Peccato Philoſophico, adverſus ſycophantam Gallum, Janſeniani veneni ſatorem, auctore Joanne Segers P P. Societatis nuper Auditore.

Coloniæ, typis Arnoldi ab Egmond, 1690, in 4.

Conſtat plagulis dimid. 43.

NOvæ Hæreſeos a Jeſuitis in Theologia morali, de peccati Philoſophici & Theologici diſcrimine, traditæ ac propugnatæ Denunciationes quinq; retulere Acta Eruditorum; primam *A. 1689 menſe Decembri pag. 620*, alteram *A. 1690 menſe Julio pag. 319*, tertiam *menſe Octobri pag. 502*, quartam *A. 1691 menſe Martio pag. 104*, & quintam *menſe Aprili pag. 183*. Nunc, cum ſcriptum occurrat pro Jeſuitis ab ipſorum diſcipulo, adverſus Arnaldum Denunciationum auctorem, quod non obſcure paſſim in contextu indicatur compoſitum; nos & illud merito exhibemus, atque argumenta ejus Lectori candide communicamus. In præfatione narrat, litem omnem a Janſeniſtis malitioſe motam eſſe, utpote qui infenſiſſimi Jeſuitarum hoſtes omnem captent occaſionem ſe ulciſcendi, quod Societatis Patres primi Janſenium aggreſſi ſint, atque ejus hæreſin cum Calviniana eandem eſſe demonſtrantes effecerint, ut communibus Eccleſiæ ſuffragiis illius errores damnarentur. Diſputationem ipſam in duas quaſi partes diſpeſcit, quarum priore doctrinam Jeſuitarum exhibet, in altera ſiſtit adverſarium ingentes de nihilo, ut ait, excitantem tragœdias.

Capite *primo* præmittit, peccatum dupliciter conſiderari, uno modo, quatenus formalem Dei offenſam continet, altero modô, quatenus cum ratione pugnat: priori conſideratione appellari Theologicum, poſteriori Philoſophicum; & ita etiam in Thoma reperiri. Et Theologicum quidem peccatum mereri ſempiternas pœnas, quod malitiam complectatur quodammodo infinitam, non ſolum Jeſuitas, ſed etiam alios Theologos ſtatuere: at de pœna peccati Philoſophici diſcrepare Jeſuitas, dum alii exiſtiment, neque damni pœnam, neque ſenſus mereri ſempiternam, nec expelli per hujusmodi peccatum gratiam ſan-

ctifican-

Digitized by Google

ctificantem; alii contendant gratiam ſanctificantem expelli, contrahi pœnam damni, non tamen ſenſus æternam. Quæ ſententia poſterior Auctori Apologiæ perplacet. Neminem autem ait Jeſuitarum aſſerere, peccatum dari philoſophicum a theologico reipſa ſeparatum, ſed quicquid de peccato mere philoſophico tradiderunt, dictum eſſe ab iis ex hypotheſi, ſi detur, ſi dari poſſit peccatum mere philoſophicum. Quare adverſarium ſycophantice propoſitionem hypotheticam detorquere ad abſolutam, & abſurda inde elicere. Etenim Jeſuitas adeo non exiſtimare, pure philoſophicum peccatum reipſa dari, ut plerique contendant, dari non poſſe, propter notitiam Dei in hominibus naturalem. Atque ejus doctrinæ non Jeſuitas primos & ſolos auctores eſſe, *cap. 2.* oſtendit, ſed præiviſſe ipſis Thomam 2a. 2æ.q.29.a.3. diſerte pronunciantem: *Si poſſet eſſe converſio ad bonum commutabile, ſine averſione a Deo, quamvis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale.* Et Gerſonem lect. 4. corol. 1. dicentem: *Nulla transgresſio legis naturalis aut humanæ, ut naturalis eſt vel humana, eſt de facto peccatum mortale.* Conſpirare recentiores Thomiſtas, inter Gallos Joannem Baptiſtam Gonetum, inter Hiſpanos Vincentium Ferre & Dominicum de Navarette, inter Belgas Martinum Harnæum. Conſentire in ſchola Franciſcana Belgica, Guilielmum Herinx, & in Carmelitana Franciſcum Bonæ Spei; adſtipulari Joannem Alphonſum Curielem Canonicum Salmanticenſem, aliosq; Theologos quamplurimos. Cap.3. detegere ſuſcipit calliditatem, quam vocat, verſutiam, fraudulentiam adverſarii in accuſando tum Profeſſore Divionenſi, tum Profeſſore Lovanienſi, veluti theſeos Divionenſis patrono. Theſis Divionenſis, quæ occaſionem præbuit liti, his verbis propoſita fuit: *Peccatum Philoſophicum ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero mortale eſt transgreſſio libera legis Divinæ. Philoſophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum; ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Quam crudam & imprudenter prolatam theſin Noſter approbare non vult, propter abſurdisſima conſectaria, quæ ex ea deducuntur. Sed benignum, qui acceſſerit, interpretem, juxta mentem univerſæ Jeſuitarum Societatis in hunc modum expreſſurum eſſe: *Peccatum philoſophicum, quantumvis grave, in illo, qui* DEUM *vel ignorat* INVICTE, *vel de Deo actu non cogitat*, NE QUIDEM TE-

NUI ET REMISSO, *eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei* &c. Atque hoc ſenſu theſin a cavillatore potuiſſe & debuiſſe accipi, quod manuſcripta Profeſſoris Divionenſis haberet, in quibus concluſiones & fundamenta ſuæ ſententiæ expoſuerat. Profeſſor Lovanienſis, Joſephus de Reux, theſin ſcripſerat: *Fieri poteſt, ut ab homine ordinariis tantum divinæ gratiæ auxiliis prævento, exiſtentia Dei ignoretur tantiſper inculpate.* Omiſiſſe adverſarium, cum citaret mala fide, vocẽ *tantiſper*, atque ob falſationem correptum reſpondiſſe, id a ſe factum fuiſſe per incogitantiam. Quæ omnino frivola ſit, & indigna Diſputatore accurato & circumſpecto exceptio. Aliam criminationem eſſe adverſarii dicentis, Jeſuitas in doctrina de peccato philoſophico eundem ſibi ſcopum præfixiſſe, quem Michael Molinos princeps Quietiſtarum intenderit, nimirum latam peccandi licentiæ viam aperire. Cap. 4. defendit Jeſuitas Belgas, præſertim Lovanienſes, quibus eandem hæreſin, quam theſeos Divionenſi auctori adverſarius affinxerit & imputaverit. Cap. 5. expendit ac frangere nititur machinas, quibus per vim & fraudem Belgarum doctrinam detorqueat ad ſenſum Divionenſi a ſe affictum. Machina *prima: ad peccatum ſufficit ſola voluntas facti, nulla prorſus opus eſt notitia malitiæ.* Hanc evertit oſtendendo refragari Philoſophis & Theologis, exceptis Janſeniſtis. *Altera* machina: *ſtultum dictu eſt, Tiberios, Cajos, Nerones, Heliogabalos nulla perpetraſſe ſcelera, niſi cum actuali aut habituali Dei notitia.* Noſter eam invertit, dicens, ſtultum eſſe inficiari a Tiberio &c. & ejusmodi monſtris peccata commiſſa eſſe vere theologica, teſtantibus tam diſerte hiſtoriis, eos hominum nequiſſimos & conſcientiæ ſtimulis, & Numinis metu, fuiſſe velut de mente dejectos. Immo quod plus eſt, illos eosdem non Dei ſolum notitiam aſſecutos eſſe aſſeverat, verum & Chriſtum ſua culpa ignoraſſe. Machina *tertia: non ſolos Americanos, ſed Romanos etiam atque Græcos gentiles, auxiliis tam humanis quam divinis ad aſſequendam Dei notitiam neceſſariis ſine ſua perſonali culpa fuiſſe deſtitutos:* unde infertur, inter illos innumeros peccaſſe mere philoſophice, atque adeo ſempiternas pœnas & immaniſſima ſupplicia non fuiſſe meritos. Negat vero Noſter antecedens, probans auxilia vel humana, vel divina, ne barbaris quidem defuiſſe. Id quod in ſequentibus latius deducit. Nam *cap. 6.* monſtrat, adverſarium in ſuo de Gentilibus omni ope tum humana tum divina

Digitized by Google

divina citra ſuam culpam deſtitutis paradoxo, bellum Philoſophis, Patribus, Sacris Literis, Theologis omnibus indicere, qui multa de notitia Dei naturali in Gentilibus tradant. *Cap. 7.* novum bellum indicat altera parte aſſertionis, qua Americanos, Romanos, Græcos, nulla ſua culpa toto vitæ tempore cœleſtibus gratiæ auxiliis deſtitutos fuiſſe perhibuit, excitari tum S. Literis, pronam Dei in omnes homines voluntatem prædicantibus, & mortem Chriſti pro omnibus & ſingulis hominibus obitam adſtruentibus, tum Patribus & Theologis, qui eadem de amore Dei ac morte Chriſti diligenter inculcent, & gratias in omnes homines illarum capaces exinde derivent. Caput ultimum conſectaria educit ex ſententia adverſarii, de ſubtracta Romanis, Græcis, Americanis gratia, nulla prævia eorum perſonali culpa toto vitæ tempore, qua potuerint ad Dei notitiam pervenire, ſponte fluentia. Nimirum ea doctrina fidem debilitari, ſpem infringi, charitatem in Deum & Jeſum Chriſtum eliminari, charitatem in proximum extenuari, virtutum omnium ſtudium & curam religionis extingui, morum honeſtati certam ſtragem inferri, Deum auctorem ſtatui præceptorum ſervatu impoſſibilium, Deum tanquam tyrannum induci.

In Epilogo Apologiæ ſuadet adverſario, ut Janſenio ex animo valedicat, Jeſuitas alios, quam viſi hactenus ipſi ſint, experturo. In fine tandem proteſtatur, cum audiverit Theſes Divionenſes de peccato Philoſophico & Theologico eſſe proſcriptas Romæ, ſe eas iſto ſenſu recipere nolle, aut defendere, quo damnatæ ſunt. Se enim Jeſuitarum eſſe diſcipulum, cui alte impreſſum ſit, ſummam deberi Sedis Apoſtolicæ, & S. Congregationis ſtatutis ac decretis, reverentiam & obſequium.

Criſtian Weiſens Curiöſe Gedancken von deutſchen Verſen ꝛc.

CHRISTIANI VVEISII MEDITATIONES CURIOSÆ ſuper Poeſin Germanicam, ut ſciat ſtudioſa Juventus bonos verſus dignoſcere, eosdem componere & modum denique in ſtudiorum hoc genere retinere.

Lipſiæ, apud Jo. Friedericum Gleditſchium, 1691, in 8. Plag. 44.

Nondum

NOndum ceſſat clariſſimus Autor præclaris ingenii monumentis ſtudioſæ Juventuti ad familiariorem cum Muſis politioribus conſuetudinē aditum patefacere. Et noviſſimum quidem hoc argumenti eſt poetici, quo rationem ad carminis Teutonici laudem, quam ipſe adeptus dudum eſt, aſpirandi accurate & perſpicue docere ſuſtinuit. Tria vero quā maxime agit. *Primo* enim docet, qua in re conſiſtat verſuū indoles, & quid ad exteriorē eorum faciem requiratur, idque fit in *parte prima. Tum* in ſuperiora redit ſecula, & diſcrimen inter veterum & recentiorum Poeſin profundius inveſtigat; *denique* & artificia oſtendit, quibus ad elaborationem carminis applauſum ſeculi demerituri utendum ſit: quæ duo *parte ſecunda* exequitur, ubique vero præcepta exemplis profana & ſacra, læta & triſtia exprimentibus, illuſtrat.

Prima pars *quatuor* capitibus abſolvitur, quorum *primum* de rhythmis agit. Ubi obſervat, ſingularem rhythmis ineſſe ſuavitatem, qui exinde etiam plerisque nationibus allubuerint. Etſi enim ab antiquioribus & Græcis & Latinis verſuum hoc genus non frequentatum fuerit, repertos tamen eſſe inter exteros pariter & noſtros, qui Latinos etiam rhythmos auditu perquam jucundos condiderint; cujus generis ſpecimina Autor ipſe, præter alibi vulgata, in fine capitis ſubjecit. Cum vero noſtra lingua multis videatur duriuſcula, huc imprimis operam ponendam eſſe monet, ne ingratior in rhythmis ſonus auribus moleſtus accidat. Prolixe itaque univerſam hanc doctrinam expedit; quidque de *Sonnetis* atq; *Madrigalibus*, ut vocantur, habendum ſit, & numquid non ſine rhythmis in noſtra etiam lingua verſus fieri poſſint, qualia exempla e Lipſia prodiiſſe ait, ſollicite disquirit. *Secundum* circa ſcanſionem occupatur, de qua tria præcipue expedit, tum quid circa pedes eorumq; varias ſpecies tenendum, tum in qua re ipſorū ſuavitas quærenda, tum quomodo connectendi invicem ſint; qua occaſione de accentu ſcanſionis & pronunciationis, de epithetis, de pronunciatione proſaica, de verſibus ex meris monoſyllabis conſtantibus, de poſitione, de apoſtrophis, de ſyncope & epentheſi, de dialecto, de vocibus duos accentus ſuſtinentibus, de verbis & nominibus compoſitis, de cæſura denique prolixius diſſerit. *Tertium caput* circa *conſtructionem* ſatagit, quam cum ejusmodi principiis inniti jubeat, quæ viri cæteroquin eximii non æque per omnia obſervaſſe videntur, modeſte eadem *Veriſimilium* in modum tradit, relicta unicuique in ſectandis iisdem libertate,

Digitized by Google

tate, ut fateatur tamen, in ipſa praxi nunquam ab iisdem ſe fuiſſe deſtitutum. Quoad *verba* itaque, ea non a Germanis tantum intelligi, ſed uſu etiam frequentari vult; non familiari ſolum ſermone, ſed etiam panegyrico, quamvis & hic pro norma iſtum agnoſcat. Ergo cum iſtis facere non vult, qui recens effictis & nondum uſitatis vocabulis ſingulare aliquod decus fœtibus ſuis conciliare ſe opinantur, quamvis linguæ noſtræ, ad Græcorum imitationem, poteſtatem iſthanc non penitus adimere velit; qua occaſione Deorum etiam gentilium nomina, per proſopopœiam licet a quibusdam excuſata, a plerisque tamen non intellecta, exeſſe e carminibus jubet, niſi quorum jam diu nota ſunt vocabula, amœnis alluſionibus elocutionique inſervientia. Non tamen Gallica vocabula plane rejicit, modo exceſſu ne peccetur. De ipſa *conſtructione* hanc regulam iterum iterumque inculcat, *nullam tolerandam in verſu eſſe, niſi quæ & valeat in proſa*, ejusque præceptionis fundamentum ex ipſa natura linguæ facile ait pateſcere. Nam quod liæ linguæ in verſibus trajectionibus utantur, id inde eſſe, quoniam & in ſoluto ſermone pari libertate gaudeant, quod ſecus fiat in Germanica. Germanis igitur naturali conſtructionis ordini ſumma induſtria inhærendum eſſe, niſi de orationis gratia multum decedere ſibi cupiant. Tria vero impedimenta eſſe præcipue, quæ in hoc negotio aliquibus obſtare videantur, cum alii ſcanſionem aliter non procedere, alii rhythmum perire, alii vero ſenſum aliter fluere non poſſe exiſtiment; quæ omnia tamen ingenioſe non minus quam accurate tollit, monſtrata ubique ratione, qua evitari incommoda iſta aptiſſime posſint: ubi obiter de *imitatione*, quam duplicem facit, adſtrictiorem unam & difficiliorem, liberiorem & faciliorem alteram, utiliſſima præcepta adjicit. Denique vero quid de *licentia poetica* circa conſtructionem habendum ſit, explicat, ac neq; rhythmi repercuſſionem, neq; emphaſin, neq; parentheſin, (id quod celeberrimo *Morhofio* viſum erat) regulæ obſtare poſſe, deducit; & an conſtructio dubia ſit, an particulæ relativæ ſæpe proſint, quid conſtructio ex abrupto ſit, manifeſtum facit. *Quarto capite* in *genera carminum* inquirit, & unde exiſtant, & ut ratione materiæ & ratione uſus diſcriminentur, explicat, ſuggerens inprimis ſcitiſſimum monitum, quo, offerente ſe conſcribendi carminis occaſione, quam aptisſimum ſemper genus eligi queat. Hinc *caput quintum* uſitatioribus carminum generibus totum impendit

Digitized by Google

& de Alexandrino, de Elegiis, de Trochaico, de Dactylico, de Odis denique prolixiſſime diſſerit, & quid ſingula peculiariter ſibi depoſcant, quid ea deceat, quid denique in illis liceat, dilucide præcipit. Demum *capite ſexto* inuſitatiora genera, de quibus hoc loco agere inſtituit, nullis regulis contineri annotat, & quam multiplex tum ratione ſyllabarum, tum ratione pedum, tum ratione generum ſuſcipi variatio queat, multis tradit; quamvis & iſtud addat, licentiam iſtam non usque adeo vagam eſſe, ut non elegantiſſimo ſemper ſenſu compenſanda ſit. In fine disquiſitio inſtituitur, an Latinorum genera carminnm in Germanicis etiam procedant; quod equidem non negat Autor, licet vix operæ pretium illum facturum eſſe fateatur, qui iſti rei ſuam addicere velit operam.

Pars ſecunda tum *de diſcrimine veteris & novæ poeſeos*, tum de prudenti & facili *imitatione* tractat. Ubi tamen primo omnium *de uſu Germanicorum poematum* quædam præmittit, & hic quidem nimis aliquos excedere, omnia carminibus replentes; aliquos vero abjectius quam par erat de elegantisſimis literis pronunciare contendit. Ipſe *poetas* inter & *poeſeos ſtudioſos* diſtinguit. *Poetas* olim ſapientes fuiſſe, rerum divinarum & humanarum ſcientiam verſibus includentes; indeque Homerum & Virgilium tantopere olim æſtimatos, quod juventutem de arcanis Deorum, ſacrificiis, omnique virtutum apparatu inſtruerent; nobis vero, quibus verioris de Deo prudentiaque politica cognitionis lux aliunde affulgeat, tanta hodie in veneratione eos jure non eſſe. Interim a multis ſeculis *poetæ* titulo eximia ingenia Imperatores exornaſſe, nomenque Poetæ hac ratione eruditæ Nobilitati adſcriptum. Sed quod alicubi in contemtu ſint, in eo quidem ipſos partim extra culpam eſſe, partim nullatenus excuſari poſſe. Cæterum *poeſeos ſtudioſum* artem iſtam pro mero parergo & veluti inſtrumento habere, quo in ſuperioribus excolendis ſtudiis utatur. Maxime eam inſervire eloquentiæ, & affectibus hominum demulcendis, ſive lætitia afficiantur, ſive triſtitia corripiantur, ſive amoris dulcedini indulgeant, accommodatisſimam eſſe. Curioſa vero ſunt admodum, quæ *differentiam veteris & novæ poeſeos* explicant. Veteres inquit, gentiliſmo immerſos, parum circa nitorem linguæ conciliandum elaboraſſe, eruditionis ſupellectile deſtitutos. Poſtmodum etiam, illato cum religione Chriſtiana in Germaniam ſcientiarum lumine, juven-

Digitized by Google

juventutem Latinæ ſolum linguæ, Barbariſmis inſuper nimis quam defœdatæ, notitia imbutam fuiſſe; neque plus ab iſtis *Teutonicis Cantionum Magiſtris* expectari potuiſſe, indoctis illis & elegantiæ omnis expertibus. Lætiorem omnia faciem ſuperiore demum ſeculo induiſſe, refloreſcentibus ſolidioribus literis, & *Luthero* noſtro præcipuum linguæ patriæ decus aſſerente, cujus etiam poeſin admirabilem ſane eſſe judicat, ut ne nunc quidem in multis ab ullo ſuperatus ſit. Secutos ipſum fuiſſe *Juſtum Jonam, Paulum Speratum, Matthefium, Nicolaum Hermannum* aliosque, qui omnes naturæ potius impetum, quam artis regulas ſectati fuerint: ut inde ipſorum in carminibus occurrant *emendanda* quædam, ut nempe neglectus ille linguæ; quædam *excuſanda*, qualis conſtructio atque ſcanſio; *admiranda* denique aliqua, & adhuc hodie imitanda, ut perſpicua & ponderoſa ſcribendi ratio. Hodiernam vero poeſin natales debere *Martino Opitio*, omnis generis doctrina copioſe inſtructo, & Italorum, Gallorum, maxime Heinſii exemplis excitato: & iſtum virum jam pervidiſſe omnia, quæ ad conſummatam carminis elegantiam requiruntur; cujus tamen juvenilia a maturioribus ſint ſecernenda, e quibus ſpeciminis in vicem odam ejus omnium optimam, ut vocat, legendam Lectoribus ſiſtit. Hæc nova contexendorum carminum ratio cur non amplius exculta progreſſus ulteriores fecerit, equidem varie allegatis rationibus quam plurimis ait disquiri: ut quod nimia a nobis verborum habeatur cura; quod exterorum ſuperſtitioſiores ſimus imitatores; quod verſuum nimia obruamur copia, ut vix bonorum haberi queat delectus; quod Mæcenates denique hodie deficiant Marones gratia foventes & præmiis. Sibi id inde exiſtere videri, quod feſtinare nimis jubeamur carmina, quæ tamen, ut ex veteribus exemplis pateſcat, ad exquiſitam elegantiam meditandi ſpatium inprimis ſibi depoſcant. Forſitan & eminentiora ingenia nolle ſe minutioribus iſtis occupare, ad ſublimiores diſciplinas reique publicæ utiliores ſe conferentia. Aliam quæſtionem eſſe, num inſtitutis *Societatibus* de lingua ipſa ad aliarum gentium imitationem magis magisque excolenda, conſilia agitari debeant, quibus tamen vix ſucceſſum in Germania polliceri audet; ſuam interim, quæ unice cœtui ejusmodi peragenda ſint, libere expromens ſententiam, nec diſſimulans, quid ab *illuſtri Societate Frugifera* jam præſtitum, & quid ulterius votis expetendum ſit. Ad *imitationem* ait pertinere ante omnia *præ-*

Digitized by Google

parationem, quæ tum exquiſitiora realia, ex diſciplinis & experientia arceſſenda; maxime vero affectuum illam ὁρμὴν, ex perlectione ſimilis argumenti poematis, uti & ex profunda rei ipſius atque caſus ejusmodi meditatione, nobis obvenientem, quæque nihil aliud quam furor poeticus ſit, requirat. Hinc demum de *diſpoſitione* cogitationem ſuſcipiendam eſſe, quæ vel artificialis ſit & noſtræ poteſtatis, vel naturalis atque realis, ab argumento nobis oblata. Quæ circa *operationem* monenda erant, ea prolixo ſatis profeſſorem inter & auditorem dialogo, ſcite tamen & prudenter, executus eſt, non ſine jucunditate perlegendo.

De cætero non poſſumus non duorum adhuc Voluminum, in uſum juventutis a clariſſimo Autore editorum mentionem brevibus ſaltem ſubjicere. Paulo enim ante *Curioſas* etiam *de Epiſtolis Germanicis Meditationes* luci publicæ expoſuit, de quibus dicendi fortaſſe redibit occaſio, cum ultima pars, quam pollicitus eſt, acceſſerit. Interim dum in iſto abſolvendo occupatur, *Tabulas Chronologicas* aliquoties promiſſas hoc ipſo anno evulgavit, quibus *Rerumpublicarum mutationes a nato Chriſto usque ad noſtra tempora* ſub unum conſpectum revocat, ſecutus in iis concinnandis *Calviſii* inprimis veſtigia, quod certis principiis videret innitendum.

SUITE DE L' INNOCENCE OPPRIMÉE dans les Filles de L' Infance.

id eſt,

Continuatio tractatus de innocentia in Virginibus ab infantia Chriſti cognominatis oppreſſa; ſive Relatio de condemnatione Caroli Peiſſonelli Medici Maſſilienſis, multorumque aliorum variæ conditionis hominum, quos Jeſuitæ cauſæ illi implicuerint. Narratur etiam, quid acciderit Epiſcopo Vaſionenſi.

Toloſæ, apud Petrum de la Noue, 1691, in 12. Plag. 11.

Hiſtoriam caſuum, quibus Virgines illæ in Gallia afflictæ fuerunt, in Actis noſtris A. 1689, p. 365. enarravimus. Quæ vero nunc idem (ut vi-

Digitized by Google

(ut videtur) autor recenſet, & pro ſequela rigoris in virgines exerciti habet, maxima ex parte ad alios ſpectant, quorum, ut hominum parum celebrium, nomina & fata prolixe & ſingulatim exponere tædioſum foret. Præcipua igitur quædam ex relatione hac afferemus, ex quibus intelligi poteſt, quam dura ſit ſors illorum ex Clero Gallicano, aut qui iis adſtipulantur vel favent, qui Pontificis gratiam Regiæ præferunt, utque leviſſima quæque ejus affectus indicia acerrime vindicentur. Exhibetur in fine libelli exemplum ſententiæ a judicibus Regiis *Maſſiliæ d 12. Febr. 1689*, poſt conſumtum in inquirendo duorum fere annorum tempus, pronunciatæ. Condemnati judicio illo ſunt viri inſignes laici & clerici, his necquicquam privilegium fori opponentibus. Bibliopola Lugdunenſis *Laurentius Albinus* (Aubin) qui antea ob tractatum Epiſcopi Apamienſis *de jure Regaliæ* excuſum accuſatus, utcunque tamen ſeſe a periculo ſibi intentato liberaverat, jam ad annos quinque ad triremes condemnatus eſt, ob libros pro Pontifice in eadem controverſia de *Regalia* ſcriptos & ex Italia ad ipſum miſſos, qui cum vinctus ad triremes duceretur, publice exclamavit, ſe Jeſuitarum victimam eſſe. Medico in titulo libelli nominato, ad annos ſeptem Regno iuterdictum fuit: *Antonio Iſoardo*, honeſto civi Maſſilienſi, diſpenſatori Epiſcopi Vaſionenſis, ad annos decem. *Guilielmus Cauletus*, agnatus Apamienſis Epiſcopi, Præſes mitratus Parlamenti Toloſani, a munere ſuo ad triennium ſuſpenſus fuit. Idem ad certos annos Canonicis & Presbyteris quibusdam injunctum eſt; mulctæ etiam pro modo facultatum aut culpæ plerisque dictatæ, & publicæ deprecationis ceremonia impoſita. *Cerlius* Vicarius *Apamienſis*, cujus effigiem patibulo ſuſpenſam fuiſſe in Actis A. 1689, p. 267. narravimus, ab his judicibus, profugus adhuc & latitans, ad triremes damnatus eſt; item *Doratus* Archipresbyter Aquenſis. Multi alii, bonis in fiſcum redactis, perpetuo exulare juſſi ſunt, plerique prius ſqualidis carceribus diu detenti & fame atque frigore pene enecati. Crimen generaliter in ſententia notatur, quod contravenerint juſſis & declarationibus regiis, de receptione & diſtractione librorum in regno prohibitorum, & quod varia machinati ſint contra officium Regi debitum. Autor tamen calamitatis hujus cauſam Jeſuitis, & inter hos *P. de la Chaiſe* attribuere non dubitat, tenacibus odii adverſus Virgines illas ab *infantia Jeſu* cognominatas, quibus plerique ex reis faverant, concepti. Com-

probat id Autor potiſſimum caſu Epiſcopi *Vaſionenſis*. *Vaſio* oppidum eſt *Avenionenſis* tractus, Pontificiæ ditionis. Epiſcopus (*Geneto* nomen eſt) librum de Theologia morali antehac ediderat, qui contraria ſentientibus Jeſuitis diſplicuit: poſtea vetus odium renovavit, cum quibusdam ex virginibus illis e Gallia fugatis, haud invito Pontifice *Innocentio XI* receptum dediſſet; cæterum Gallis vicinis æſtimatus ob multas dotes, & ob præſtitam, quam Autor celebrat, in convertendis Reformatis operam. Cum vero a regiis miniſtris ſolicitatus, virgines tradere aut expellere nollet, neque hæ ſua ſponte cedere cuperent, atque jam duo haberent Collegia, Regis juſſu, etiam antequam Avenionenſem ditionem occupaſſet, d. 29. Sept. A. 1688. Aſmus quidam ex ductoribus regiis, cum quatuor turmis dimachorum ſummo mane Vaſionem ingreſſus, œconomum primo Epiſcopi *Iſoardum*, ſupra nominatum, dein ipſum lecto extractum & duriſſime habitum, cum presbyteris quibusdam cepit & in oppidum Nemauſum abduxit, unde poſtea in inſulam Ream translatus, & in loco inſalubri quindecim menſibus, ademtis omnibus fere vitæ commoditatibus, detentus fuit. Virgines ex Vaſionenſi diœceſi vi abreptæ, in monaſteria diſperſæ & cuſtodiæ deditæ ſunt. Si fides eſt Autori, plerique ex Clero, qui in has miſerias inciderunt, ſingulari pietatis ſtudio invidiam ſibi conciliarunt, dum lectioni Biblicæ præter morem reliquorum diligenter incumberent, tum conciones atque inſtructiones juventutis & plebejorum, item examina & cenſuras confitentium, ad normam potius ſacrarum literarum & ad emendationem ſinceram, quam ex receptis ab aliis conſuetudinibus ſuſciperent, ab æmulis pro novatoribus & *Quietiſtis* diffamati. Maxime vero nocuit, quod, ut dictum eſt, ab inſtitutis Jeſuitarum diſſentirent, & Epiſcoporum Canonicorumq; vetera jura & Pontificiam autoritatem contra regia juſſa, in materia *Regaliæ* & collationis beneficiorum eccleſiaſticorum, tuerentur. Subjuncta eſt tractatui brevis relatio, de ultimo rigore adverſus Virgines captas in monaſteriis exercito, & propoſita illis formula, qua ſe ab inſtituto illo abdicarent, quam tamen paucæ admiſiſſe dicuntur, reliquis contra conſcientiam & veritatem ſubſcribere nolentibus, quarum rationes ab Autore defenduntur.

DEFENSE DE L' HISTOIRE DES VARIAtions &c. i. e.

Jacob

Jacobi Benigni Boſſueti Meldenſis Epiſcopi Defenſio Hiſtoriæ ſuæ de Variationibus, contra Reſponſum Baſnagii, Miniſtri Roterodamenſis.

Lutetiæ, apud Joh. Aniſſonium, 1691, in 12. Plag. 11.

B*Asnagii* opus, Epiſcopi Meldenſis hiſtoriæ de variationibus oppoſitum, prolixe recenſuimus *A. 1690 p. 392. 472. 517.* Hoc refutaturus Epiſcopus diſſertationem hanc primam edidit, & Reformatis, quós charos fratres, ut ſolet, appellat, inſcripſit. In exordio non minus de *Basnagii*, quam *Jurii* vehementia & duritie queſtus, illam diſceptationis partem ante omnia tractandam ſibi ſumit: *an Reformati in Gallia ex religionis ſuæ principiis arma adverſus Reges arripuerint, tumultus exciverint, & ſic rebellionis crimen incurrerint?* id quod, ut in hiſtoria ſua fecerat, denuo confidenter affirmat, & *Basnagii* exceptiones operoſe refutat. Præmittit aliquid de *Calvini* ſententia, qua *Servetus* condemnatus eſt, & acriter reprehendit recentiores ex Reformatis, qui Principibus jus puniendi hæreticos, aut eos a profesſione errorum ſuorum prohibendi aperte denegant, cum tamen contrarium etiam a Proteſtantibus uſu & praxi teneri evidens eſſe dicat. *Basnagium* erroris arguit in hiſtoria *Anaſtaſii* & *Juliani apoſtatæ*, §. 6. ſqq. adductisque & examinatis ſcriptorum teſtimoniis dicta ejus confutat. *Auguſtini* ſententiam valde urget, jus omne ſubditis ad arma, adverſus 10. 11. immutabilem legem Dei, in Principes arripienda abjudicantis. Elidit, quæ ab exemplo *Armeniorum* contra *Perſas* inſurgentium adduxe- 12. rat *Basnagius*, & contradictiones ei objicit. Speciatim perſequitur 16. hiſtoriam conjurationis *Amboſianæ* a *Beza* probatæ, quod adverſarius, ut ait, negare non potuerit. *Calvino* denuo imputat, quod re- 20. bellionem probaverit, & concionatoribus, quod contra pacem *Aurelianenſem* proteſtati ſint. Fruſtra pro belli legitima cauſa allegari 22. contendit lanienam *Vaſſiacenam*, nullo publico conſilio factam. Negat fas fuiſſe ſubditis edictorum regiorum violationem armis ulciſci, 23. aut obſervationem eorum vi extorquere; neque juvari cauſam rebelli- 24. um literis *Catharinæ Mediceæ*, Reginæ, cui jus nullum fuerit motus a Condeo & Reformatis excitatos permittendi aut approbandi. Ex 28. ſynodo Reformatorum Lugduni A. 1563 habita demonſtrat, Paſtores diſerte

diſerte approbaſſe & manifeſte ſtatuiſſe, Evangelium armis defenden-
dum eſſe. Malæ cauſæ indiciū eſſe dicit, quod argumentum hoc ſilentio
a *Basnagio* transmiſſum ſit. Addit & alia de ſynodo iſta. In hiſtoria
Valdenſium, qui ſuperiori ſeculo contra *Sabaudiæ* Ducem arma cepe-
rant, falſificationem hiſtoriæ *Thuani & Popelinerii* a *Basnagio* ſibi ob-
§. 30. jectam in ipſum retorquet, & concionatores *Valdenſium* omnino
ſtatuiſſe, quod licite bellum pro religione geri poſſit, ex Thuano oſten-
31. dit. Spargit etiam quædam contra *D. Burnetum*, Epiſcopum Saris-
berienſem, & *Basnagii* fratrem, hiſtoriæ literariæ autorem. Se-
32. quuntur alia argumenta ex ſynodorum Reformatarum decretis &
34. ex *Bezæ* ſcriptis, item ex epiſtola Pariſienſis Eccleſiæ nomine ad *Ca-*
tharinam Reginam data. Perſiſtit in accuſatione, quod Reformati
35. cædem Ducis *Guiſii* procuraverint & probaverint, atque iterum D.
Burneto dicam ſcribit, quod in *Critica* ſua male allegaverit ſcriptores
38. Gallos, & rerum regni Gallici imperitus ſit, *Thuanum* quoque falſo
citaverit; neque contentus eſt, quod *Burnetus* errorem quendam in
hiſtoria de regimine regni Navarræi agnoverit, ſed exigit, ut crimina
39. a ſe Proteſtantibus & *Crammero* objecta agnoſcat. Addit haud pau-
49. ca ex hiſtoria motuum Scoticorum, ut oſtendat, rebellionis culpa Sco-
tos non caruiſſe, nec excuſari a *Burneto* poſſe, ſicut nec celebrem illum
41. *Joh. Knoxium*, reformationis Scoticæ præcipuum autorem. *Luthe-*
rum poſtea vel maximum rebellionis & belli Smalcaldici inſtigatorem
fuiſſe, ex theſibus ejus A. 1540 & 1545 editis conſtare putat, & jura Prin-
44. cipum Germaniæ in bello illo deſtruere conatur. Tumultus Pacciani
exemplum proponit, quem improbatum licet a Melanchthone, Lu-
thero tamen probatum eſſe haud dubitat. Sed iſta, & quæ de aliis
44. Lutheri in hanc ſententiam dictis repetit, a noſtratibus dudum exami-
nata ſunt, & veritas in nupero ſæpiusque a nobis laudato opere *Sec-*
kendorfiano egregiis documentis demonſtrata eſt. Diſputat inde cum
46. *Basnagio* de verbis Melanchthonis, quæ negat a ſe falſo aut maligne
allegata eſſe. Anabaptiſtis & Munzero non faviſſe *Lutherum* ultro
40. concedit, ſed illorum errores ex Lutheri dogmatibus ulterius extenſis
ortos eſſe contendit. Veterum quoq;, Cochlei & ſimilium, calumniam
recoquit, quod *Lutherus* ab initio blanditus ſit ruſticis rebellantibus;
& hos in Principes animaverit; hinc eum, ut falſum Prophetam acriter
50. taxat, & librum ejus *de libertate Chriſtiana*, & quæ de ruſticis ſcripſit,
vehemen-

Digitized by Google

vehementer inſectatur; de quibus omnibus, ex inſpectis *Lutheri* ſcriptis integris,& absque præjudicio expenſis judicandum eſt. Progreditur inde ad encomium libelli in *Hollandia* publicati, nec nobis ignoti, cui titulus eſt: *Avis aux Refugiés*, i.e. *Admonitio ad exules Gallos*. Gratias agit Deo, ſi autor libri, ut conjicit, ſit ex Proteſtantibus. Demonſtratum ab eo inter alia eſſe ait, quam fruſtra *D. Jurius* fidelitatem Reformatorum in Gallia erga Regem ſuum laudaverit. Succedit diſputatio ſatis prolixa & fervida de *digamia Haſſiaca*, quam pro ſcopulo inevitabili Reformationis habet & exaggerat. Hanc hiſtoriam ex inſtrumentis authenticis optima fide traditam,& defenſionem Lutheri, ex ſupra relato opere Seckendorfiano, Lib. III §. LXXIX Add. III, qui volent, petere poſſunt,& conſiderare, cujus ponderis ſint, quæ Boſſuetus ex illa contra Proteſtantes argumentatur. §. 56. ſqq.

OSTEOLOGIA NOVA,

or ſome nevv Obſervations of the Bones and the Parts belonging to them, by Clopton Havers, M. D. Fellow of the R. S.

ſive,

Cloptoni Havers, Med. D. & Societ. Reg. Sodalis, Obſervationes novæ de Oſſibus partibusque ad ea ſpectantibus.

Londini, ſumtibus Samuelis Smith, 1691, in 8. Plag. 20.

Osteologiæ novæ titulum haudquaquam præter meritum ingenioſo huic ſcripto præfixum fuiſſe, facile cuivis ipſum pervolventi pateſcet: dum in eo, poſthabitis iis, quæ extrinſecam oſſium figuram atq; compagem aliasq; circumſtantias, jam tum paſſim annotatas ac deſcriptas concernunt, talia potiſſimum proponere ſategit Nobiliſſimus Autor, quæ circa hanc humani corporis partẽ ab Anatomicis hujus ſeculi neglecta hactenus, vel nondum ſatis eruta fuere; quæq; adeo ipſe aut acuta ſpeculatione, aut oculari indagatione definienda ſibi atq; illuſtranda ſumſit, ſedulo ubiq; in conſilium adhibitis variis experimentis & obſervationibus, tam hominum, quam brutorum circa oſſa factis. *Quinque* vero in univerſum *diſcurſibus* ſuum huncce laborem incluſit, Re-

giæ etiam Societati, cujus ipſe perdignum eſt membrum, per intervalla communicatis atque prælectis, ejusdemque, competentis nempe talibus in cauſis tribunalis, ſuffragio haud obſcure comprobatis, dum ipſius maxime hortatu ad eorum publicationem incitatum ſemet Autor profitetur: quorum ſingulis quid pertractetur, per compendium nunc pro inſtituti ratione indicare aggredimur: utut prævideamus, difficile quodammodo fore, tantam materiæ ubertatem, quanta ſuccinctis his diſcurſibus comprehenditur, intra paucarum pagellarum limites ita compingere, ne plurima, ſcitu tamen digniſſima, intacta relinquantur.

Et *primus* quidem in ordine *Diſcurſus* naturæ oſſium & partibus ea tum conſtituentibus, tum obveſtientibus, explicandis deſtinatus eſt. Nimirum ab ovo, quod ajunt, rem exorſus Autor, initio breviter diſſerit de generatione fœtusque formatione, ſcite & ex mechanicis velut legibus adumbrans, qua ratione per fermentationem particula-
pag. 13. rum in ovulo materno excitatam, prima jamtum uti cæterorum membrorum, ita & Oſſium ſtamina continente, circulatio ſanguinis ſua capiat exordia, indeque poſtmodum juge molis incrementum & partis ad partem adpoſitio procedat. Sermone hinc propius ad propoſitum thema converſo, ad membranam, quæ ante alia in oſſibus ſpectandam
16. ſemet exhibet, deſcribendam ſe confert, *Perioſteum* puta: de cujus origine cum Anatomici non conſentiant, Noſter ſtrictiori examine præmiſſo comperiſſe ſe ait, illud, quacunque demum in parte corporis conſideretur, a duplici velut fonte ſcaturire, fibrasque adeo ipſum conſtituentes duorum generum eſſe: nimirum quasdam, & eas quidem ſemper oſſi ipſi contiguas, ac recta ab una ad alteram oſſis extremitatem procurrentes originem ducere a dura matre, per diverſa nempe cranii loca prodeunte & a capite ſic ad univerſam oſſium compagem ſemet diffundente, ne quidem articulationibus curſum ejus interrumpentibus, cum ibi non obſcure fibroſarum harum propaginum ſuper
19. oſſium ligamentis continuatarum veſtigia legerit Autor. Alias vero, his ſuperincumbentes, perioſtei fibras a muſculis ac tendinibus ſingularum corporis partium ſubnaſci & iſtuc propagari obſervat, easque non ita recto, ut illas, tramite procurrere; ſed pro diverſo muſculorum ſitu & ipſas varium obtinere poſitum, ita ut alicubi plane aliæ alias
20. decuſſare fuerint viſæ: & has quidem non raro intra ipſam oſſis ſubſtantiam

ſtantiam

ſtantiam radices agere animadvertit, penetrantes reliquam perioſtei membranam, eas inſtar circuli ambientem. Atque huic fibrillarum pag. 24. inſertioni non modo deberi putat exquiſitam illam oſſium ſenſationem, quam ſæpe in partibus etiam membrana ſua denudatis habere deprehenſa ſunt; (nervos enim, quales nonnulli hic ſuſpicari voluere, Autor, accuratiſſime licet facta inquiſitione, in oſſium nullo, præterquam in dentibus reperire ſe potuiſſe teſtatur) ſed & quadantenus firmam 22. iſtam hujus cum illis cohæſionem acceptam refert: cujus tamen potiorem cauſam quærendam vult in gelatinoſa oſſium, dum primum naſcuntur, qualitate, liquato glutini æmula, unde non poſſint non contiguæ ſibi membranæ tenaciter adhæreſcere. Inter uſus perioſtei, quos 27. diverſos allegat, potiſſimus eſt, quod animales ſpiritus ſufficiat oſſibus pro fovendo calore ac ſenſu, nec non accretione & nutritione eorũ perficienda; præterea vero eandem membranam inſervire (non ſolitarie 26. tamen) ſtatuit ad limites incremento oſſium ponendos, dum nempe ulteriorem tenſionem admittere jam recuſet: cui quidem nil quidquam obſtare autumat hujus membranæ tenuitatem; quandoquidem experientia ſimile quid fieri oſtendat in arboribus, non raro ob corticis anguſtiam amplius augmentum haud capientibus; nec non in morbo illo equorum, quem Angli *Hidebound* vocant, ubi pariter adſtricta nimis cutis, utut non omnino tenſionem reſpuens, impedimento eſſe credatur, ne animal ad juſtam ſtaturæ dimenſionem creſcere valeat. Progreditur hinc Autor ad examinandas partes oſſium conſtituentes, quas terreas partim, partim ſalinas ſtatuit: tametſi enim haud diffiteatur, 32. cuncta demum *principia chymica* per ignis torturam ex iſtis elici poſſe (proportione licet admodum inæquali, dum terreſtrem quidem materiam ſolam $\frac{2}{3}$ aut ſaltem $\frac{5}{9}$ conſtituere, ſpiritum cum phlegmate circiter $\frac{1}{8}$, oleum non multũ ultra $\frac{1}{24}$, ſal volatile forte $\frac{1}{30}$ efficere deprehendit) attamen eorum pleraq; pro peregrinis & adventitiis agnoſcit, dum ſpiritus quidẽ & phlegma vaſis ſanguiferis & interſtitiis oſſearum particularum, oleum vero medullæ per ea diffuſæ accepto ferenda ſint, adeoq; non magis oſſium partem conſtituere dici queant, quam ſanguis 33. pro parte venarum aut arteriarũ reputari. Sal tamen volatile aut potiorẽ ſaltem ejus portionem pro genuina rigidorum horum corporum parte habet; dum obſervavit, illud non modo poſt deſtillationem brevi iterum ſolideſcere & cryſtalliſari, ſed & quoad ſaporem ſalibus fixis, ac

Digitized by Google

ſpeciatim lapidi prunellæ, ratione frigiditatis multum affine eſſe. Porro curioſe deſignat formam atque ſitum particularum, indeque conſtantem oſſium texturam, quam & pro faciliori captu per adjectam
Tab.XIII. Fig. I. *figuram* adumbrare quodammodo anniſus eſt. Nimirum ſtatuit materiæ hujus ſalino-terreſtris particulas forma oblongas eſſe, directoque ſitu collocatas, ita quidem ut altera alterius extremitati jaceat contigua: ex his vero componi chordas *A, A, A*, parallelas & rigidas, quarum plures contiguæ dein laminas, laminæque tandem oſſium parietes conſtituant. Et has quidem chordas in extima oſſis parte jugiter contiguas & parallelas manere vult, nec in extremitate oſſis terminatas, ſed illic arcus in modum reflexas & chordis alterius lateris in
pag. 36. *BB* occurrentes: interiores vero chordarum ordines quod attinet, annotat Autor, eos licet circa meditullium, ut in *AAAA*, paralleli perdurent, prope oſſis caput tamen, ut in *DDDD*, paulatim a ſitu hoc divergere & laminarum loco faſciculos formare, *cancellorum* inſtar decuſſatos, *CC*: reliquarum vero chordarum ulterius non paucas prope *FFFF* a ſociarum agmine diſcedere ad formandas cavernulas *EE*, quibus oſſium capita fere ſcatent: ut adeo evidens ſit, horum parietes in media regione (ubi nempe ob majus fractionis periculū neceſſitas id maxime expoſcebat) longe craſſiores eſſe, quam circa extrema:
37. quemadmodum & Autor in oſſe femoris prope medium eos reipſa quater craſſiores, facta dimenſione, deprehendit, quam in capite oſſis. Cæterum ne quis putet, circa haſce partes, cartilagine ſcilicet mu-
38. nitas, chordarum contiguarū curſum interrumpi: contendit Autor, earum ſeriem vel ideo inde non turbari, cum particularum cartilagines componentium paritis, ut in oſſibus, diſpoſitio obtineat, nec alia interſit differentia, niſi quod hic particularum una alterius extremitatem non plene attingat; ſed alterna inter ſingulas ſpatiola interfluo aeri
Fig. 2. humorive relinquantur; uti in *Fig. 2.* quadantenus ob oculos ponitur.
43. Memorat ulterius Autor *poros* oſſium, eosque duorum generum: alios nempe longitudinem eorum pervadentes, & ex interſtitiis parallelarum chordarum oſſearum ortos; alios tranſverſos, ac per ſingulas laminas nulla certa ſerie diſperſos, iſtis prioribus ſubſervientes, & in eos medullare oleum, gradatim ex interioribus in exteriores laminas
50. tranſmiſſum, convehentes. Varias inſuper in extima oſſium ſuperficie obſervat ſtrias, ſulcos, aliasque inæqualitates ad firmiorem periostei

Digitized by Google

TAE

Fig. 1.




Fig.



 modo

Digitized by Google

TA
F

pa

obſervatiſſimas, ſulcos, [illegible] inæqualitates [illegible]

oſtei

Digitized by Google

oſtei adhæſionem tendinumque implantationem facientes. Specia-
tim vero in oſſe frontis, necnon circa ſincipitis oſſa, ſuturamque ſagit-
talem, peculiare pororum genus annotavit, intra ipſam cranii ſubſtan- pag. 52.
tiam penetrantium: quos proinde non adeo dictis modo finibus de-
ſtinatos autumat, maxime cum tendinum muſculorumque adjacenti-
um ratio tale quid efflagitare haud videatur; quam potius aliis & no-
bilioribus uſibus dicatos conjicit, nimirum ut ſpiracula quaſi ſint, per
quæ immediate (non demum auxilio glandularum cutanearum &
maſſæ ſanguineæ miniſterio) eliminari ac diſſipari valeant noxii vapo-
res intra cranium prognati, atque ſic ſupera hæc regio animæ ſedes a
nubibus nebulisve ſerena manere queat. Et ex poroſa hac cranii con-
formatione jam pateſcere putat, tum cur ſudor e fronte citius & copio-
ſius fere, quam ex ulla alia corporis portione erumpat; tum qua ra-
tione emplaſtra & epithemata partibus his applicata, nec non fonticuli
in cervice aperti juvent in affectibus cephalicis citius, quam ſi aliis locis
adhiberentur, ubi per viam ſanguineæ circulationis demum evacuatio-
nem fieri oporteret. Fatetur tamen, ſe non in omnibus ſubjectis talis- 55.
modi poros cranii reperire potuiſſe: unde hariolatur, hanc eorum ab-
ſentiam forſitan jugi quorundam cephalalgiæ, aut etiam nativæ alio-
rum ſtupiditati cauſam præbere poſſe. Tranſit hinc ad exponendos
meatus oſſa perforantium arteriarum atque venarum, cum nutritiarum,
tum medullarium: quarum has quidem nunquam recta intra oſſium ca-
vitatem tendere; ſed plerumque obliquo itinere inter eorum laminas,
more ureterum intra veſicæ tunicas, ſerpere obſervat, adeo ut quando- 57.
que ſesquipollicis longitudinem in medio oſſis emetiantur, licet hu-
jus craſſities vix octavam pollicis partem ſuperet: cæterum hanc arte-
riarum inſertionem ratione numeri & loci tam mire variare notat,
ut vix bina quis offenſurus ſit ſceleta, quæ exacte hac in parte conſo-
nent; licet reſpectu directionis, qua vaſa hæc aut ſurſum intra oſſis 59.
cavitatem tendant, aut deorſum, unam eandemque in omnibus ejus-
dem ſpeciei individuis viam tenere, cujuslibet oſſis, cum ſimili ſuo col-
lati intuitu ſoleant. Rationem vero, cur hoc vel illo in membro ſur-
ſum potius, quam deorſum, & vice verſa ferantur, Autor per pluſcu-
la exempla a ſitu partium, reſpectu habito ad poſitum trunci corpo-
ris & aortæ, indeque pendente commodiori inſertione deducit. Acce-
dit inde ad deſcribendam internam oſſium cavitatem, non uno ubique

 modo

Digitized by Google

modo comparatam, dum in aliquibus quidem ampla eſt & unica, in meditullio ſaltem; in aliis multiplex & ſpongiæ inſtar in plures cavernulas diſtincta: priorum ſuperficiem interiorem lævem fere &
pag. 61. uniformem (niſi ubi turgeſcentia nimis vaſa ſanguifera ſui veſtigium oſſi imprimant, ut in cranio & majorum articulationum oſſibus aliquando fieri obſervat,) circa extremitatem utramque in clathratam quaſi texturam, tandemque in cellulas ſpongioſas deſinere ait. Et *Cancellos* quidem iſtos oſſeos (quos in tibiis equorum aliorumque brutorum bajulantium elegantisſime omnium figuratos teſtatur) inſervire potisſimum reputat pro ſuſpendenda maſſa medullari, cujus nempe non modo vaſa ſanguifera huc illuc trans cancellos continuentur, ſed communis quoque membrana undique medullam ambiens iisdem in-
66. tertexatur: ac proinde cum in oſſibus bovinis parum hujus texturæ cancellatæ adſit, non abſimile technaſma a provida natura ſubſtitutum refert, dum medulla ſuper diverſis tenuibus ſchidiis oſſeis, transverſo ſitu per interiora latera diſpoſitis recumbat, quo ita ejus pondus in plures quaſi partes diviſum melius ſuſtineatur, nec medulla deorſum in unum concidat cumulum. Rationem quoque reddere nititur, cur certa modo oſſa, quorum catalogum dat, amplam talem cavitatem, (pro molis nempe proportione) nacta, reliqua vero intus non niſi mi-
67. nutis cellulis inſtructa ſint: cum enim advertiſſet, oſſa articulata generaliter ſic excavata eſſe, judicavit id fieri, partim ut firmiora, laminis nempe magis compactis forent; partim ut pleniori medullaris olei penu inſtruerentur, cujus nempe majorem copiā continuo motu inſumerent: ac ideo oſſiculis etiam oſſis hyoidis largam cavitatem obtigiſſe obſervat, moventibus nempe, quotiescumque quid aut deglutimus
68. aut loquimur: uti & illis, quæ in corde bovino inveniri ſolent, quæ gemina ſemper & articulata ſe reperiſſe perhibet; cum ipſa quoque motum in qualibet cordis aut ſyſtole aut diaſtole exerant. Reſpondet etiam objectionibus, quæ contra hanc aſſertionem ab oſſium nonnullis, articulatis quidem, nec tamen larga cavitate donatis, moveri
70. poſſent: ſpeciatim de coſtis monet, quod licet omnium frequentisſime, ſingulis nempe reſpirationibus, in motum cieantur, ille tamen levis admodum & obſcurus ſit, nec ita magnas proinde medullæ expenſas exigat; dum facta computatione conſtet, coſtas in parte ſui maxime a centro remota, agitatione ſua non emetiri ultra $\frac{1}{192}$ ſui circuli;

Digitized by Google

culi; cum e diverſo tibia regulari inceſſu $\frac{1}{12}$ & quandoque $\frac{1}{4}$, os cu-
biti vero nonnunquam $\frac{1}{3}$ circuli motu ſuo deſcribat. Cætera oſſa, pag. 71.
uti dictum & alias notum eſt, loco amplæ cavitatis non niſi minuſculas
easque numeroſas cavernulas intra ſe habent: atque hæc rurſum in
triplici differentia eſſe Noſter expertus eſt: alia ſcilicet una cum cel-
lulis etiam cancellorum oſſeorum aliquid includere; alia meris caver-
nulis iisque ſimplicibus referta eſſe; alia denique pariter quidem nil
niſi cellulas continere, ſed quarum binæ, ternæ aut etiam plures in u-
num coaleſcere videantur. Omnibus vero id commune eſſe advertit, 72.
quod cavernularum una cum cæteris adjacentibus communicet ope
pororum atque meatuum, per quos non modo oleoſus medullæ liquor
ex una in alteram feratur, ſed & ejusdem membrana nec non vaſa ſan-
guinea multifariam diſtribuantur: quandoquidem tam in horum po-
rorum numero, quam cellularum figura, miram ubiq; varietatem depre-
hendit. Curioſa quoque ſunt, quæ de meatibus arteriarum nutritiarum, 74.
per totidem diſtincta foraminula fere in unam oſſis extremitatem, trun-
co corporis propiorem intrantium, venarumque ex oppoſito extre-
mo, inde utplurimum magis rubente, rurſus exeuntium annotavit. Sub
finem denique hujus Diſcurſus peculiarem *Dentibus*, tanquam ſingula-
ri oſſium ſpeciei, non parum a cæteris diſtinctæ, tractationem impen-
dit. Nimirum primo obſervat, e duplici dentes materia conſtare, al- 79.
tera molliori & vere oſſea tantum, altera duriori & quaſi lapidea, quæ
alteri illi in partibus extra gingivas extantibus corticis inſtar incumbat,
eamque a conſumtione & detritione immunem præſtet: unde fieri ar-
guit, quod dentes poſt noxam ſemel acceptam tam cito computreſce- 85.
re obſerventur: dum nempe gingivis (ut intra quas dura hæcce cruſta
mox deficere incipit) alicubi forte læſis vel abſumtis, dentis portio
munimine hoc velut ſiliceo deſtituta, & jam externis injuriis expoſita,
non poſſit diu integro in ſtatu perdurare. Tametſi vero corticalis hæc 78.
dentium ſubſtantia nitore non minus quam ſoliditate ſilicem æmule-
tur; animadvertit tamen, eam ab aqua forti, a cujus vi iſte indemnis
manet, facile arrodi: unde colligere jubet, quantum damni dentibus
inferatur per acida potentiora, oleum puta ſpiritumve vitrioli & ſimi-
lia, quibus paſſim eos expolire moris eſt. Cæterum notat, ſtrias cor- 79.
ticis hujus lapidei ratione ſitus neutiquam conſonare cum filis illis ſeu
chordis, e quibus interior & oſſea dentis pars conſtet: quin potius ma-
niſeſtam,

nifeſtam, quam latius expromit, utrobique differentiam elucere: præ-
pag. 83. terea licet non modo *canini* & *inciſores* generaliter, dura hacce cruſta
undique obveſtiantur; ratione molarium tamen non exiguam inter
diverſa animalium genera diſcrepantiam Autor annotavit: dum in ho-
mine quidem, leone aliisque carnivoris eos itidem totos, quatenus ex-
tant, lapideo hoc munimine tectos ſcribit: at in equis, ovibus, capris
aliisque brutis, granis aut gramine paſci ſolitis, non baſin molarium,
ſed latera tantum, dura iſta materia, in aciem velut aſſurgente, ſtipari;
imo & alicubi ipſi ſubſtantiæ oſſeæ velut intermixtam diverſis locis ul-
tra iſtam acute emicare, ac ad imas usque radices inde deſcendentem
ſæpius deprehendi refert. Porro & hoc in dentibus tanquam pecu-
89. liare obſervat, quod perioſteo deſtituantur, non modo qua e gingivis
extant, ubi nempe id eorum muneri obfuiſſet; ſed & in parte abſcon-
dita ipſisque radicibus: quamvis enim hæ non omnino nudæ alveolis
inſertæ ſtent, ſed membrana cum gingivis & palato communi obvelen-
tur, cui in maxilla ſuperiori accedit portio aliqua durioris & carnoſæ
ſubſtantiæ, intra alveolos una deſcendens, pro majori firmamento;
ipſum tamen, uti fert. perioſteum maxillas ſtipans ad dentes usque non
pertingit, utut prope ſatis ad eos accedat: dum alveolos intus obdu-
cens, altero ſui latere horum ſubſtantiæ oſſeæ, altero dictæ membranæ
87. & carni dentes firmanti fit contiguum. Hunc autem perioſtei defe-
ctum abunde a provida natura, ne ſcilicet dentes ſpirituum influxu
carerent, compenſari innuit per nervos, quos videlicet, tanquam ſor-
tem præ cæteris oſſibus præcipuam iidem obtinent. Nempe nervus,
uti perhibet, ſeu potius faſciculus minorum nervorum, 16, 12. 7. nunc
plurium nunc pauciorum, ſecundum maxillæ longitudinem intus pro-
currens, ad ſingulas cujusque dentis radices ſuos propagat ramulos,
nunc in ipſa extremitate, nunc a latere (utroque etiam, ubi una tantum
denti radix eſt) oſſeam dentis ſubſtantiam ſubintrantes, foramine non-
82. nunquam nudis oculis ſat conſpicuo. Denique confutat Autor ſen-
tentiam eorum, qui dentes continuo creſcere, indeque uno evulſo op-
poſitum longiorem fieri autumant: ait enim, ut maxime talis elonga-
tio deprehenderetur, tamen id non tam pro genuino incremento,
partis præſertim corticalis, haberi poſſe, quam pro aliquali protruſio-
ne ab extravaſato ſucco nutritio facta; ut de quo alias conſtet, quod
dente exemto e mandibula paulatim intra vacuum alveolum fluere,
ejusque cavitatem oſſea ſubſtantia complere ſoleat. *Diſcur-*

Digitized by Google

Diſcurſus ſecundus totus impenditur explicando abſtruſo ſatis negotiō accretionis atque nutritionis, cum totius corporis in genere, tum in ſpecie osſium: quam quidem utramque a maſſa potius ſanguinea quam nervis procedere Autor agnoſcit; remota ſimul famoſa illa objectione, quam in atrophia paralyſin comitante quæſiverunt alterius opinionis patroni. Nimirum ſtatuit, chylum ſanguini affuſum, dum ad cor appellit, circulando magis magisque comminui & attenuari, unde paulatim ejus particulæ aptiores reddantur diverſis partium poris, quibus deſtinentur: & quemadmodum ſic quolibet in loco continuæ circulationis beneficio deponantur particulæ ſingularum glandularum poris figura congruæ, ita ſpeciatim in glandulis porisve nutritiis (quibus non in extremitate, per glandulas fere aliorum humorum, v. g. ſeri ſecretorias occupata, ſed in lateralibus arteriarum partibus ſuum adſignat locum) a reliqua maſſa ſanguinea ſeparari ſuccum alibilem; & ipſum quidem non unius ubique generis, quum diverſis membrorum partibus formandis dicatus ſit, generatim tamen fere gelatinoſum: qui adeo continuo pulſu & affluxu ſequentium particularū propellatur tandem ad interſtitia fibrarum, nec non oſſearum chordarum, cæterarumque partium, ubi jam ſpirituum ea jugiter pervadentium motui ac poteſtati velut ſubjiciatur, magisque immediate accretioni animalis impendatur. Spiritibus nempe duplicem tribuit motum, alterum quidem directum, qui a termino ad terminum tendat, alterum rotatorium circum propria ſua centra: (qualem duplicem motionem & in ſcintillis e ſilice excusſis, & in lapide ex funda projecto ſpectari, & per ſimile a ſphæra in plano provoluta petitum declarari poſſe innuit;) cum ergo ſpiritus ita moventes jugiter occupati ſint e via ſubmovere, quicquid eorum curſui objaceat, hinc fieri, ut occurrentes ita particulas gelatinoſas ſeu nutritias motu ſuo rotatorio impellant atque urgeant intra ſpatia lateralia, quousque ea pateant aut vi obtineri queant, ut quo ipſæ facilius, quam in directum, propulſæ ſecedant. Ac obiter notat Autor, probabile eſſe, quod gelatinoſa viſcoſitas ſucci nutritii, motui ſpirituum obviam ſic poſita, non parum retundat eorum impetum & rapiditatem, indeque natum fervorem temperet: quodque a defectu potiſſimum hujus repaguli oriantur hectici illi calores, qui nimias evacuationes ſequi amant. Accretionem proinde omnem in eo conſiſtere autumat, quod, dum animal adhuc tene-

Margin: pag. 92. 141. 97. 118.

rum eſt, tonusque partium laxior & fibræ magis tenſiles exiſtunt aptæ-
que, ut laterali preſſioni cedere & locum facere poſſint, nutritiæ illæ
particulæ in eas cuneorum inſtar impingantur, earumque dimenſio-
nem continuo adaugeant, ac ſpeciatim in interſtitia chordarum oſſea-
rum ſemet ingerant eaque compleant: usque dum tandem fibræ ita
tenſæ & partes contiguæ, extremitatesque particularum oſſa conſti-
pag. 146. tuentium ita counitæ ſint, ut ulterius cedere neſciant: aut ſaltem ſin-
gulæ partes tam fixum & ſolidum induerint habitum, ut earum quies a
ſpirituum motu amplius ſuperari ſe aut disjungi haud patiatur: quo
129. facto jam ſuccus nutritius fere deſinat rotatorio *ſpirituum* motu ad la-
tera deponi, incipiatque magis directo eorum motui ſubeſſe, recta
nempe, cum alius cedendi locus non ſuperſit, per anguſtos interſtitio-
rum vaſorumque canaliculos propulſus, donec ad horum extremitates
131. variasque glandulas excretorias perveniat. Atque hinc etiam unice
terminum figi judicat incremento corporum animalium, ſtaturæque
adeo dimenſionem pendere, non parum licet in ejusdem ſpeciei indi-
viduis variantem, prout nempe in aliis fibræ citius vel ſerius tenſæ par-
tesque compactæ evadant, & oſſearum chordarum extremitates inter
ſe conſolidentur: utut non inficietur, quandoque copioſiorem ſucci
nutritii ſuffectionem, majoremve ſpirituum vel copiam vel vigorem,
partes fortiori preſſura impetentium, dum adhuc vel ad latera, vel in
extremitatibus cedere aptæ ſunt, non exiguum hac in re momentum
addere poſſe; ſicut e diverſo certum ſit, alterutrius horum defectum
133. ſolenni animalium incremento haud parum detrahere. Ab explicata
vero ſic accretione ejusque proceſſu admodum differre credit *nutri-*
tionem ipſam: hanc etenim neutiquam in jugi appoſitione materiæ no-
væ ad partes ſolidas conſiſtere vult, ſed unice in continuo ſupplemen-
to fluidorum, ſpirituum puta humorumque neceſſariorum pro im-
plendis fiſtulis & canaliculis aliisque vaſis, e quibus univerſam corpo-
ris machinam conſtare compertum eſt, ne iis quidem partibus exceptis
quas pro meris parenchymatis antiqui habuere. Et licet haud neget,
quin ſi per accidens ab ulcere aliove caſu contingat ſolidas quasdam
partes abſumi aut deteri, novæ tum particulæ per rotatoriam ſpirituum
motionem determinentur ad reſarciendum illud vacuum: regulariter
tamen tali reſtauratione in ſtatu ſano nequaquam opus eſſe ait, adeo ut
ne ſemel quidem per integrum vitæ ſpatium totam partium ſolidarum
ſubſtan-

Digitized by Google

ſubſtantiam univerſaliter reparari ſeu renovari credat: quas ipſas pag. 138.
nempe in extrema etiam tabe intemeratas perdurare inde arguit, quod tali conſtent materia, quæ nec exhalari ſe, nec colliquari patiatur, adeoque aliter quam per modum eroſionis conſumi nequeat: quæ ipſa tamen nec absque acutiſſimis doloribus, (quales in morbo illo non ſentiantur,) fieri poſſet, nec oſſibus (quæ nempe in aqua forti facilius diſſolvantur, quam fibræ muſculares,) probabiliter tum parceret, quorum tamen magnitudini in tabidis nil decedere conſtet. Sub finem diſcurſus hujus Autor ex data hac hypotheſi deducit naturam &
ortum tum *rachitidis*, tum *gummoſorum nodorum* a lue Venerea na- 155.
ſcentium: & illius quidem hanc eſſe cauſam arguit, quod in pueris hoc morbo affectis unum oſſium latus altero citius exuat primitivam ſuam conſiſtentiam cartilagineam, juſtoque celerius obrigeſcens ineptum evadat ſuſcipiendæ ulteriori accretioni, qua interim in altero & molliori oſſis latere continuata non poſſit non incurva tortuoſitas produci:
horum vero, nodorum nempe Venereorum in oſſibus, non aliam eſſe 158.
materiam perhibet, quam induratum ſuccum nutritium, per lacunas chordarum oſſearum, a venenoſis & acrimonia nimia præditis particulis ſanguineis eroſarum, impellente motu ſpirituum rotatorio trajectum & exſudantem.

Tertius Diſcurſus theſaurum oſſibus incluſum, *medullam* enucleat, ejusque naturam & officium plenius, quam hactenus fere ab aliis
factum, ob oculos ponit. Licet vero ſub hoc nomine communiter 164.
tota illa maſſa heterogenea, quæ oſſibus continetur, & communi quoque membranula tenuiſſima ac vitri inſtar pellucente ubique comprehenſa eſt, venire ſoleat: corporis tamen proprie ita dicti ac immedia-
te pro oſſium uſu hic depoſiti materiam totam oleoſam eſſe, Autor aſ- 161.
ſeverat ejusdemque ubivis naturæ: licet alicubi ob copioſiorem ni-
troſarum particularum admixtionem ſolidioris, quam alibi conſiſten- 175.
tiæ ſit, itemque aliæ ejus partes, maxime minoribus cellulis incluſæ, aliis ob interſperſa numeroſa vaſcula ſanguinea, magis rubere videantur. Ne vero quis autumet, medullare hoc oleum confuſo tan-
tum acervo intra oſſium cavitatem jacere, curioſe monſtrat, quomo- 165.
do communis illa tunica intrinſecam oſſis ſuperficiem inveſtiens eique hinc inde per transmiſſas venulas propriosque poros connexa, diſtinctos intra ſe complectatur utriculos ſeu lobulos membraneos, (cujus-

Digitized by Google

Fig. 3. modi unum ſeparatim repræſentat *Figura 3.)* tam figuræ quidem;
quam capacitatis ratione multum inter ſe variantes, cavernularumque
formæ, ubi ampla non eſt oſſis cavitas, reſpondentes, ac e pluribus veſi-
pag. 162. culis rotundis & mole æqualibus compoſitos. Ad harum jam veſicu-
larum plurimas, glandularum ſcilicet ſecretoriarum vice fungentes, de-
rivari teſtatur totidem, imo plures quandoque arteriæ medullaris ra-
mulos, oleoſum illic tributum deponentes: ex his vero ope pororum
veſiculas inter ſe mutuo jungentium liquorem hunc porro ad reli-
quas, arteriis deſtitutas, gradatim transfundi; quibus ad congruam diſ-
171. tenſionem repletis, putat lobulos ſemet contrahendo (*ad inſtar fi-
brarum in veſica & ſimilibus membranoſis cavitatibus*) oleum ſuum,
ope mutui illius pororum commercii, velut e ſpongia preſſa dif-
fluens, diſtribuere verſus oſſium parietes & capita, ubi eo opus ſit; ex-
perimento enim comperit, illud non peculiares per ductus eo derivari,
ſed ſtillatim tantum ex his in alias veſiculas tandemque ad oſſium po-
168. ros ferri; quæ ipſæ veſiculæ, ſi medullam omnem ſic elabi, aut, ſi du-
rior, ſuper ignem eliquatam effluere patiaris, exſiccatæ ſpongiæ figu-
ram apprime repræſentare dicuntur. Uſum tandem medullaris o-
lei quod attinet, Noſter penitus improbat eorum ſententiam, qui illud
178. in oſſium nutrimentum impendi autumant, (id quod ſpeciatim de
ſubſtantia medullari inter utramque cranii tabellam jacente ſolet affe-
ri,) quandoquidem liquor hic pinguis aptus non ſit ad induendum
oſſeam ſoliditatem: utut non repugnet, ſi quis modo *ſupra dicto* nu-
tritionem capere non renuat pro continuo tantum ſupplemento *fluidæ*
volatiliſve materiæ, juſtam plenitudinem tonumque vaſorum conſer-
179. vantis. Cæterum uſum medullæ generalem quidem in eo conſiſtere
ſtatuit, quod unctuoſitate ſua jugiter oſſa in debito temperamento tu-
eatur; ne ob nimiam ſiccitatem evadant fragiliora aut plane rimas a-
gant, quod nempe aeri expoſita ſponte non raro facere obſerventur.
173. Specialem vero & majoris momenti uſum præſtare oleum hoc exiſti-
mat in oſſibus articulatis; poſtquam obſervavit illud e peculiaribus
poris circa eorum capita & ſinus ſitis notabili copia transſudare, (fluxu
nonnunquam aliquandiu poſt mortem adhuc continuante) ibidemque
intime permiſceri liquori iſti mucilaginoſo, pariter circa oſſium arti-
180. culos hærere ſolito, de quo in ſequenti Diſcurſu pluribus diſſerit. *Ex*
utriusque ergo hujus liquoris connubio iſtis in partibus inito produci
perhibet

Digitized by Google

perhibet axungiæ ſpeciem nulli alii ſecundam, & multiplicis utilitatis; quippe quam non modo inſervire contendit lubricandis articulationibus, ſed & prohibere, ne oſſa inter movendum aut mutuo incaleſcant, aut atterendo abſumantur. Præterea vero & cartilagines & ligamenta tueri a ſiccitate & inde metuenda rigiditate, quæ lubricum horum
ſuper oſſibus motum non parum retardare alias poſſet: unde & ab hu- pag. 184.
jus unguenti defectu commode deducit cauſam crepitationis articulorum, quæ in ſubjectis gracilibus & ſcorbuticis ſubinde obſervatur: tametſi agnoſcat, eam quandoque & a nimia ac præternaturali laxitate ligamentorum originem habere poſſe.

Quartus Diſcurſus de *glandulis mucilaginoſis* inſcribitur. Nimirum cum Autor in præcedenti mentionem feciſſet mucilaginis certæ cum oleo medullæ commiſceri circa articulationes ſolitæ, intimius hic in ejus naturam ac fontes, a nemine, ut putat, ante ſe detectos
aut deſcriptos, inquirit. Occaſionem indagationi dedit viſcidus ille 189.
liquor nunquam non circa articulorum regionem ſemet offerens, qui cum ab oleoſa medullæ ſubſtantia venire poſſe haud videretur, ſuſpicionem peculiarium organorum ſecretoriorum Noſtro primum injecit. Strictius ergo facto examine tum interſtitii articulationum, tum membranæ eas immediate obtegentis & undique ambientis, reperit non modo intra ſinus oſſium partes quasdam molliores & veſiculoſa ſpongioſaque textura conſpicuas; ſed & ambientem illam membranam (quam laxam ſatis deprehendit, atque hinc probabiliter alii fini, quam oſſium connexioni, fortius jam tum per ligamenta factæ, deſtinatam judicavit) variis vidit protuberantiis & inæqualitatibus præditam ac revera glanduloſam: quam ipſam conſequenter mucilagini ſecernendæ dicatam eſſe, dubitare deſiit Noſter, poſtquam exinde talem exprimere liquorem manifeſte licuit. Noviter ita a ſe detectas glandulas *Articularium* nomine inſignire primum animus fuit: poſtquam autem earum ſimiles dein etiam inter muſculos ac circa tendines, nec non in gula pro lubricando ciborum deglutitorum itinere, reperit, maluit
generali titulo *Glandularum Mucilaginoſarum* ipſas notare. Duo- 190.
rum vero generum eas eſſe perhibet, alias quidem puſillas & agminatim ſuper membranis articulationum diſperſas, æqualis omnes magnitudinis, inſtar earum, quas in vaginali teſtium tunica, peritonæo, capſula cordis ac pleura diſſeminatas videre eſt: alias vero grandiores

 & in

& in locis quibusdam dictæ membranæ finibusque oſſium articulato-
rum adeo conglomeratas, ut ſeparatas conſpicuasque per ſe forment
glandulas: quas poſteriores potiſſimum hoc Diſcurſu perſequi Autor
pag. 195. intendit. Harum ergo catalogum potiores ipſarum ſedes deſignantem
communicat: unde pateſcit, earum numerum non ubivis eundem eſſe,
dum quibusdam articulis nonniſi ſingulæ, aliis vel quaternæ quinæve in
191. partem ceſſerunt. Perhibet autem eas generatim pellucidas eſſe, ali-
cubi tamen ob intertexta vaſa ſanguifera rubentes, cæterum mol-
liculas quidem, non autem more aliarum glandularum friabiles aut
compreſſione diſrumpi aptas; contextasque non ex lobulis, ſed plu-
ſculis membranis veſicularum rotundarum, contiguarum, ac tenaci-
ter cohærentium numero haud exiguo obſitis, mutuoque ſibi ſuper-
ſtratis, adeo ut vel ſeptenas alicubi dividere a ſe invicem liceat. Per
193. poros ergo harum glandularum mucilaginem a maſſa ſanguinea per
arterias advecta ſecerni vult: idque quo commodius fieret, ſanguisque
ſat temporis haberet ad lentum hunc liquorem hic deponendum, ob-
ſervat venas iisdem conceſſas mire anfractuoſas ſpectari, ut ſcilicet
ſanguinis inde refluentis curſus nonnihil retardaretur. Figuram ea-
rum admodum variare ait, perinde ut ſitum; quem tamen generaliter
ita comparatum eſſe teſtatur, ut injuriam quidem pati nequeant a mu-
tua oſſium compreſſione; at nihiloſecius aliqualem & leviculam ab
articuli inflexione aut extenſione preſſuram ſubeant: quæ ipſa vero
non modo humoris iſtius excretionem pro inungendo, ubi opus, oſſis
capite, juvet, ſed & ſimul ſecuritatem præſtet ab obſtructione *alioquin*
ob viſcidam ejus naturam metuenda. Externam earum formam de-
Fig. 4. & lineatam ſiſtunt *Fig. 4. & 5*, quarum illa ſeparatam talem glandulam e
5. ſinu oſſis humeri prope cubitum exemtam exhibet: hæc vero per
AAA genu parte ſui anteriori apertum exprimit, triplici nempe hu-
jusmodi glandula *aaa* ſtipatum: *bbbb* eſt membrana immediate ſu-
per interſtitio articuli jacens; *c* vero patellæ in medio ſitæ faciem re-
199. præſentat. Ejusdem generis glandulas Autor ſemet etiam reperiſſe
narrat circa muſculos, dum communem eorum membranam undique
iis ſtipatam vidit, ad inſtar antea dictæ membranæ articulos veſtientis:
ſed & præterea plures conglomeratarum ſeu grandioris ſpeciei glandu-
larum inter diverſos tendines poſitas reperit: atque has ipſas affinem
cum articulorum glandulis uſum præſtare conjicit, in lubricandis & ab
attriti-

Digitized by Google

attritione præſervandis muſculis, dum eorum alios paſſim ſuper aliis moveri oportet: creditque mucilagini iſtic, olei medullaris loco admiſceri pinguedinem a glandulis adipoſis, magnó numero per totum corpus diſperſis, affuſam: quas nempe in gracilibus etiam ſubjectis munere hoc defungi putat, quamdiu modo oleoſi quid a ſanguine ſeparari queat: creditque macilentiæ cauſam non in eo tantum quærendam eſſe, cum ſufficiens adipoſi liquoris quantitas ab iis non elaboratur; ſed & multoties exinde pendere, quod memorata muſculorum inunctione nimia ejus profuſio per immoderatos labores & membrorum motus fiat; unde contingere exiſtimat, quod non facile operarii, utut habitu maxime ſano & athletico præditi, pingueſcere videantur, niſi cum abdicata vita laborioſa quieti & otio ſemet mancipent. pag. 206. Liquoris porro per glandulas mucilaginoſas ſecreti qualitatem quod attinet, 201. docet eum albumini ovorum conſiſtentia ſimilem, nec tamen ſemper ita limpidum, ſed quandoque ſubflavum; cæterum ſapore ſalſum eſſe compoſitumque ex particulis aquoſis & ſalino-terreis, quas circiter $\frac{1}{32}$ ejus partem efficere docuit evaporatio. Licet autem agnoſcat, ſerum ſanguinis ei multum affine ac probabiliter ejus portionem eſſe; revera tamen differre inde probat, quod ſerum igni expoſitum mox inſpiſſetur in gelatinam, & evaporatum fere $\frac{1}{11}$ poſt ſe relinquat; mucilago vero ſic maxima ſui parte in liquorem magis tenuem convertatur, & in ſummitate modo cuticulam cum pauxillo coaguli albidi contrahat, ac de ea poſt totalem evaporationem vix $\frac{1}{30}$ remaneat. Cum vero probabile judicet, liquorem tantopere ad vitales functiones neceſſarium 210. pro ſui elaboratione peculiarem officinam eſſe nactum, conſultum ducit munus hocce *lieni* adſignare, utpote qui (dum non abſolute ad vitam animalis neceſſarium eſſe conſtet) tali officio deſtinatus videatur, quod ad commodius vivendum quidem faciat, ſed quo carere quodammodo liceat: in defectu enim mucilaginis, jamjam ſolū oleoſum liquorē ei alioquin admiſceri ſolitū, axungiæ in muſculis & articulis lubricandis vices præſtare ariolatur; defectus vero hujus incommoda facile animadverſum iri, ſi animalia viſcere hoc privata violentis motibus & exercitiis impenderentur. Conjecturæ occaſionem maxime dedit 212. qualitas ſucci, quem nunquam non in lienis parenchymate offendere eſt, mucilagini ſcilicet articulorum admodum affinis. Cæterum pro magis ſtabilienda hac hypotheſi Autor non modo rationem reddit, cur

liquor

Digitized by Google

liquor hic nec receptaculum commune, nec proprios ductus pro ſui
pag. 214. diſpenſatione nactus ſit; ſed & ingenioſe per experimentum quoddam
adumbrat, quomodo ejus generatio in liene fiat; quæ quidem recen-
ſere nimis longum forte foret. Denique ex glandulis hiſce mucila-
ginoſis idem arceſſit originem duorum morborum, Medicis plerum-
216. ſqq. que nimis negotii faceſſentium, *rheumatiſmi* puta & *arthritidis:* quo-
rum utrumque quidem ex eodem fonte fluere arguit, materia nempe
heterogenea & morbifica, per glandulas has e maſſa ſanguinea tum
temporis per ſolennem criſin ſeparari ſolita: hoc tantum diſcrimine,
quod in rheumatiſmo exoneratio talis materiæ fiat inter partes muſcu-
lares, in arthritide vero circa articulorum regionem. Pro cujus ma-
jori confirmatione & dilucidatione Autor varia communicat experi-
menta in mucilagine hac per affuſionem diverſorum liquorum facta, &
ex iis ſecutos effectus: indeque porro argute diſſerit de natura & ſym-
ptomatis obſtinatorum horum morborum, conjecturas ſimul expe-
rimentorum phænomenis fultas ſuppeditans, quomodo huic hypo-
theſi convenienter eorum cura caute inſtituenda ſit pro diverſitate hu-
moris peccantis, nunc acris, nunc ſalſi, nunc acidi: quæ quidem o-
mnia lectu uti digniſſima, ita jucundiſſima quilibet nobiſcum fate-
bitur talium carioſus.

Reſtat ut de *quinto* & ultimo *Diſcurſu* paucis dicamus, qui de
cartilaginibus agit, oſſium naturæ nempe adeo cognatis, ut earum
plurimas tractu temporis in oſſa converti conſtet: a quibus proinde Au-
tor eas vix aliter differre ſtatuit, niſi quod in his particulæ rigidæ extre-
271. mitatibus ſuis non omnino contiguæ ſint, ſed pauliſper diſtantes. E qua
ipſa conformatione porro ingenioſe deducit earum tam flexibilitatem,
quam potentiam elaſticam reſtituendi ſemet in priorem ſitum poſt in-
flexionem, ſimilemque ſtructuram & in aliis corporibus parili qualita-
te præditis obtinere credit. Plura hinc de cartilaginum uſu, vaſis ſan-
285. guiferis, temperamento aliisque proprietatibus diſſerit: inter alia ve-
ro inſignem indicat uſum, quem cartilagines, quæ coſtas veras cum
ſterno connectunt, in reſpirationis munere præbeant, utut hactenus
a nemine ſatis annotatum. Scilicet in *inſpiratione* putat earum ope cavi-
tatem thoracis notabiliter ampliari, dum angulo, quo coſtis conne-
ctuntur, magis ad rectam lineã aut potius obtuſiorem ſaltẽ poſitum re-
dacto, tam ſternum antrorſum, quam coſtæ retro, verſus vertebras pro-

trudi

Digitized by Google

trudi nonnihil videantur: unde majorem ſequi pectoris ampliationem neceſſum ſit, quam per ſolam coſtarum elevationem a plano mediaſtini,quo alias acutiori angulo inclinant, in angulum minus acutum. Hunc vero potiſſimum cartilaginum harum ſcopum eſſe Noſter vel inde pateſcere arguit,quod angulus ipſe,quo appendices hæ cum co- pag.290.
ſtis uniuntur, ſemper maneat cartilagineus, utut reliqua pars cum tempore oſſeam induat rigiditatẽ,ne ſcilicet mobilis illa flexilitas reſpirationẽ juvans ceſſaret cum tempore, cum alioqui nil prohiberet,quo minus integer coſtarum arcus ex oſſe ſolido conſtare æque commode poſſet. Sed porro non minorem harum cartilaginum inter *exſpirandum* 293.
etiam utilitatem eſſe agnoſcit, dum elaſtica ſua poſt factam extenſionẽ (quæ nempe in elaſtico corpore incurvo idem facit,quod in recto inflexio) ſemet reſtituendi potentia ad priorem angulum revertentes, thoracis compreſſionem notabiliter augeant: unde & potiſſimum pendere exiſtimat, quod in omni cadavere, ſive inter inſpirandum ſive expirandum quis defunctus ſit, thorax contractus ſpectetur, appendicibus nempe coſtarum cartilagineis nativum ſuum poſitum & angulum ſponte & absque ulla muſculorum actione recuperantibus ſternumque adeo deprimentibus, quod nempe a ſolo pulmonum flacceſcentium collapſu vix in eum ſitum diſponi poſſet. Atque hæc fere ſunt potiora Novæ hujus Oſteologiæ contenta: in quibus recenſendis ſi forte quis obſervationum novitate & elegantia illectos nos modum excesſiſſe cauſetur, librum ipſum, quæſumus, pervolvat,fatebiturque nos parca potius, quam prodiga manu ejus opes diſpenſaſſe: quartus certe Diſcurſus, ubi de indole & cura Rheumatiſmi & Arthritidis tractatur, ob plurima, quæ continet, utilia & ſingularia, pleniorem jure merito, niſi materiæ copia obrutis fuiſſet properandum, relationem efflagitaſſe videbitur.

SACRUM MUSEUM MANTUANÆ CONgregationis Carmelitarum de obſervantia: authore Clemente Maria Felina.

Bononiæ, ex typogr. Piſariana, 1691, in 4. Alph. 1. plag. 6.

EX perantiquo Carmelitarum in Eccleſia Romana Ordine, nova velut propago nata ſeculo XV poſt Chriſtum natum fuit, *Mantuanæ Congregationis* nomine inſignita, a Præſidentibus primum generalibus, inde poſtquam ab Eugenio IV Summo Pontifice ab obedientia Provincialium ordinis exempta eſſet, a Vicariis generalibus gubernata. Illius Congregationis Vicarius generalis iterato fuit præſentis libri Author, idemque S. Theologiæ Magiſter ac Doctor, qui exercendi, ut videtur, in arte poetica ingenii cauſa, præcipuorum Congregationis illius Mantuanæ membrorum laudes diſtichis olim decantavit non ineptis, quæque digna judicavit Vir Clariſſimus *Gaudentius Robertus*, ut ſtudio ſuo luci publicæ exponerentur. Sed majus cum tempore volumen ejusdem Roberti cura prodibit, totius Carmelitarum Ordinis Acta & Opera complexurum, quod nobis quoq; plura de illo Ordine dicendi occaſionem non poterit non præbere.

Errata.

Menſ. Jun. pag. 289. lin. 18. pro *quanquam hic* lege *quanquam & hic.* Menſ. Nov. p. 540. lin. ult. pro *nephriticis* lege *arthriticis.*

INDEX.

I. Libri ad Theologiam & Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

R. *Abrab.* Abenezræ *epiſtola Sabbati.* 249
R. *Henrici* Ainsvvorthi *annot. in Pentateuchum, Pſalmos & Canticum Canticorum.* 340
Petri Allixii *hiſtoria antiquarum Pedemontii eccleſiarum.* 254
Anonymi *compendium doctrinæ de tolerantia civili.* 460
Sepher Orchoth Zaddikim. 251
Sepher Schülchan Aruch, *ex R. Iſaaci Loriæ ſcriptis excerptus.* 249
Relatio de condemnatione Caroli Peiſſonelli. 568
Antonii Arnaldi *denuntiatio IVta peccati philoſophici.* 104
denuntiatio Vta pecc. philoſ. 183
hiſtoria Johannis de Palafox. 529

hiſtoria

hiſtoria perſecutionum Bernardini de Cardenas & Philippi Pardi. 529
querela de impoſtoribus, qui ultra annum falſas literas ejus nomine ad Theologos Duacenſes ſcripſerunt. 533
Chronologiæ Samaritanæ ſynopſis, ab Eduardo Bernardo *ex MSC. excerpta.* 167
Samuelis Bocharti *Hierozoici compendium.* 56
Jac. Benigni Boſſueti *defenſio hiſtoriæ ſuæ de variationibus contra Basnagium.* 571
Edwardi Brovvn *appendix ad Orthuinum Gratium.* 134
Th. Burnetii *reſponſio ad objectiones Eraſmi Warren.* 329
Th. Comberi *hiſtoria de uſu liturgiarum in eccleſia Chriſtiana.* 123
Faſciculus diſſertationum, collectus a Th. Crenio. 335
Eduardi Gee *introductio in Rob. Perſonii libellum.* 2
Th. Godvvini *Moſes & Aaron.* 109
Orthuini Gratii *faſciculus rerum expetendarum.* 134
Miſnæ pars. Vertit Gul. Guiſius. 251
Nic. Gürtleri *hiſtoria Templariorum.* 376
Hermanni ab Hardt *præloquium in Autographa Lutheri.* 422
Joannis Hoornbeckii *Socinianiſmi confutati compendium.* 56
Fl. Joſephi *opera, cum prolegomenis Th.* Ittigii. 244
Petri Jurii *repræſentatio Socinianiſmi.* 449
Michaelis Lequien *defenſio textus Hebræi & Verſionis Vulgatæ.* 162
Melch. Leydekkerus *de fœdere & teſtamento Dei.* 523
Ex R. Iſaaci Loriæ *ſcriptis excerptus liber* Scülchan Aruch. 249
Joh. Henr. Maji *diſſertationes ſacræ.* 173
Claudii Franciſci Meneſtrerii *refutatio prophetiarum falſo adſcriptarum S. Malachiæ ſuper electionibus Pontificum.* 144
Miſnæ *pars, cum notis Gul. Guiſii.* 251
R. Nathanis *Spirenſis liber* Megalleh Amukoth. 250
Lud. Nogueira *expoſitio Bullæ cruciatæ Luſitaniæ conceſſæ.* 547
Laur. Odhelii *Synagoga bifrons.* 523
Joannis Overalli *liber Convocationis anni 1606.* 5
Jacobi Perizonii *cum Ulrico Hubero disquiſitio de Prætorio.* 239
Roberti Perſonii *libellus memorialis de reformatione Angliæ.* 2
Franciſci Porteri *compendium annalium eccleſ. Hiberniæ.* 142

Digitized by Google

Odorici Raynaldi *annales eccleſiaſtici.* 189
Abbatis de la Roque *memoriæ eccleſiaſticæ.* 153
Tomus II. Autographorum Lutheri *in bibliotheca* RUDOLPHI AUGUSTI *Ducis Brunſu. & Luneb.* 422
Sebaſtianus Schmid *in Koheleth.* 378
in epiſt. Pauli ad Coloſſenſes, aliasque. 90
Juſti Chriſtophori Schomeri *ſpecimen Theologiæ moralis.* 253
Viti Ludovici a Seckendorf *hiſtoria Lutheraniſmi.* 345
Jo. Segers *apologia pro PP. Jeſuitis de hæreſi poſtulatis in materia de peccato philoſophico.* 560
Pauli Segneri *Incredulus inexcuſabilis.* 380
Wilhelmi Sherlock *vindiciæ dogmatum de SS. Trinitate & Filii Dei incarnatione.* 213
Thomæ Smith *Miſcellanea.* 81
Frid. Spanhemius *de Papa fœmina.* 390
Joh. Baptiſtæ Thiers *hiſtoria comarum adſcititiarum.* 397
Antonii Varillas *hiſtoria de revolutionibus Europæ ob Religionem T. V. & VI.* 25
Jacobi Uſſerii *hiſtoria controverſiæ de Scripturis & Sacris vernaculis.* 290
Eraſmi Warren *Geologia.* 97
Joh. Rod. Wetſtenii *hiſtoria Suſannæ.* 228
Henr. Whartoni *notæ in Jac.* Uſſerium. 290
Chriſtoph. Wittichii *inveſtigatio epiſtolæ ad Hebræos.* 525

II. Juridici.

Gerhardi Feltmanni *diſſ. de acceſſionibus memorabilibus immani aquarum vi vel terræ motu factis.* 359
de titulis honorum, libri duo. 464
Gerhardi Noodt *Probabilium Juris libri IV. de Jurisdictione & Imperio libri II. & ad L. Aquil. liber I.* 268
Georgii Adami Struvii *comment. ad lib. V. Decretalium* 327
Barthol. Leonh. Suendendörferi *Proceſſus Fibigianus.* 49

III. Phyſici & Medici.

Joannis Bernoulli *diſſ. de efferveſcentia & fermentatione.* 64
Roberti Boyle *Medicina hydroſtatica.* 485

Metho-

Digitized by Google

Methodus hydroſtatica prætentandi minerarum æſtimationem. 511
Joannes Ciampinus *de incombuſtibili lino.* 401
Croptoni Havers *oſteologia nova.* 573
Pauli Hermanni *Floræ Lugduno-Batavæ flores.* 217
Abortus bicorporeus monoceps, deſcriptus a Franciſco de Honuphriis. 388
Joh. Lockii *tentamen circa cognitionem humanam.* 501
Praxeos Mayernianæ *in morbis internis ſyntagma.* 57
Jo. Nic. Pechlini *obſervat. phyſico-medica.* 230
Leon. Plukenetii *phytographia.* 493
Bernardini Ramazzini *diſſertatio de conſtitutione anni 1690, ac de rurali epidemia Mutinenſis agri.* 185
Car. Raygeri *ſcholia in Paulum Spindlerum.* 43
Friderici Ruyſchii *obſervationum centuria.* 66
L. S. *collegium medicum practicum.* 122
Gerardi Sermes *brevis explanatio ſani & morbidi hominis ſtatus.* 121.
Pauli Spindleri *obſervationum medicinalium centuria.* 43
Dan. Tauvry *anatomia rationalis.* 471
Varignonii *nova conjectura circa gravitatem.* 299

IV. Mathematici.

Jacobi Bernoulli *ſpecimen calculi differentialis in dimenſione parabolæ helicoidis.* 13
Specimen alterum calculi differentialis in dimetienda ſpirali logarithmica, loxodromiis nautarum & angulis triangulorum ſphæricorum, cum additamento ad problema funicularium. 282
demonſtratio centri oſcillationis, ex natura vectis. 317
Joannis Bernoulli *ſolutio problematis funicularii.* 274
Bonaventuræ Cavalerii *ſphæra aſtronomica.* 555
Hier. Coetſii *Euclidis elementa.* 267
Henr. Coggeshalli *ars praxin geometricam facile exercendi, &c.* 479
Nic. Coppolæ *animadv. ſuper reſolutione geometrica duarum mediarum continue proportionalium.* 183
O. V. E. *vide* G. G. L.
Jo. Caſp. Eiſenſchmid, *de figura telluris elliptico-ſphæroide.* 315

Digitized by Google

R. Elieſeris, *Jacobi F. liber computi aſtronomici.* 250
Dominici Gulielmini *aquarum fluentium menſura nova.* 72
Joannis Hevelii *prodromus Aſtronomiæ & nova tabulæ Solares.* 78
Chriſtiani Hugenii, *Dynaſtæ Zulichemii, ſolutio problematis funicularii.* 281
G. G. L. *Ars combinatoria.* 63
additio ad ſchediaſma de medii reſiſtentia. 177
quadratura arithmetica communis ſectionum conicarum, quæ centrum habent, indeque ducta trigonometria canonica a tabularum neceſſitate liberata, &c. 178
ſolutio problematis catenariii. 277. 435
de legibus naturæ & vera æſtimatione virium motricium, contra D. Papinum. 439
additiuncula ad F. H. Lichtſcheidii conſiderationes. 500
Guil. Leybourn *curſus mathematicus.* 463
Ferdin. Helfr. Lichtſcheidii *conſiderationes circa altitudines & velocitates pendulorum in diverſis circulis.* 494
Dionyſii Papini *Mechanicorum de viribus motricibus ſententia, aſſerta adverſus Cl. G. G. Leibnitii objectiones.* 6
obſervationes hydraulicæ. 208
Jac. Caſteneti de Puyſegur *inſtructiones militares.* 479
D. T. *ſingularia effecta vitri cauſtici bipedalis.* 517
Hieron. Vitalis *Lexicon Mathematicum.* 301
Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius *de hydraſpide ſua.* 37
Joannis Jacobi Zimmermanni *Scriptura S. Copernizans.* 205

V. Hiſtorici & Geographici.

Car. Ancillonii *hiſtoria receptionis Gallorum exulum in ditionem Sereniſſ. Elect. Brandenburgici.* 120
Anonymi *hiſtoria Joannis Auſtriaci, Caroli V. Imp. F.* 132
vita Caroli V. Ducis Lotharingiæ. 130
Aurelii Anzi *genius vagans.* 474
Alberti Bobovii *tractatus de Turcarum liturgia, peregrinatione Meccana, &c.* 226
Joannes Ciampinus *de Abbreviatoribus de Parco majori* 306
Dares Phrygius. 333
Dictys Cretenſis, *cum notis Joſiæ* Merceri, *Caſp.* Barthii, *Ulr.* Obrechti, *Pauli* Vindingii, 333

Lauren-

Digitized by Google

Laurentii Ingewaldi Elingii *hiſtoria Græca linguæ.* 220
Jo. Bapt. Fabri *concha cœleſtis.* 202
Fargeſii *relatio de mutationibus, quæ regno Siam a. 1688. contigerunt.* 110
Clementis Mariæ Felinæ *ſacrum muſeum Mantuanæ congregationis Carmelitarum de obſervantia.* 589
Chriſt. Funccii *politica ad orbis imperantis notitiam introductio.* 144
Thomæ Hyde *notæ ad Abrahamum Peritſol.* 222
Jacobi Wilhelmi ImHoff *appendix ad Hiſtoriam genealogicam Regum Pariumque M. Britanniæ.* 247
Gregorii Læti *Theatra Belgicum & Gallicum.* 204
De Larrey *Hæres Aquitaniæ.* 520
Jobi Ludolfi *comm. ad hiſtoriam Æthiopicam.* 361
Julii Mazarini *epiſtolæ.* 131
Ægidii Menagii *hiſtoria mulierum philoſopharum.* 535
Guidonis Mige *recens ſtatus Angliæ ſub imperio Wilhelmi Regis & Mariæ Reginæ.* 246
Joannis Palatii *geſta Pontificum Romanorum.* 310
Abrahami Peritſol, *vel* Pareſol, *Itinera mundi.* 222
Jacobi Caſteneti de Puyſegur *commentarii.* 479
Adami Rechenbergii *liber memorialis prælectionum hiſtoricarum.* 309
Andr. Rovettæ *bibliotheca chronologica illuſtrium virorum provinciæ Lombardiæ S. Ordinis Prædicatorum.* 331
Jacobi de Saulx, *Comitis Tavannii, commentarius.* 418
Nic. Schaten *hiſtoria Weſtfaliæ.* 321
C. Suetonius *Tranquillus, ex recenſ. J. G.* Grævii, *cum notis* Torrentii, Caſauboni, Marcilii, *&c.* 357
Antonii Varillas *hiſtoria Caroli VIII. R. G.* 424

VI. Philoſophici & Philologici.

Caſ. Auguſti *rationarium.* 375
Balbus Menſor *de aſſe* 375
Laurentii Begeri *obſervationes in numiſmata antiqua.* 505
Joannis Petri Bellorii *veteres arcus Auguſtorum triumphis inſignes.* 201
Thomæ Pope Blount *cenſura celebriorum authorum.* 24
Franc. Cameli *nummi CHRISTINÆ R. Suecorum.* 207
Caroli Mariæ CARAFÆ, *Principis Buteræ, Legatus.* 305
Chri-

Chriſtoph. Cellarii *ſupplementa in Baſilium Fabrum.* 495
Joh. Claubergii *opera philoſophica.* 374
Alexii Comneni *λογαρικὴ.* 375
Franciſci Deſeine *bibliotheca Sluſiana.* 23
Joh. Henr. Eggelingius *de orbe ſtagneo Antinoi.* 447
Joh. Henr. Erneſti *diſſ. de Phariſaiſmis in libris profanorum ſcriptorum occurrentibus.* 92
Baſilii Fabri *theſaurus eruditionis ſcholaſticæ.* 496
Gul. Fleetvvood *Inſcriptionum ſylloge.* 342
Leonardus Gaultruchius *de DIs & religione ethnicorum.* 93
Joh. Frid. Gronovius *de ſeſtertiis.* 375
Paſcaſii Groſippi *tabula nummariæ.* 375
Chriſtiani Grubelii *diſquiſ. de lingua Germanorum.* 52
Caroli Cæſaris Malvaſiæ *marmora Felſinea.* 1
Henr. Meibomii *augmentum in V. H. Voglerum.* 302
Ægidii Menagii *diſſ. de Heautontimorumeno Terentiana* 86
Carolæ Catharinæ Patinæ *litera de monumento Ulpiæ Marcellinæ.* 337
tabellæ ſelectæ. 549
Andreæ Petermanni *philoſophiæ Carteſianæ adverſus cenſuram P. D. Huetii vindicatio.* 431
Wilhelmi Petty *arithmetica politica.* 407
Adami Rechenbergii *de ſtudiis academicis liber.* 89
J. Rondelli *diſſ. de Chœnice Pythagoræ.* 75
Claudii Salmaſii *epiſtola ad J. Fr. Gronovium.* 375
Jo. Schotani *exetaſis cenſuræ, qua P. D. Huetius philoſophiam Carteſianam inique vexavit.* 431
Jo. Eberhardi Schvvelingii *exercit. in P. D. Huetii cenſuram Philoſophiæ Carteſianæ.* 431
Gaſpar Scioppius. *Vide, Paſcaſius* Groſippus.
M. Ant. Severini *philoſophia ludi ſcachorum, & de πεττεία antiqua.* 405
Ezech. Spanhemii *epiſtolæ duæ ad Laur. Begerum.* 505
Val. Henr. Vogleri *introductio in notitiam bonorum ſcriptorum.* 302
L. Voluſius *Mæcianus de aſſe.* 375
Georg. Henr. Urſini *grammatica Græca.* 265
Chriſtiani Weiſii *meditationes curioſæ ſuper poeſin Germanicam.* 563

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google